Digitized by Google

4. 2. 418

Digitized by Google

XXXVII
Jaxii
Tom: III:
1755.

Digitized by Google

ARCHIEPISCOPORUM
MEDIOLANENSIUM
SERIES HISTORICO-CHRONOLOGICA


AD CRITICÆ LEGES,
ET VETERUM MONUMENTORUM FIDEM
ILLUSTRATA:

JOSEPH ANTONII SAXII

SS. AMBROSII ET CAROLI OBLATI,
COLLEGIO ET BIBLIOTHECÆ AMBROSIANÆ PRÆFECTI

OPUS POSTHUMUM.

TOMUS TERTIUS.



MEDIOLANI, MDCCLV.

IN REGIA CURIA.
Superiorum permiſſu.

Digitized by Google

INDEX CHRONOLOGICUS

ARCHIEPISCOPORUM MEDIOLANENSIUM,

Qui in hoc tertio Volumine continentur.

SIMON de BORSANO. - - - - - - pag. 825.

ANTONIUS de SALUTIO. - - - - - - pag. 831.

PETRUS II. FILARGUS. - - - - - - pag. 836.

FRANCISCUS II. CREPPA. - - - - - - pag. 846.

BARTHOLOMÆUS CAPRA. - - - - - - pag. 849.

FRANCISCUS III. PICOLPASSUS. - - pag. 858.

HENRICUS II. RAMPINUS. - - - - - pag. 882.

JOANNES III. VICECOMES. - - - - - pag. 891.

NICOLAUS AMIDANUS. - - - - - - pag. 898.

TIMOTHEUS MAFFEUS. - - - - - pag. 901.

GABRIEL SFORTIA. pag. 921.

CAROLUS I. de FORLIVIO. - - - - - pag. 928.

STEPHANUS NARDINUS. - - - - - pag. 934.

JOANNES IV. ARCIMBOLDUS. - - - pag. 944.

GUIDO ANTONIUS ARCIMBOLDUS. - pag. 949.

OCTAVIANUS ARCIMBOLDUS. - - - pag. 956.

HYPPOLITUS I. ESTENSIS. - - - - pag. 958.

HYPPOLITUS II. ESTENSIS. - - - - pag. 964.

JO: ANGELUS ARCIMBOLDUS. - - - pag. 980.

PHILIPPUS II. ARCHINTUS. - - - pag. 1009.

S. CAROLUS BORROMEUS. - - - - - pag. 1017.

GASPAR VICECOMES. - - - - - pag. 1061.

FEDERICUS I. BORROMEUS. - - - pag. 1080.

CÆSAR MONTIUS. - pag. 1122.

ALPHONSUS LITTA. pag. 1143.

FEDE-

Digitized by Google

INDEX CHRONOLOGICUS.

FEDERICUS II. VICECOMES. - - - - - pag. 1159.

FEDERICUS III. CACCIA. - - - - - - pag. 1166.

JOSEPH I. ARCHINTUS. - - - - - - pag. 1171.

BENEDICTUS II. HERBA ODESCALCHUS. pag. 1184.

CAROLUS CAJETANUS STAMPA. - - - pag. 1201.

JOSEPH II. PUTEOBONELLUS. - - - pag. 1208.

INDEX

Digitized by Google

INDEX ALPHABETICUS
ARCHIEPISCOPORUM MEDIOLANENSIUM,
Qui in hoc tertio Volumine continentur.

A

AMIDANUS NICOLAUS . . - - pag. 898.
ARCHINTUS PHILIPPUS II. - - - pag. 1009.
ARCHINTUS JOSEPH I. - . - - pag. 1171.
ARCIMBOLDUS JOANNES IV. - - pag. 944.
ARCIMBOLDUS GUIDO ANTONIUS. pag. 949.
ARCIMBOLDUS OCTAVIANUS. - - pag. 956.
ARCIMBOLDUS JO: ANGELUS. - - pag. 980.

B

BORROMEUS FEDERICUS I. - - pag. 1080.
de BORSANO SIMON. pag. 825.

C

CACCIA FEDERICUS III. - - - pag. 1166.
CAPRA BARTHOLOMÆUS. - - pag. 849.
S. CAROLUS BORROMEUS. - - - pag. 1017.
CREPPA FRANCISCUS II. - - - pag. 846.

E

ESTENSIS HYPPOLITUS I. - - - pag. 958.
ESTENSIS HYPPOLITUS II. - - - pag. 964.

F

FILARGUS PETRUS II. - - pag. 836.
de FORLIVIO CAROLUS I. - - - - pag. 928.

H

HERBA ODESCALCHUS BENEDICTUS II. - - pag 1184.

L

LITTA ALPHONSUS. - - - - pag. 1143.

MAF-

INDEX ALPHABETICUS.

M

MAFFEUS TIMOTHEUS . - - - pag. 901.

MONTIUS CÆSAR. pag. 1122.

N

NARDINUS STEPHANUS . - - pag. 934.

P

PICOLPASSUS FRANCISCUS III. pag. 858.

PUTEOBONELLUS JOSEPH II. - - pag. 1208.

R

RAMPINUS HENRICUS II. - - pag. 882.

S

de SALUTIO ANTONIUS. - - - - pag. 831.

SFORTIA GABRIEL. - - - pag. 921.

STAMPA CAROLUS CAJETANUS. - pag. 1201.

V

VICECOMES JOANNES III. - - pag. 891.

VICECOMES GASPAR. - - - - pag. 1061.

VICECOMES FEDERICUS II. - - - pag. 1159.

SIMON

Digitized by Google

SIMON DE BORSANO.

GUilielmo Archiepiſcopo noſtro ſuffectus eſt Anno MCCCLXX. Simon Borſanus , Patriâ Mediolanenſis , eximiæ in utroque Jure doctrinæ famâ illuſtris . Referendarii primùm munere decoratus a Gregorio XI. Summo Pontifice , dein Archiepiſcopali Ambroſianâ Infulâ donatus anno ſupradicto , in Collegium Cardinalium adlectus eſt ab eodem Pontifice Maximo Anno MCCCLXXV. Quamobrem emendandus eſt Ughellus , qui biennio prævenit collatum Simoni Romanæ Purpuræ honorem ; cùm ex Anonymo coævo Gregorii XI. Vitæ Scriptore , enunciato a Georgio Joſepho Eggs , *in Purpura Docta* Tom. II. conſtet , in Electione novem Cardinalium , facta Anno MCCCLXXV. ab eodem Summo Hierarcha , locum habuiſſe Simonem de Borſano . Attamen Archiepiſcopus iſte graviſſimis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ negotiis ſemper implicitus , Mediolanenſem Eccleſiam ſibi commiſſam ne quidem de limine ſalutavit : Provinciam namque inſtituendi ſerium examen de Petro Bonageta Ordinis Minorum, qui lutulenta errorum fæce contra Sacram Synaxim Aragoniam uſque ab Anno MCCCLXXI. conſpurcaverat , Antiſtiti noſtro commendatam adimplens , longè a finibus hujus Metropolis coactus eſt moram ducere . Auctus verò Cardinalitia Dignitate , miſſus eſt a Gregorio XI Legatus in Germaniam ad Carolum IV. Imperatorem , & ceteros Imperii Principes , ut nefandæ Be-

guardorum & Fraticellorum hæreſes extirparentur. Eo autem munere eximia cum laude perfunctus eſt Simon. Siquidem Carolus IV. ejuſdem permotus conſiliis, diverticula Hæreticorum dirui juſſit, & Conſtitutionem edidit a Gregorio Pontifice Maximo approbatam, qua clanculario eos Errones damnavit, Gregorio interim ex Apoſtolico Solio mandante Præfectis omnibus Tribunali Inquiſitionis per Germaniam conſtitutis, ut hoſce Hæreticos inſectarentur, cenſuriſque ac pœnis mulctarent.

Alteram etiam eidem Purpurato Antiſtiti noſtro Legationem injunxit Gregorius XI. ad Amedeum Sabaudiæ Comitem, ob eradendam ferro & flammis peſſimam Hæreticorum luem, quæ ex proxima Gallia in Allobroges penetraverat; Id autem obtinuit feliciſſimo exitu.

Nullum apud nos relictum de hoc Archiepiſcopo veſtigium Scriptores indigitant, e quo eluceat cura ab eodem ſuſcepta, Gregis ſibi commiſſi beneficiis ditandi, niſi Privilegium quoddam, memoratum a Puricello *in Diſſertat. Nazariana* Cap. XXXVIII. num. XIII., conceſſum Fratribus Eccleſiæ *Sancti Ambroſii ad Nemus* a Gregorio XI. Pontifice Maximo, rogatu Simonis Archiepiſcopi Mediolanenſis, & datum Avenione III. Idus Decembris, Pontificatus ſui anno quinto, hoc eſt Anno MCCCLXXV. Quandoquidem unicum hoc ſuppetit argumentum conſervandæ a Mediolanenſibus gratæ memoriæ hujus noſtri Archiepiſcopi, non ita jejunè illud dimittendum eſſe cenſemus. Scriptores Mediolanenſes, aliique Exteri, ſecuti narrationem Pauli Morigiæ *in Hiſtoria Ordinum Religioſorum*, duos in hac Metropoli extitiſſe Regulares

gulares Cœtus tradiderunt ; alterum eorum , qui *Apoſtolini* , ſeu *Sancti Barnabæ* appellabantur , eò quòd Inſtitutorem ſuum fuiſſe hunc Apoſtolum , ſed falsò prorſus , jactabant ; alterum quorumdam Fratrum Ordinis *Sancti Ambroſii ad Nemus* nuncupati , pariter citra verum , originem ſuam ab eo Sancto Doctore venditantium . Itaque cùm poſtremi hi Fratres , qui hactenus , abſque ulla Regularum norma ab Apoſtolica Sede approbata , Eremiticam (ùt par eſt credere) eo in nemore vitam duxerant , ſeſe in Regularem Ordinem redigere optarent , Simon Archiepiſcopus ſupplices ad Gregorium XI Summum Pontificem Literas dedit , ut Apoſtolica benignitate iiſdem providere dignaretur . Annuit precibus Antiſtitis noſtri memoratus Gregorius , expedivitque Anno MCCCLXXV. , III. Idus Decembris Pontificium Reſcriptum , *ad Priorem & Fratres Eccleſiæ Sancti Ambroſii ad Nemus* in fine Suburbii Portæ Cumanæ conſiſtentis , quod incipit *Cupientibus* . Subdit verò hæc verba ; *Venerabilis Frater noſter Simon Archiepiſcopus Mediolanenſis nobis humiliter ſupplicavit , qui etiam ob reverentiam ejuſdem Sancti Ambroſii (qui antequam educeret eum Dominus de vitæ ergaſtulo hujus Mundi , quandoque a multitudine ſe ſegregans , ad hujuſmodi Locum tunc ſolitarium ſe transferebat , ut in ſolitudine devotiùs contemplationi Divinæ poſſet inſiſtere) vobis & Statui veſtro in præmiſſis providere de benignitate Apoſtolica dignaremur* : (Id ipſum tradiderat Franciſcus Petrarcha Libr. II. *de Vita Solitaria* , Section. II. Cap. II. , mortuus anno ſuperiore , ideſt Anno MCCCLXXIV.) *Nos igitur , qui piis illorum deſideriis , per quæ via paratur ſecurior ad ſalutem ,*

libenter impertimur aſſenſum, volentes ſuper his paterna ſollicitudine providere, hujuſmodi dicti Archiepiſcopi, ac veſtris in hac parte Supplicationibus inclinati, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium ſtatuimus & etiam concedimus, quòd in præfata veſtra Eccleſia vos, & alii Fratres qui poſt vos erunt, ibidem commorari & exiſtere ſub profeſſione & Regula Sancti Auguſtini valeatis &c. Præſcribit etiam veſtium formam, & Divinum Officium recitandum juxta Ritum Ambroſianum; necnon confirmationem Prioris electi ad Archiepiſcopum Mediolanenſem pro tempore pertinere. Propagari deinde per Italiam cœpit hic Ordo: donec Sixtus V. Pontifex Maximus Anno MDLXXXIX., Literis bullatis, die XV. Auguſti expeditis, in unam Congregationem cum Fratribus Sancti Ambroſii ad Nemus, Apoſtolinos ſeu Sancti Barnabæ Fratres conjunxit. Verùm ſequenti Seculo Innocentius X. utrumque hunc Ordinem extinxit Anno MDCL. Minimè noſtri Inſtituti eſt, iſta minutiùs perſequi. Fusè & eruditè pro more ſuo de geminis hiſce Ordinibus diſſerit Auctor *Hiſtoriæ Ordinum Monaſticorum Regularium, & Militarium* Gallicè conſcriptæ Tom. IV. Cap. VIII., quem conſulat Lector, cupidus de variis horum Ordinum vicibus edoceri.

Erepto e vivis Gregorio XI. Anno MCCCLXXVIII., qui primus ex Summis Pontificibus in Gallia demorantibus, Romam tranſtulerat Apoſtolicam Sedem; atque electo Urbano VI. in alma Urbe, exortum eſt teterrimum Schiſma, de quo loquens Cardinalis Baronius cum Jacobo Sirmondo Viro doctiſſimo (ùt refert inter ceteros Pagius junior) ajebat,

ajebat, *nihil ſe magis reformidaſſe in Annalibus Eccleſiaſticis condendis, quàm pervenire ad tempus illius Schiſmatis, de quo quid ſtatuendum, non eſſet liberè pronunciaturus*. Occaſio hujus peſſimi, & in univerſa Sancta Romana Eccleſia perniciosiſſimi exempli ea fuit, quòd cùm in conclavi conſidêrent Cardinales, de nova electione Pontificis Maximi pertractaturi, Romanus populus metuens, ne aliquis ad Solium Pontificium promoveretur natione Gallus, a quo iterum Avenione Sedes Apoſtolica conſtitueretur, accurrit ad Conclave, incondito clamore aſſerens, ſe velle, ut Romanus aut ſaltem Italus in Supremum Hierarcham deligeretur; minis etiam intentans, ſe videlicet paratum jam eſſe flammis ſuccendere Conclave, ſi aliter fieret. Itaque collecti Patres Bartholomæum Patriâ Neapolitanum, Bareníem Archiepiſcopum, Pontificem Maximum renunciavere, qui Urbani VI. nomen aſſumpſit. Cùm tamen pertæſi Cardinales rigidæ aſperitatis, qua utebatur novus iſte Pontifex Summus, Anagniam ſenſim profecti eſſent, cauſantes vim ac gravem metum illis incuſſum a Romanis in prima electione, Urbanum deſeruêre, tamquam minimè liberis ſuffragiis delectum; atque alterum in Pontificia Sede conſtituerunt, nempe Robertum Gebennenſem, Cameracenſem Epiſcopum, qui Clementis VII. nomen ſibi impoſuit. Inter eos, qui huic Parti adhæſere, fuit Simon Borſanus, quem appellabant *Cardinalem Mediolanenſem*, quique priùs pro virili curaverat ſimul cum duobus aliis Purpuratis Florentino & Urſino, ut concordia inter utramque Partem ſanciretur.

Nihilominus noſter hic Præſul claruit probitate, doctrinâ,

nâ, ac meritis, ùt docent ejuſdem Acta jam relata. Sub hoc Clemente profectus Niciam in Provincia, infectis relictis muneribus, quæ implere meditabatur, die XXVII. Auguſti, Anni MCCCLXXXI. mortem obiit, ſepultus ibidem nobili monumento. Præclara ejuſdem Opera in lucem edita, recenſet laudatus Georgius Joſephus Eggs, loco jam memorato.

AN-

ANTONIUS DE SALUTIO.

ANtonium ex Marchionibus Salutii electum fuiſſe in Archiepiſcopum Mediolanenſem certò conſtat ; ſed quo anno , plurimùm in eo figendo ancipites ſumus . Ferdinandus Ughellus abſque ulla hæſitatione ſtatuit ejuſdem electioni Annum MCCCLXXIII ; quo tamen fundamento , prorſus latet . Bernardinus Corius , & Ripamontius hujus Archiepiſcopi mentionem non agunt , niſi ad Annum MCCCLXXX. ; iſte autem poſtremus Antonium Salutienſem ſucceſſiſſe Guilielmo Puſterlæ affirmat , omiſſo Simone Borſano . Verùm hoc ſilentium repugnat Catalogis Mediolanenſium Antiſtitum , in quibus poſt Guilielmum diſertè enunciatur Simon Borſanus . Itaque niſi aliquod abdicationis factæ ab hoc Simone documentum proferatur , quod Ughelli opinioni faveat , minimè conſentaneum eſſe veritati putamus , recedere ab iis quæ referunt Hiſtoriæ noſtræ Scriptores , quorum teſtimonia ab Anno tantùm MCCCLXXX. exordiuntur . *Annales* quidem *Mediolanenſes* , editi Tom. XVI. *Scriptorum Italiæ* , memorare incipiunt hunc Archipræſulem ab Anno MCCCLXXVI his verbis : *Mediolani ſedente Antonio de Salutiis Archiepiſcopo* : Nihil tamen evincunt , cùm hæc tam intrepida aſſertio , profecta ſit a falſa opinione , quòd Anno præcedenti e vita migraſſet Simon Borſanus , quemadmodum ipſemet Annalium Scriptor ad Annum MCCCLXXV. teſtatur , iſta addens : *Hoc anno Simon de Borſano , Me-*

Mediolani Archiepiſcopus per Gregorium XI. Papam creatur Cardinalis, qui poſtea iſto anno moritur: Quod quantum abhorreat a veritate, docent teſtimonia Oldoini & aliorum, qui Hiſtoriam Eccleſiaſticam poſt Baronium condidere, atque obitum Simonis ad Annum MCCCLXXXI. referunt. Condonari tamen facilè poteſt mendum illud huic Auctori, qui, ùt optimè animadvertit Clariſs Muratorius *in Præfatione*, longè ſeriùs, ideſt circa medium Seculi XV. vivebat.

Jam verò, ùt chronologiæ noſtræ ſeriem proſequamur, cùm nonniſi Anno MCCCLXXX. mentio in Hiſtoriis Mediolanenſibus Antonii Archiepiſcopi occurrat, ſolvendus videtur nodus, cur nempe uno ante mortem Simonis Borſani anno inſtitutus aſſeratur Mediolanenſis Antiſtes Antonius. In hac implexa re ſi judicium noſtrum proferre liceat, non aliam rationem excogitari poſſe arbitramur, niſi defectionem illius Cardinalis Archiepiſcopi ad Clementem VII., ob quam indignatus Urbanus VI., eumdem Archiepiſcopali Dignitate ſpoliaverit; cùmque Mediolanenſes pro Urbano ſtarent, delectum fuiſſe hujus Eccleſiæ Antiſtitem Antonium, qui ab Anno MCCCLVI. Savonenſem Eccleſiam Epiſcopus adminiſtrabat. Hæc tamen, conjecturæ tantùm loco, in medium adducimus, cùm, deficientibus antiquis monumentis, in tenebris verſemur.

Bernardini igitur Corii narrationibus inhærentes docemur, adhibitum fuiſſe Antonium Archiepiſcopum, tamquam ſequeſtrem a Principibus Mediolanenſibus ad obtinendam ab Apoſtolica Sede ſolutionem a vinculis conſanguinitatis in Nuptiis, quas Bernabos Vicecomes ſtatuere meditabatur Piciui-

næ

næ filiæ ſuæ, cum Actio, Galeatii Fratris ſui filio. Neque multo ſubinde temporis intervallo Joannes Galeatius Vicecomes opem ejuſdem Archipræſulis imploravit, ut matrimonio jungere ſibi liceret Catharinam, filiam Bernabovis, Patrui ſui. Quinimo, ut faciliùs animum Summi Pontificis flecteret ad benignè annuendum ſupplicibus votis Antonii Archiepiſcopi, nobiles Oratores ad eumdem Romam direxit; idque obtinuere, datâ ab Urbano VI. facultate Antiſtiti noſtro, & Neapolitano Archiepiſcopo ſolvendi nodum tam arctæ cognationis auctoritate Apoſtolica. Itaque decimotertio menſis Novembris die, Anni MCCCLXXX. perlectæ fuere bullatæ Literæ Pontificis Maximi, quibus injungebat memoratis Præſulibus, ut ſuo nomine ſummoveretur cognationis impedimentum; eoque ſublato, poſtridie celebratæ ſunt ſolemni pompâ nuptiæ Catharinæ cum Joanne Galeatio, ipſo Antonio Salutienſi ſacras cæremonias peragente in Eccleſia Sancti Joannis, appellati *ad Concham* Mediolani.

Sequenti anno Beatrix Scaligera, Bernabovis uxor, in animum ſuum induxit, Ædem conſtruere in hac Metropoli, dicatam auguſto nomini Deiparæ Virginis, illiuſque cultui Collegium Canonicorum & Præpoſiti inſtituere, cui poſtmodum acceſsêre Pontificalia ornamenta, magno in noſtra Urbe religioſæ magnificentiæ incremento. Ceſſit itaque Archiepiſcopo noſtro Antonio honor deponendi primi lapidis ad hujus Templi ædificium, quod nuncupari voluit Beatrix e gentilitio cognomine Familiæ ſuæ *Templum Sanctæ Mariæ Scalenſis*.

Alterum etiam Opus multò magnificentius, in Deiparæ

B Vir-

Virginis honorem aggreſſus eſt Joannes Galeatius, mortuo Bernabove, univerſæ hujus Urbis ejuſque ditionis Dominus inſtitutus. Corruerat paulo ante Turris æris Campani Eccleſiæ Majoris, & plurimùm deformata fuerat ab ejuſdem lapſu ſacra illa Ædes, illatâ etiam ſupra CC. Civibus cæde. Excogitavit igitur Princeps Vicecomes Ædificium a fundamentis erigere, quod non tam Cœleſtis Reginæ majeſtatem, ſed etiam hujus Metropolis magnificentiam deceret. Dejectâ proinde ad ſolum priori, quæ humilior obſcuriorque erat, Eccleſiâ, purgatâque ruinis areâ Anno MCCCLXXXVI., accitus eſt in partem magni conſilii Archiepiſcopus noſter Antonius, quæſitique celebriores Architectonicæ artis Periti, ut molis auguſtiſſimæ iconographiam expromerent, quæ regiam Joannis Galeatii mentem animumque æquaret; eâque ad Principis genium efformatâ, adnitente memorato Archipræſule Antonio, Nonis Maji Anni MCCCLXXXVII. jacta ſunt fundamenta immanis illius Ædificii, quod hactenus plurium Seculorum labores exhauſit exhauritque, quin ad faſtigium perduci umquam potuerit; tot namque Sculptoriæ artis miracula & ornamenta complectitur, ut opulentiam omnem etiam Regum terrere poſſit, fiatque, licèt nondum abſolutum, Exteris omnibus huc adventantibus incredibilis admirationis ſpectaculum. Ad tam excelſam molem conſtruendam non ea tantùm, quæ antea innuimus, Joannis Galeatii Principis animum adegêre; ſed multò magis intempeſtiva mors, ſibi & Civibus piſſimi filios ante puberem ætatem eripiens: Quocirca voto Beatiſſimæ Virginis Mariæ ſe obſtrinxit, ad dignam illius nomine

mine

mine Sacram Ædem ædificandam, idemque auguſtum Deiparæ nomen imponendum filiis orituris, ut a propria Familia, cunctaque Metropoli luctuoſum hoc flagellum, patrocinio ſuo apud Deum, dignaretur avertere. Nec parva laus manet Archiepiſcopum Antonium, quòd curâ ac nutu propemodum ſuo cœptum, promotumque elegantiſſimum Opus iſtud, ſplendorem famamque Mediolanenſis Urbis etiamnum apud omnes nationes amplificet.

Rerum geſtarum ab hoc vigilantiſſimo Paſtore, reliquo temporis ſpatio, quo Eccleſiæ ſuæ Provinciæque præfuit, nobis memoriam invidit Mediolanenſium Scriptorum ſilentium, nihil aliud enunciantium, niſi ejuſdem mortem, quæ illum terris eripuit Anno MCDI., quemadmodum narrat Auctor Anonymus *Annalium Mediolanenſium*, eo ſeculo vivens.

Tempus regiminis ſtatuit Ughellus ad Annos XXIX, innixus opinioni ab ipſo conceptæ, quòd inſtitutus fuerit Archiepiſcopus Antonius Salutienſis Anno MCCCLXXIII. Nos qui Scriptores Mediolanenſes ſequimur, unum ſupra viginti annos Sedis huic Antiſtiti adſcribimus, ab Anno videlicet MCCCLXXX. ad Annum uſque MCDI.

Ubi ſepulcrum receperit, Hiſtoriæ noſtræ non memorant; revocari tamen in prudens dubium nequit, tumulatum eumdem fuiſſe in Eccleſia Majori, cui conſtruendæ non tam conſilium, ſed etiam opes contulerat. Galeſinius certè id affirmavit in *Tabula* ſæpiùs enunciata.

PETRUS II. FILARGUS.

DEfuncto Antonio Salutienſi vacuam Cathedram implevit Anno MCDII. Petrus Filargus, laxioris Regulæ Sancti Franciſci, ut ſcribit Wadingus. De hujus Antiſtitis Patria plurimùm contendunt Scriptores: Alii enim eum tradunt natales traxiſſe in Oppido Cruſinallo Agri Novarienſis; atque in iſtius ſententiæ patrocinium plura congerit Lazarus Auguſtinus Cotta *in ſuo Novarienſi Muſæo*, num. CCI.; alii verò conſtanter aſſerunt, ortum fuiſſe Petrum hunc in Inſula Cretæ, atque ideo appellatum fuiſſe *de Candia*. Nos qui huic parti calculum noſtrum adjicimus, non aliud validius teſtimonium proferimus, niſi exordium MSti Poëmatis, miſſi ad Petrum jam evectum ad Pontificiam Sedem a Joſepho Brippio, Metropolitanæ Baſilicæ noſtræ Canonico Ordinario, cujus prima carmina hæc ſunt.

Princeps Summe Patrum, te te ſibi Græcia talem
Lætetur genuiſſe Virum; non quippe minorem
Antiquis illis virtute, atque arte ſciendi,
Et morum gravitate Viris, qui nomiue claro
Orbe vigent &c.

Porro minimè credibile eſt, Scriptorem iſtum, cui notiſſimus eſſe debuerat Archiepiſcopus olim ſuus Petrus Filargus,

Digitized by Google

gus, voluiſſe Græcam nationem ei obtrudere in ipſa fronte Poëmatis, ad ejuſdem commendationem confecti, cùm redargui aut mendacii, aut injuriæ potuiſſet, quòd natum in Italo ſolo ex Illuſtri progenie (ùt tradit Cotta), barbarum veluti ac peregrinum noſtris oris venditaret. Extat hoc Poëma, adhuc lucis expers, inter Codices Ambroſianæ Bibliothecæ.

Moribus in flore adoleſcentiæ ad omnem pietatis cultum accommodatis, ſeſe Regularibus votis obſtrinxit Petrus in Ordine Seraphico, tantumque ibidem profecit in humanis Diviniſque Scientiis, ut in eloquentiſſimum Oratorem Evangelicum, & Theologiæ penitioris Magiſtrum evaſerit. Pervulgatâ ejuſdem doctrinæ famâ, poſtquam Oxonii in Anglia, & Pariſiorum Academias ſumma cum nominis ſui laude peragraſſet, accitus fuit a Joanne Galeatio Vicecomite Mediolani Domino, ad Theologiæ Magiſterium exercendum in Ticinenſi Gymnaſio, ubi etiam Græcas Literas docuit. Decoratus inde fuit plurium Eccleſiarum per Italiam Infulis, Patriarchatu nempe Gradenſi, Placentino, Vicentino, & Novarienſi Epiſcopatibus: Brixienſem etiam addunt *Annales Mediolanenſes*, quamvis de eo prorſus ſileat Ughellus, qui illius Eccleſiæ monumenta omnia pervolvit. Tantî autem æſtimavit Joannes Galeatius Vicecomes non tam eximiam ejuſdem doctrinam, ſed etiam dexteritatem prudentiamque, ut ipſum & a Conſiliis, & a Secretis Aulæ ſuæ conſtituerit. Cùm verò Ducis titulum, imperiumque Mediolanenſe affectaret, non alium aptiorem Virum perducendis ad felicem exitum votis ſuis ſeligi poſſe cenſuit, quàm Petrum Filargum.

gum. Illum itaque cum nobili Equitum comitatu legavit ad Venceslaum Imperatorem, ut pertractaret coram Auguſto Principe tanti momenti negotium. In eo munere implendo, optimè ſe geſſit Filargus; nec ſolummodo Privilegium, quod Joannes Galeatius optabat, obtinuit, ſed etiam ipſemet, & Succeſſores Epiſcopi Novarienſes, Imperatoris benevolentiâ, aucti fuere excelſo titulo Principum Sacri Romani Imperii, ùt conſtat ex Diplomate, dato die I. menſis Maji, Anni MCCCXCV, quod inſeruit ſuæ *Novariæ Sacræ* Carolus a Baſilica Petri, ubi de hoc Epiſcopo agit.

Reverſus inde e Germania Petrus Filargus, ingreſſus eſt Mediolanum menſe Auguſto Anni MCCCXCV., unà cum Beneſio, ſeu Beneſchio, miſſo ab Imperatore, ut Cæſaris nomine Joannem Galeatium, Ducem crearet. Statuta eſt dies V. Septembris huic peragendæ Celebritati. Adfuere Epiſcopi e ſubditis finitimiſque Urbibus, Papienſis, Placentinus, Vicentinus, Brixienſis, Veronenſis, Regienſis, Parmenſis, Cremonenſis, Bobienſis, Laudenſis, & Novarienſis, ſimul cum Archiepiſcopo Mediolanenſi Antonio de Salutiis, pluribuſque aliis Proceribus, & Legatis omnium prædictarum Civitatum in noſtra Metropoli, ut de hac nova Dignitate Principi Vicecomiti gratularentur, teſte Manfredino de Muſſis *in Chronico Placentino*, publici juris facto in XVI. *Rerum Italicarum* Volumine. Actæ ſunt ſolemnes cæremoniæ in patenti area, jacente ante Baſilicam Ambroſianam, Ducalem Coronam imponente Capiti Joannis Galeatii Cæſareo Nuncio Beneſchio. Epiſcopus autem Novarienſis Filargus diſertiſſimam Orationem habuit ex alto ſuggeſtu, a Scriptoribus plurimùm

rimùm commendatam, utpote dignam tanto Principe, ad Mediolanenſe imperium evecto, totque nobilium Auditorum frequentiâ. Extat hæc Oratio in MS.tis Bibliothecæ Ambroſianæ, quæ ita exorditur: *Ecce teſtem populi dedi eum, Ducem & præceptorem gentibus*. Iſaiæ Cap. LV.

Mortuo Mediolanenſi Archiepiſcopo Antonio Salutienſi Anno MCDI., ùt ſuperiùs adnotavimus, inſtitutus eſt Eccleſiæ noſtræ Archipræſul Petrus Filargus, Bonifacio IX. Pontifice Maximo illum e Sede Novarienſi ad Ambroſianæ Eccleſiæ regimen transferente Anno MCDII. Interim raptus eſt ab hac luce Joannes Galeatius Vicecomes in Caſtro Mellignani, dum eſſet in reditu Mediolanum ab Urbe Florentia, quam obſidebat, metu peſtis quæ ibidem graſſabatur. Condiderat tamen ultimas Tabulas, in quibus Tutorem filiorum ſuorum conſtituit Petrum Filargum. Delatum eſt in hanc Metropolim ejuſdem Cadaver eâ regiâ pompâ, quam Corius & Ripamontius deſcribunt; ſolemneſque inferiæ actæ ſunt in Metropolitana Baſilica, Archiepiſcopo noſtro Petro ad Altare Majus Pontificale Sacrum & funebres cæremonias peragente.

Adminiſtratione rerum Mediolanenſium ſuſceptâ ab Archiepiſcopo, ob inexpertam adhuc regiminis ætatem Filiorum, quos hæredes imperii reliquerat Joannes Galeatius genitor, cenſuêre Principes & Primores Civitatis, placandum eſſe in primis Summum Pontificem, qui cauſâ iteratæ defectionis a Guelfa parte ad Gibellinam, plurimum indignationis contra Vicecomitum Familiam fovebat. Quamobrem miſſus eſt nomine Hæredum defuncti Ducis, & Reipu-

blicæ

blicæ Mediolanenſis Romam Legatus ipſemet Archiepiſcopus. Verùm re infectâ Mediolanum reverti debuit, cùm inexpiabili ardentem irâ reperiſſet Supremum Hierarcham. Itaque ad gerenda ardua negotia, quæ & temporum difficultates, & tutelæ Principum munus ab ipſo exigebant, incubuit. Neque tamen oblitus eſt Eccleſiæ ſuæ, cui regendæ præerat; atque ob id e Domicilio, in quo degebat in regione Portæ quæ appellatur Romana, ſeſe tranſtulit ad Archiepiſcopale Palatium, in quo demoratus, Pauperum præcipuè Senum indigentiæ conſulere ſtatuit. Proinde eoſdem primò in diverſis hujus Metropolis Cœnobiis collocavit; dein in Xenodochio Sancti Lazari, in Romana ſuperiùs memorata Porta colligendos curavit, donec in Hoſpitio Archiepiſcopalibus Ædibus proximo poſtmodum propriam domum haberent, aſſignatâ etiam amplâ Dote ad commodum illis præſtandum incolatum, & alimenta ſubminiſtranda. Hæc Sedes Pauperibus Senibus conſtituta, a Sancto Carolo Borromeo Mediolanenſi Archiepiſcopo tranſlata eſt ad Vercellenſem Portam, in altero parato iiſdem Domicilio, Anno MDLXXIV., ut liberæ Ædes illæ inſervirent habitationi Sacerdotum & Canonicorum, qui perſolvendis in Metropolitana Baſilica Divinis Officiis aſſiduam operam navabant. Relicta tamen eſt memoria tam inſignis liberalitatis, exercitæ erga pauperes haſce Oves ſuas a Petro Archipræſule noſtro, in Lapide qui adhuc viſitur in novo Senum Hoſpitio, hiſce verbis:

ALE-

Digitized by Google

ALEXANDRO V. PONTIFICI MAXIMO,
DOCTISSIMO AC VERE SANCTISSIMO,
QUI MEDIOLANENSI ORNATUS INFULA
EGENÆ SENECTUTI ALTRICES HASCE ÆDES CONDIDIT,
ATQUE INOPIAM
QUAM IN FRANCISCANA FAMILIA AMARE DIDICERAT,
LARGA STIPE LOCUPLETAVIT,
AD PERENNEM BENEFICENTIÆ MEMORIAM
HUJUSCE GERUNTROPHII MODERATORES
M. PP.

Coſimus Melioratus creatus fuerat poſt Bonifacium IX. demortuum Summus Pontifex, ſub nomine Innocentii VII., Anno MCDIV. cùmque de augendo Cardinalium numero conſilium cepiſſet, ſequenti anno, die XII. Junii, Feriâ VI. quatuor Temporum, undecim Collegio Purpuratorum adſcripſit. Inter eos adnumeratus eſt etiam Archiepiſcopus noſter Filargus: Ceteros recenſent Raynaldus & Pagius junior. Quod hìc a nobis obiter adnotandum putamus, Patria eſt, quæ illi tribuitur, quæque juxta conſuetum morem omnibus Cardinalibus adjicitur, cùm eorum nomina evulgantur. Ea autem ita jacet in nomenclatura Cardinalium: *Petrus Filargus*, *Archiepiſcopus Mediolanenſis*, *Patriâ Cretenſis*; hoc namque antiquo publicoque teſtimonio, ſi non ad plenam fidem, non modicè ſaltem roboratam ſententiam noſtram videmus, ab initio indicatam, videlicet Archipræſulem hunc noſtrum fuiſſe in Græcia natum.

C Anno

Anno MCDVI., die XVII. menſis Junii delectus eſt Cardinalis Archiepiſcopus Mediolanenſis ab Innocentio VII. Summo Pontifice ab obeundas Legationes ad Patriarchas Aquilejenſem & Gradenſem, necnon ad Provincias Langobardiæ & Liguriæ *pro ſalute* (ùt loquitur Pontificium Diploma) *Principum*, *Nobilium*, *& Civitatum*. Eodem Legati munere ipſum inſignivit Succeſſor Innocentii Gregorius XII. Anno MCDVIII., ut ebullientes in hac Metropoli acres diſcordias componeret ac ſedaret; eâque occaſione interfuit condendis publicis Tabulis, quibus ad concordiam redacta eſt gravis contentio, quæ inter Monachos Chartuſiæ Ticinenſis, & Monachos Sancti Lanfranci Urbis Papiæ agitabatur.

Præcedenti Anno MCDVII. in pleno Cœnobitarum Sancti Victoris Mediolani Conſeſſu renunciatus fuerat in Abbatem Vincentius de Plattis; quamobrem illius Aſceterii Monachi ſupplicem Libellum Romam miſerunt, ut auctoritate Summi Pontificis Gregorii XII. in ea Dignitate confirmaretur. Annuit Pontifex Maximus, Breveſque literas ad Cardinalem Petrum Tituli Sanctorum XII. Apoſtolorum, & Mediolanenſem Archiepiſcopum dedit, expeditas XI. Calendas Februarii, Pontificatûs anno primo, ut nomine ſuo memoratum Vincentium, Abbatem inſtitueret; præſtito tamen in ejuſdem manibus juramento fidelitatis Sanctæ Romanæ Eccleſiæ. Acceptis hiſce Literis per manus Patris Franciſci Creppæ Minoris Obſervantiæ, Vicarii & Auditoris Generalis prædicti Cardinalis, Pontificia mandata implevit Archiepiſcopus noſter, Divinoque Sacrificio ad Altare Sancti Victoris celebrato, inter Miſſarum Solemnia juramentum fidelitatis accepit, & Apoſto-

ſtolica auctoritate eidem Vincentio benedictionem conſuetis cæremoniis impendit. Aſſervantur archetypæ hæ Literæ in Archivo Cœnobii Sancti Victoris.

Gemebat adhuc ſub infauſtiſſimo Schiſmate ſuperiùs relato diſſecta in partes univerſa Eccleſia; utque tamdem hiſce Æmulorum diſſidiis eradicandis ultima falx admoveretur, non aliud Summis Præſulibus præſentius remedium viſum eſt ſupereſſe, quàm Generale convocandum Concilium. Mortuo Innocentio VII. delectus fuerat in Pontificem Maximum Gregorius XII., hac tamen appoſitâ conditione, quòd ſi Benedictus XIII., qui ſibi deberi Pontificiam Sedem, illegitimè quamvis, prætendebat, revocari ad concordiam potuiſſet, ipſe quoque Pontificatum deponeret. Omnibus itaque diſpoſitis, indictum eſt Piſis Generale Concilium; miſſique ſubinde fuere Legati ad memoratum Benedictum, ad omnes Antiſtites, ad Reges & Principes nationum, quæ Catholicæ Eccleſiæ obediebant, ut illud celebraretur. Inter Cardinales & Archiepiſcopos, qui Piſas confluxerant, recenſent Scriptores Petrum Filargum. Imo eidem commiſſa eſt a Concilio Legatio ad Benedictum XIII., ut eum flecteret ad ſe ſiſtendum huic venerabili Congreſſui, eo potiſſimùm fine, ut Schiſma prorſus aboleretur. Legatus inde fuit idem Purpuratus Archipræſul Mediolanenſis unà cum tribus aliis ad Gregorium XII., Arimini morantem a Cardinalibus in ea Synodo collectis, ut ſtato die ad eamdem ſe conferret. Interea cùm adveniente XXV. die Martii, Beatiſſimæ Virginis Mariæ Annunciationi ſacra, & jam indicta, apertum fuiſſet Concilium, & in caſſum cecidiſſent Legationes memoratæ; poſt nonnullas Seſſiones

actas, ſedulaſque induſtrias adhibitas, ut Æmuli duo de Pontificatu contendentes, ad ineundam concordiam in Synodo coirent; die tamdem V. Junii, Anni MCDIX. celebrata eſt XVI. Seſſio, in qua omnium eorum Cardinalium & Præſulum ſuffragiis, qui frequentes in Concilio aderant, quorumque numerum recenſent Raynaldus, Labbeus, & Pagius junior, lata eſt in utrumque depoſitionis ſententia, omnibus iis firmata momentis, quæ in editis Actis leguntur. Declaratâ itaque, ob depoſitos abortivos duos Pontifices, vacatione Apoſtolicæ Sedis, ſuſceptum eſt conſilium, ac initum Scrutinium ad eam implendam novo legitimo Supremo Hierarcha. Die autem XXVI. ejuſdem menſis in Archiepiſcopali Piſano Palatio, ubi tamquam in Conclavi ſeſe incluſerant Purpurati Patres, electus eſt in Summum Pontificem Archiepiſcopus Mediolanenſis Petrus Filargus, Presbyter Cardinalis, Tituli Sanctorum XII. Apoſtolorum, qui Nonis Julii, ſacris omnibus expletis cæremoniis Coronationis, peractæ a duobus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalibus, nomen aſſumpſit Alexandri V.

Modico tamen temporis ſpatio in hac Dignitate ſupervixit Alexander; cùm enim manum admoviſſet unioni Græcorum cum Latinis, exſtirpandæ Simoniæ, ac evellendis Schiſmatis fibris, reſtituendæ terris paci, corruptelis vitiorum tollendis, & virtutibus reducendis, ùt ex Sigonio *in Epiſcopis Bononienſibus* ſcribit Oldoinus, Bononiæ, ad quam Urbem ſeſe e Piſano ſolo, lue infecto, receperat, decimo poſt Electionem menſe & diebus octo, nocte inter III. & IV. Maji, Anni MCDX. deceſſit e vita; non ſine veneni ſuſpicione ſublatus, ùt unanimi conſenſu tradunt Scriptores. Solemnibus per-

peractis inferiis ſepultus eſt in Eccleſia Fratrum Minorum ejuſdem Urbis. Elogia, quibus Hiſtorici illuſtravere Alexandri V. memoriam, paſſim occurrunt in eorum Voluminibus, qui de Romanorum Pontificum geſtis egerunt. Sufficiat hìc tantùm, Ægidii Cardinalis Viterbienſis teſtimonium afferre: *Pauperibus levandis ita ſtuduit, ut nihil omnino ſibi reſervaret*. Subdit autem Pagius junior, ab aliis Auctoribus aſſeri, Alexandrum V. fuiſſe magno evectoque animo, ſummâque prudentiá præditum.

Adminiſtravit Eccleſiam Mediolanenſem annis ſeptem, ab Anno nempe MCDII, ad Annum MCDIX, quo creatus Pontifex Maximus, alterum ſuffecit Mediolanenſem Archiepiſcopum, ùt mox videbimus.

Antequam tamen calamum ab hinc removeamus, coronidis loco libet apponere quod Pagius junior *in Vita Alexandri V.* ſcriptum reliquit; poſt allata namque verba Theodorici Niemi, qui inquit: *Hic fuit natione Græcus, natus in Inſula Candiæ, quæ per Venetos occupatur*, ſubdit: *Poſt teſtimonium Auctoris, tunc in Curia Alexandri viventis, non video, qua ratione quidam recentiores ſcribere potuerint, eum fuiſſe vel Novarienſem, vel Bononienſem, vel Papienſem, eâ præſertim conjecturâ innixi, quòd numquam Cretenſis appellatur, ſed de Candia; quaſi verò Theodoricus Niemus ignorare potuerit, Cretam Inſulam ſuo tempore jam dictam fuiſſe Candiam*. Porro, ſi hæc cum iis, quæ ſub initium retulimus, conferantur, Sole clarius reddunt, Petrum hunc primam in Græcia lucem vidiſſe.

FRAN-

FRANCISCUS II. CREPPA.

POſt aſſumptum ad Cathedram Pontificiam Petrum Filargum, Franciſcus de Creppa Mediolanenſis, Ordinis Fratrum Minorum Sancti Franciſci, ſacris Literis apprimè inſtructus, Theologicæ præſertim Scientiæ laude ac magiſterio commendatiſſimus, ab eodem Alexandro V., in vacua a ſe relicta Mediolanenſi Sede ſubſtitutus eſt Archiepiſcopus die XXIII. Novembris Anni MCDIX., quemadmodum teſtatur Ughellus ex Scripturis genuinis, quas ipſemet in Archivo Vaticano perlègit. Extat etiam *in Annalibus Ordinis Sancti Franciſci*, a Wadingo editis, Tom. IX., teſtimonium hujus rei, decerptum ex Literis ipſis Alexandri V., his verbis relatum: „ Alexander (V.)
„ Pontifex Archiepiſcopatum Mediolanenſem, a ſe per aſſum-
„ ptionem ad Summum Pontificatum dimiſſum, contulit Fr.
„ Franciſco de Creppa, Provinciali Mediolanenſi Ordinis Mi-
„ norum, qui Concilio, uti ſcribit Rodulphus, interfuit Pi-
„ ſano. Ita refert ipſe in Diplomate, dato Idibus Februa-
„ rii, in quo hæc habet: *Attendentes, quòd Mediolanenſis Pro-*
„ *vincia, per aſſumptionem Venerabilis Fratris noſtri Franciſci,*
„ *tunc ejuſdem Provinciæ Miniſtri ad Eccleſiam Mediolanenſem, op-*
„ *portuno Miniſtri regimine præſentialiter remanet deſtituta* &c.,
„ deſtinat *Franciſcum de Crivellis*, in Sacra Pagina Magiſtrum
„ Provinciæ, Mediolanenſis ejuſdem Ordinis Provincialem.

Impleverat Franciſcus noſter optimè munus Generalis Vicarii

carii in Epiſcopali Novarienſis Eccleſiæ Curia, cùm idem Petrus Filargus Antiſtes illi præeſſet: Neque officium memoratum dimiſit, cùm Ambroſianæ Eccleſiæ Solium conſcendiſſet Filargus, a Summo Pontifice Bonifacio IX. translatus e Novarienſi Sede ad Archiepiſcopatum Mediolanenſem; ſed in ipſomet gradu perſeveravit in hac Metropoli apud Archiepiſcopum noſtrum, ùt autenticis Documentis comprobat Lazarus Auguſtinus Cotta *in Muſæo Novarienſi*, noſque paulò ſuperiùs compertum fecimus ex Archivo Cœnobii Sancti Victoris Mediolani.

Contigit Franciſco de Creppa novus hic honor, turbulentiſſimis iis temporibus, quibus & exteris bellis, & civilibus diſcordiis Metropolis noſtra agitabatur: Quamobrem Joannes Vicecomes, Familiæ ſplendore & gratiâ Principum elatus, adnitente præſertim Carolo Malateſta, Arimini & Piſauri Domino, curavit, ut a Gregorio XII. jam exauctorato, ſed Pontificiam adhuc auctoritatem uſurpante, in Archipræſulem Mediolanenſem inſtitueretur, votique ſui factus eſt compos. Malè hanc rem narravere Ripamontius, & Cotta laudatus, aſſerentes, ſubrogatum fuiſſe Franciſco de Creppa Joannem Vicecomitem ab ipſomet Alexandro V. Pontifice Maximo, exorato a Principe Malateſta, cum quo peculiari amicitiæ vinculo, antequam Pontificatum iniret, obſtringebatur: Quàm enim falsò ſcripta hæc ſint, docet celerrimus illius Pontificis obitus, necnon Patriæ Hiſtoricorum ſilentium, & depoſitio hujuſmet Joannis, acta in plena Conſtantienſi Synodo, tamquam illegitimè creati Mediolanenſis Archiepiſcopi a Gregorio XII., ùt ſuo loco referemus. Illud dubio procul con-

Digitized by Google

conſtat, Joannem adeò pertinaciter obſtitiſſe Franciſco Archiepiſcopo, ne Eccleſiæ ſibi commiſſæ poſſeſſionem iniret, ut longè ab hac Metropoli vagari exul debuerit, uſque ad initium Anni MCDXIV., quo ſpiritum Deo reddidit; poſtquam Ambroſianæ Eccleſiæ præfuiſſet annis quinque incompletis, quin ob Æmuli violentam dominationem ulla regiminis ſui veſtigia in hac noſtra Urbe relinquere potuiſſet.

Gloriatur, & quidem meritò Ughellus, quòd in Epiſcoporum Mediolanenſium Seriem induxerit hunc Antiſtitem, ab omnibus Patriæ noſtræ Scriptoribus paſſim omiſſum. Non eo tamen titulo ſiluiſſe iſtos cenſemus, ùt ipſe aſſerit, quia nempe abſens ſemper fuerit ab hac Eccleſia, atque ideò induſtriam Scriptorum fefellerit; alios namque Archiepiſcopos retulimus, in Catalogis omnibus adnotatos, qui de cetero numquam limites hujus Metropolis ſalutavere. Potiùs exiſtimabimus, id accidiſſe ob præpotentiam Vicecomitum Familiæ, qui Joannem ex eadem Stirpe progenitum impensè fovebant; atque ideo omnem hujus Franciſci memoriam obliterari curaverint.

BAR-

BARTHOLOMÆUS CAPRA.

PAulò poſt obitum Franciſci de Creppa, viduæ Mediolanenſi Eccleſiæ datus eſt Paſtor Bartholomæus Capra, VII. Idus Februarii, Anni MCDXIV. Præpoſituram ille Eccleſiæ Sancti Juliani, octavo ab hac Metropoli lapide in via Romana diſſitam obtinuerat rexeratque: Subinde a Secretis Innocentii VII. Summi Pontificis delectus, demoratus eſt Romæ; poſtmodum verò ab eodem Pontifice Maximo creatus Epiſcopus Cremonæ, ad eam Eccleſiam adminiſtrandam profectus eſt. Ughellus tradit, Bartholomæum Capram in ea Sede conſtitiſſe ab Anno MCDV., ad XII.; poſtea, cùm in ſuſpicionem veniſſet Joannis XXIII. Summi Hierarchæ, adhærere illum Gregorio XII. æmulo ſuo moleſtiſſimo, Epiſcopali Dignitate fuiſſe ſpoliatum: perſpectâ tamen ſubinde ejuſdem integritate, Anno MCDXIV., ſplendidiore Solio fuiſſe ab eodem Supremo Pontifice donatum, Mediolanenſi nempe Archiepiſcopatu. Hæc omnia eruta fuiſſe e Codicibus Vaticanis minimè dubitamus, cùm in iis pervolvendis diligentem operam Ughellus præſtiterit.

Non expers tamen etiam Bartholomæus Capra fuit vexationum, quas contra ipſum movebat Joannes Vicecomes, falsâ opinione ductus, ſe optimo jure Sedem Mediolanenſem jamdudum tenere. Nec fomenta deerant Principis ipſius Philippi Mariæ Vicecomitis, qui Conſanguineum hunc ſuum patrocinio fovebat ad vindicandum ſibi hunc honorem. Conſ-

piciens itaque novus Antiſtes, ſibi præpediri viam ad capiendam Archiepiſcopalis Dignitatis poſſeſſionem, Romam confûgit. Subinde verò, cùm indictum fuiſſet a Joanne XXIII. Conſtantienſe Concilium, illuc properavit, Cauſamque ſuam Sacro illi Senatui dijudicandam obtulit. Sanè ex Actis ejuſdem Concilii, a Labbeo relatis, conſtat, Archiepiſcopum hunc noſtrum interfuiſſe Seſſioni XIV., & Congregationi Generali. Itaque ritè expenſis rationum momentis, quibus Cauſa Mediolanenſis Antiſtitis Bartholomæi innitebatur, collecti Patres Sententiam contra Joannem Vicecomitem, vitio & abſque ordine creatum Archipræſulem, pronunciaverunt, eumque jure omni ac Dignitate ipſa denudavere, confirmato in eâdem Bartholomæo. Lætitiâ exundans ob hanc rem proſperè exactam, Mediolanum advolavit Archiepiſcopus noſter, atque in Baſilica Sancti Ambroſii, Solemni Sacro ab illius Cœnobii Abbate celebrato, legi ab eodem juſſit Diploma, quod ſecum attulerat, Concilii Conſtantienſis. Verùm ne hìc quidem contigit frui tranquilla pace; exorto namque tumultu Sacerdos quidam violento auſu a legentis Abbatis manibus Chartam abripuit, gladio eamdem dilacerans; & evaginatis a Complicibus ſuis illico enſibus, incondito ſtrepitu Templum illud atque horrore complevit, itaut vix incolumis ab iis turbis ſeſe in tutum recipere Antiſtes Capra potuerit, Arcem Jovis ingrediens, ac poſtmodum Romanum iter clanculò ſuſcipiens, ut ab injuriis inſidiiſque Adverſariorum & decus ſuum, & vitam tutaretur.

Acquievere interim animi Joannis Vicecomitis æmuli, ejuſdemque Fautorum, qui depoſitâ irâ odiiſque, patentem cam-

campum capeſſendæ ſuæ Dignitati Bartholomæo reliquerunt. Quamobrem admonitus de felici exitu Antiſtes noſter, Mediolano ſe reſtituit, gratiamque iniit Philippi Mariæ, adhibitus ab ipſo ad illuſtria munera obeunda. Primò enim, cùm ſecretò Nuptias cum Amedei Sabaudiæ Principis Filiâ ſtatuiſſet, Legatum ad eumdem miſit Bartholomæum Capram, nobili comitatu ſtipatum, ut illam publicè in uxorem expoſceret. Poſtmodum Legatione iſta egregiè perfunctum Archiepiſcopum delegit expedivitque ad Genuenſem Civitatem, ut eam ſuo nomine moderaretur. Refert iſta Andreas de Biliis *in Hiſtoria Mediolanenſi*, edita Tom. XIX. *Scriptorum Italiæ*, eo tempore in hac Urbe vivens. Aſſervatur quoque inter MStos Codices Bibliothecæ Ambroſianæ Epiſtola latina, data Genuæ, die VIII. Aprilis, Anni MCDXXIX. ad Franciſcum de Barbavariis, & Aloyſium de Crottis, ambos a Secretis Ducis. Hinc autem facilè argui chronologici erroris poteſt Ughellus, qui Archiepiſcopum hunc noſtrum exulem Romæ conſtitiſſe, poſt tumultum in Ambroſiana Baſilica excitatum, tradidit uſque ad Franciſci Sfortiæ tempora; cùm honeſtatum conſpicuis muneribus multò ante, Mediolani a Philippo Maria Vicecomite Bartholomæum viderimus.

Illuſtraverat Anno MCDXVIII. Metropolim Mediolanenſem adventu ſuo Martinus V. Pontifex Maximus, dum in reditu eſſet ad Romanam Urbem a Concilio Conſtantienſi, in quo delectus fuerat in Supremum Hierarcham. Exceperat illum Dux Philippus Maria regiâ eâ pompâ, quam minutim deſcribit Bernardinus Corius, & ex eo Ripamontius; reliqueratque perenne ſuî monumentum in Metropolitana Ba-

ſilica, conſecratâ Majori Arâ ſolemnibus cæremoniis. Galeſinius *in Tabula Mediolanenſium Archiepiſcoporum* gloriam Bartholomæo Capræ attribuit, quòd hoſpitio auguſtiſſimo Martinum V. receperit; cùm tamen nihil minus referant Hiſtoriæ noſtræ Scriptores; imo aſſerant, hunc Pontificem Summum moratum fuiſſe in Aula Philippi Mariæ Ducis iis diebus, quibus dignatus eſt præſentiam ſuam noſtris Civibus indulgere, nulla prorſus Archiepiſcopi facta mentione, qui tunc, ùt diximus, Romam confugerat: Inde poſtmodum Conſtantiam perrexit, atque ibidem adhuc moram ducebat eo ipſo tempore, quo Martinus Mediolanum ingreſſus fuerat, quemadmodum conſtat ex Charta Commutationis diei XVI. Septembris Anni MCDXX., aſſervata in Archivo Baſilicæ Collegiatæ Sancti Georgii ad Palatium, in qua legitur deſignatus in Vicarium Generalem hujus Metropolitanæ Eccleſiæ Abbas Monaſterii Sanctorum Fauſtini & Jovitæ Brixienſis Civitatis Betetus Trivultius, per Literas patentes receptas & expeditas a Bartholomæo Capra Mediolani Archiepiſcopo ab Urbe Conſtantia Anno MCDXVIII., die XX. Martii.

Acceſſit huic Metropoli alterum gloriæ incrementum ex adventu Mediolanum Sigiſmundi Imperatoris. Edixerat peculiari Decreto, quod refert in calce Hiſtoriæ ſuæ Andreas de Biliis, expedito ad Civitatis Magiſtratus Philippus Maria Vicecomes Dominus, ut ingrediens mœnia Cæſar, omni magnificentiæ & publici gaudii apparatu exciperetur. Cùm itaque biduo ante Feſtum diem, Sanctæ Catharinæ Virgini & Martyri dicatum, Sigiſmundus adfuiſſet, perſonuerunt Eccleſiarum omnium æra Campana, obſtrepuere undique feſtivi plauſus Ci-

Civium, collecti demum ſunt in ampla Sancti Ambroſii area milites omnes equites pediteſque, ſub Duce ſuo Nicolao Picenino, diſtributique etiam per vias, ut Imperatorem comitarentur. Per noctem verò funalia accenſa ubique emicabant, ludicrique ignes ingenioſo artificio in tubulis ſuis latentes atque per ordinem erumpentes, jucundum ſuî ſpectaculum omnium oculis exhibebant. Adveniente die XXV. Novembris Anni MCDXXXI., qui in Dominicam incidebat, ùt referunt Andreas Bilia & Bernardinus Corius, parata ſunt omnia in Baſilica Ambroſiana, ut ſolemnis Sigiſmundi inauguratio fieret in Regem Italiæ. Bartholomæus Capra Archiepiſcopus noſter cæremonias omnes de more peregit, benedictionem eidem impertiens, pretioſum annulum digito inſerens, denudatum enſem dexterâ porrigens, ferream Coronam capiti imponens, ſubinde Sceptrum dexteræ, & aureum globum ſiniſtræ, tamquam Italici Regni Inſignia committens, ſummâ Procerum & populi adſtantis exultatione, quemadmodum laudatus Corius deſcribit.

Indictum fuerat alterum Generale Concilium, Baſileæ celebrandum, a Martino V. Summo Pontifice Anno MCDXXIV., ſed protractum fuerat uſque ad Annum MCDXXXI., quo vitâ deceſſit Pontifex ille die XX. Februarii. Quocirca Eugenius IV. in Succeſſorem creatus ſub initium Martii, ipſius indictionem confirmavit, aperuitque Concilium die XXIII. Julii ejuſdem anni, ut ſerpenti per Boëmiam hæreſi mederetur, & pro Eccleſiæ quiete, ejuſque reſtauranda diſciplina univerſorum Patrum conſenſu Statuta decernerentur. Illuc ſe contulit etiam Bartholomæus Capra Archiepiſcopus Mediola-

lanenſis, operam ſuam conſiliumque in tam gravi negotio præſtiturus. Extant Literæ Philippi Mariæ Vicecomitis Mediolani Ducis, datæ ad Concilium Baſileenſe, in collectione Petri de Monte Epiſcopi Brixienſis; quas intulit Clariſs. Pater Manſi in IV. Volumen *Additionum ad Concilia Labbei*. Ita verò ſub initium habent: *Poſtquam Literas vobis dedimus, omnis cura & diligentia verſata eſt in accelerandis Oratoribus ac Prælatis; & ita factum eſt, ut jam omnes in procinctu veniendi ſint; ſtatimque habitis Literis veſtris, magis atque magis acceleravimus iter eorum, & certi quidem reddimur, quòd in breviſſimo ſpatio illic eos vobiſcum habebitis, Reverendiſſimum ſcilicet B.* (Bartholomæum) *Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum, primum inter Prælatos Italicæ nationis, quo nullum digniorem, nullum præſtantiorem habemus, & cum eo duos inſignes ac ſingulares Viros* &c. Chronicæ notæ huic Epiſtolæ appoſitæ in calce, nos docent profectionem Bartholomæi Archiepiſcopi ad Concilium contigiſſe ſub initium Februarii Anni MCDXXXIII., ita enim ſe habent: *Dat. Mediolani die I. Februarii, Anni MCDXXXIII.*

Verùm, ne religioſiſſima vota ſua impleret Archipræſul iſte, mors obſtitit, quæ illum terris ſubripuit die XXX. Septembris, ejuſdem anni. Ughellus allatâ hac Epocha mortis Bartholomæi, propendêre ſe indicat in alteram opinionem, mortuum videlicet fuiſſe hunc noſtrum Antiſtitem Anno MCDXXXV., eam enim magis congruere ait cum Actis Conſiſtorialibus Vaticanis, quæ Succeſſoris electionem in hunc ipſum annum rejiciunt. Neſcimus tamen, quomodo hæc ſcribere potuerit Ughellus, cùm ipſemet paulò infra loquens de

Fran-

Franciſco Picolpaſſo, ſuffecto in Bartholomæi Sedem, apertè profiteatur, electum eum fuiſſe Mediolanenſem Archiepiſcopum die XXIX. Julii Anni MCDXXXIII. Hæc adeò inter ſe pugnantia componere minimè valemus, niſi in oſcitantiam amanuenſium alicubi unum pro alio menſem vel annum adnotantium, culpam rejiciendo.

Juxta calculum noſtrum adminiſtravit Bartholomæus Capra Eccleſiam Mediolanenſem Annis XIX., menſibus VII., diebus XXIII. Sepultus autem eſt Baſileæ, appoſitâ hac funebri Inſcriptione, a Maffeo Vegio poëtico metro confectâ.

QUEM LEGIS INSUBRIS PRÆSUL CLARISSIMUS URBIS
CAPRIGER HAC SITUS EST BARTHOLOMÆUS HUMO.
VIR RECTUS PRÆERAT POPULIS, ET JURA FEREBAT,
DIVA HUIC MENS, DIVUM JUDICIUMQUE FUIT.
ORATORQUE SUO VATESQUE INSIGNIS IN ÆVO,
INSIGNI DOCTOS AUXIT HONORE VIROS.
EXTINCTUM HUNC MAGNI REGES FLEVERE DUCESQ;
TESTATA EST FLETUS PATRIA MŒSTA SUOS;
QUÆQUE VIRUM RAPUIT, LACRYMAS BASILEA PROFUDIT,
ET QUOD CONCILIUM COGERAT IPSA SACRUM.
DEBUERANT DURÆ TANTISPER FERRE SORORES,
TARDIUS ET VITÆ SOLVERE PENSA SUÆ.

TUNC

TUNC IBI PAX TERRIS QUAM MIRO ARDEBAT AMORE
REDDITA; TUNC CŒLO RESTITUENDUS ERAT.
SED DEUS ACTUTUM SEDES ORNARE SUPERNAS
CONSULTUMQUE SUIS MALUIT IRE BŎNIS.
FECERAT EXTINCTAS ITERUM FLORERE CAMŒNAS,
CAPRIGER, HAC SACRA QUI REQUIESCIT HUMO.
IMPERIO GRATUS, SUMMO GRATISSIMUS OLIM
PONTIFICI, SOLES REXERAT ILLE DUOS.
ILLUSTRI TANTUM PLACUIT SUA VITA PHILIPPO,
PRÆSUL UT INSUBRUM MAXIMUS INDE FORET.
CONFECTUS SENIO, GRAVIBUSQUE ATTRITIOR ANNIS
CONCILIO ACCITUS CONCILIUM PETIIT.
MORIBUS ORNANDIS PACIQUE INTENTUS, AGEBAT
CRESCERET IN TUTO UT LIMITE SANCTA FIDES.
PROTINUS EXTREMI CONTRAXIT LYCIA FUSI,
SIC PLACITUM, PATRIÆ UT DARET OSSA SUÆ.
NATUS IN ANTIQUA CLARA DE STIRPE CREMONA,
ITALIÆ PRIMAS BARTHOLOMÆUS ERAT.
OSSA SUB EXIGUO CLAUDIT BASILEA SEPULCRO:
NOMEN UBIQUE VIRI, SPIRITUS ASTRA TENET.
EXTINCTUM VATES VESTRUM DEFLETE PARENTEM:
CARMINIBUS VIVAT, CARMINA QUI COLUIT.

Fe-

Digitized by Google

Ferunt Scriptores noſtri, præſertim Donatus Boſſius *in Chronicis*, cui adhæret Ughellus, tantâ religione hunc Archiepiſcopum noſtrum coluiſſe Doctorem maximum Sanctum Hieronymum, ut duobus ante obitum menſibus monitus ab eodem fuerit de morte imminente; quod etiam vitæ exitus comprobavit, cùm eodem prorſus die atque horâ ſibi prædictâ deceſſerit, diſtributis priùs in pauperes opibus ſuis fortuniſque ac ſupellectile.

FRANCISCUS III. PICOLPASSUS.

SUbrogatum fuiſſe Franciſcum Picolpaſſum in Sedem Bartholomæi Capræ demortui, eomet anno, quo iſte vivere deſiit, Chroniſtæ Mediolanenſes ſcriptis tradidere, & ipſe etiam Ughellus a ſe diſcrepans, ùt ſupra indicavimus, iiſdem conſentit. Ne tamen huic opinioni confirmandæ faciles manus demus, cogit nos teſtimonium fide digniſſimum illiuſmet ævi, quod mox ſubjiciemus. Cuſtoditur in Metropolitana noſtra Bibliotheca Pontificale, elegantiſſimè ſcriptum ornatumque, quo utebatur Picolpaſſus, cùm Sacra Solemnia celebraret. In calce ejuſdem Franciſcus a Cruce, qui primus Primicerii Majoris Dignitatem, ad quam a Clero evectus antea fuerat, in Ordinariorum Collegium perpetuò induxit, propriâ manu iſta adnotavit: *Hoc tam ſolemne & ita completum Pontificale, eſt Eccleſiæ Metropolitanæ Mediolanenſis, quod donavit ipſi Eccleſiæ ſuæ, digniſſimæ memoriæ quondam Dominus Franciſcus de Pizolpaſſis, natione Bononienſis, Archiepiſcopus Mediolanenſis, cum multis aliis Solemnium Librorum voluminibus, in Sacriſtia Meridionali incatenatis, qui priùs fuerat Epiſcopus Aquenſis in Vaſconia, poſtea Papienſis, & ultimò Archiepiſcopus noſter, Dominus ingentium virtutum, & clariſſimæ famæ, qui anno ſeptimo ſui Pontificatûs defunctus eſt, & in Eccleſia ſua, ante Altare Majus novæ Eccleſiæ ſepultus MCDXLIII., & ſedit annos VII., menſes III., dies V. Et ita teſtor ego Franciſcus*

Digitized by Google

ciſcus de la Cruce de Mediolano, Primicerius & Ordinarius ipſius Eccleſiæ, qui tanti Domini fui Vicarius Generalis, & ut filius ſummè dilectus. Porrò hinc apertiſſimè patet, differendam procul dubio eſſe Picolpaſſi deſignationem in Archiepiſcopum Mediolanenſem, nempe circa biennium a morte ſui Deceſſoris, itaut ab Eugenio IV. Pontifice Maximo creatus fuerit Anno MCDXXXV., ſi componi debeant ſeptimus regiminis annus, menſeſque ac dies ſuperiùs memorati, cum Anno MCDXLIII, qui fuit illius vitæ poſtremus. Admirationem autem nobis minimè ingerit longior hæc mora, cùm apprimè notum ſit, moleſtiſſimis tunc curis implicitum fuiſſe Summum Hierarcham Eugenium, qui transferre Bononiam meditabatur Concilium Baſileenſe ob difficultatem itinerum, undique obſitorum armis Germaniæ Principum invicem depugnantium, Burgundiæ nempe & Auſtriæ Ducum.

Indoles magnanima, & Literarum ſtudium, conſtantiſſimæ in Deum religioni ac irreprehenſibili morum integritati conjunctum, Pontifices Summos impulerant, ad Picolpaſſum pluribus Infulis honeſtandum. Primò enim delectus eſt in Epiſcopum Aquenſem Vaſconiæ Provinciæ, quo in loco deſignando plurimùm aberravit Ughellus, qui illum inſeruit Epiſcopis Aquenſibus Provinciæ Mediolanénſis; cùm Franciſcus a Cruce proximè relatus clarè enunciet Aquas Tarbellas in Vaſconia, idemque aſſerant etiam accuratiſſimi Fratres Sammartani *in Gallia Chriſtiana*. Subinde verò ab ea Sede translatus eſt ad Ticinenſem a Martino V. Pontifice Maximo Anno MCDXXVII. Poſt deceſſum autem Martini V. Eugenius IV., cui ejuſdem Picolpaſſi egregiæ virtutes, ingenii atque

animi dotes perſpectæ erant, Franciſcum Romam accivit, ut in Aula Pontificia apud ipſum moraretur, Clericatûs a Cubiculo Dignitatem eidem impertiens. Demum ut viduæ Mediolanenſi Eccleſiæ conſuleret, Picolpaſſum in Ambroſiani Gregis Paſtorem renunciavit Anno ſupradicto MCDXXXV.

Præcipua hujus Archipræſulis ſolicitudo, quam inter alias ſuſcepti Pontificatûs curas ſtudioſiùs amplexus eſt, ea fuit, ut Ritus a primis uſque Seculis in Mediolanenſi Eccleſia inſtitutus, incolumis atque integer ſervaretur. Itaque in hanc rem ſedulò intentus, Divinas laudes quotidie ab Eccleſiaſticis Viris in Choro ac privatim perſolvendas, ad rectum ordinem, antiquis temporibus præſcriptum, reformari curavit, editâ Conſtitutione, quæ jam vulgata a Clariſs. Muratorio in Diſſertat. LVII. *Antiquitat. Italiæ Med. Ævi*, huic loco, in quo de Picolpaſſo Archiepiſcopo agitur, optimè congruit; atque ideo illam denuo typis commiſimus.

Conſtitutio Archiepiſcopalis edita circa Reformationem Officii glorioſiſſimi Pontificis & Patroni noſtri Ambroſii, ad Divini cultus non mediocre incrementum, & evidentem animarum ſalutem & profectum.

„ FRanciſcus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, univerſis & ſingulis Dominis Abbatibus, Prioribus, Præpoſitis, Archipresbyteris, ceteriſque Eccleſiarum Civitatis & Diœceſis Mediolanenſis Prælatis, ac Clericis aliis tam Secularibus quàm

„ Re-

„ Regularibus, necnon Abbatiſſis, Prioriſſis, Monialibus &
„ Religioſis, ac Deo dicatis Ordinum quorumcumque, Divi-
„ num Officium, ſive Horas Canonicas juxta Ritum beatiſ-
„ ſimi Pontificis & Patroni noſtri Ambroſii obſervare deben-
„ tibus, & ad talia obligatis ſalutem in Domino. Si ſin-
„ gulas noſtri Pontificalis officii oneroſas curas continua &
„ diligenti meditatione, mente interna amplectimur, illa am-
„ plius nos agitat atque premit, ut in ſingulis Eccleſiis no-
„ bis ſubjectis, in Hymnis & Canticis, & cum omni di-
„ ligenti ordine Divinorum cultus amplietur; & quæ incuriâ
„ & temporum negligentiâ prætermiſſa eſſe videntur, ſub de-
„ bitæ reformationis regula componamus, ac præteritam in-
„ curiam ſuperveniens diligentia compenſet. Intelleximus nam-
„ que, imo nos ipſi videmus, & experimento quotidiano
„ perpendimus, in Officio beatiſſimi & glorioſiſſimi Patroni
„ noſtri Ambroſii multa, ſecundùm temporum curricula, ne-
„ glectui tradita, plurima omiſſa, nonnulla diverſimodè edita
„ & immutata fuiſſe. Et pro eis reformandis & ad debi-
„ tam normam redigendis curâ ſolicitamur continuâ, & aſſi-
„ duâ meditatione affligimur, ut juxta creditæ nobis Ponti-
„ ficalis diſpenſationis officium, Divinorum laudes noſtræ ſo-
„ licitudinis ſtudio ampliemus. In primis namque videmus,
„ in principio Pſalterii Ambroſiani deſcribi per ſingulas Ec-
„ cleſias, & etiam contineri illud glorioſum laudabile &
„ devotiſſimum Canticum ſive Symbolum, quod incipit *Te
„ Deum laudamus*, Opus quidem illius Sanctiſſimi Patris no-
„ ſtri Ambroſii, præexcellentiſſimi & eloquentiſſimi Doctoris
„ Eccleſiæ, ac glorioſi & excellentiſſimi etiam Eccleſiæ Do-

„ cto-

„ ctoris Auguſtini, in illo ſacratiſſimi ſui Baptiſmatis actu
„ compoſitum, & alternis vicibus per illos Sanctos Patres de-
„ cantatum, plenum quidem omni Divina laude, dulcedine
„ ac devotione. Sed, quod certè non libenter referimus,
„ tam celebris & devota laudatio tantorum Pontificum, duo-
„ rum clariſſimorum luminarium in Dei Eccleſia, Ambroſii
„ ſcilicet & Auguſtini, prætermiſſa plurimùm videtur & ne-
„ glecta. Nam apud nonnullas dumtaxat Eccleſias hujus Ci-
„ vitatis devotè decantatur, & plurimi devoti Clerici priva-
„ tim Officium ipſum dicentes itidem ſervant. Apud alias
„ verò Eccleſias alioſque Clericos hoc multum negligitur.
„ Sicque illud tam ſanctum, tam devotum, tamque ſuave
„ Canticum beatiſſimi Patris noſtri Ambroſii, quod, ùt præ-
„ mittitur, in principio Libri Pſalmorum ſemper deſcribitur,
„ quoad multas Eccleſias multoſque Clericos, fruſtra mem-
„ branas occupat, & nullum fructum in Divinis Officiis, ip-
„ ſorum negligentiâ Clericorum afferre videtur. Hanc igitur
„ tantam negligentiam, ſolicitudine noſtra abolere volentes,
„ imitando quod aliàs ſuper hoc ſalubriter fuerat inſtitutum
„ per clariſſimæ & recolendæ memoriæ Dominum Joannem
„ Vicecomitem Prædeceſſorem noſtrum, ſtatuimus & perpetuò
„ ordinamus, quòd de cetero in ſingulis Eccleſiis Collegia-
„ tis & Conventualibus, ac aliis, in quibus Horæ Canonicæ
„ decantari ſolent vel etiam debent, tam Civitatis quàm
„ Diœceſis, uniformiter de cetero immediatè poſt Lectiones
„ Matutinales diebus Dominicis & aliis Feſtivis & ſolemni-
„ bus, alacri & devoto jubilo cantetur illud ſuaviſſimum &
„ delectabile Canticum & Symbolum in Eccleſia Dei clariſ-
„ ſimo-

„ ſimorum Ambroſii & Auguſtini *Te Deum laudamus*, cete-
„ ra ex more complendo. Idem etiam obſervare teneantur
„ qui Officium dicunt ſine cantu, ut videlicet ipſum Canti-
„ cum ſuo in loco devotè dicant. Illos autem, qui ex ma-
„ jori devotione ultra dictos dies feſtivos & ſolemnes, quod
„ omnibus pariter, ùt eſt dictum, mandatur, ipſum Canti-
„ cum *Te Deum laudamus* dixerint aut etiam cantaverint,
„ nullatenus improbamus; quinimo eos dicimus, majori laude
„ dignos eſſe, & plus meriti apud Deum, apud nos verò
„ majorem commendationem reportare. Quid enim ſuavius,
„ quid dulcius, quid ſanctius, quid denique convenientius
„ eſſe poteſt apud nos, qui Clerici Ambroſiani nuncupamur,
„ quàm quòd Hymnos & devotiſſimos Cantus ipſius Sanctiſ-
„ ſimi Patris noſtri Ambroſii, maximâ accenſi devotione,
„ jugique ac ſedula obſervantia & modulatione apud Sum-
„ mum Deum omnipotentem, pro ſalute noſtra & populi,
„ conſolatione cunctorum, & devotionis augmento decante-
„ mus?

„ Ceterùm, ùt intelleximus, in Eccleſiis tam Civitatis,
„ quàm Dioeceſis, necnon etiam in dicentibus privatim Ho-
„ ras Canonicas tanta eſt diverſitas & diſparitas, propter Ca-
„ lendaria quæ diverſimodè habentur, quòd uno in loco uno
„ modo, alio autem in loco omnino diſpariter, unuſque ea-
„ dem die dicit Officium de uno Sancto, alius autem de
„ alio; aliquando verò Officium de Sancto, & eadem die
„ interdum Officium de Feria dicitur, & etiam decantatur.
„ Volumus igitur, decernimus, ſtatuimus, & perpetuò or-
„ dinamus, quòd de cetero in omnibus & ſingulis Eccleſiis
„ no-

Digitized by Google

„ noſtris, necnon per Clericos dicentes privatim Officia Divina & Horas Canonicas, dicantur ſeu decantentur ipſæ Horæ Canonicæ de Sancto, ſeu de Feria, prout occurret in Calendario, quod de novo & publicè poni & ordinari fecimus in Eccleſia noſtra Cathedrali: Cujus exemplum ceteri omnes tam de Civitate, quàm de Diœceſi, & de Provincia noſtra Mediolanenſi quo ad illos, ad quos ſpectat, recipiant & habeant ſaltem infra duos menſes poſt publicationem præſentium. Et ſi in dicto Calendario certa die occurrerit de Sancto, univerſaliter per totum Clerum noſtrum idem Officium de ipſo Sancto dicatur. Idem ſervetur, ſi Officium de Feria occurrerit, non omittendo aliquo modo Officium Mortuorum, prout ſupra Inſtitutio Ambroſiana demandat. Nec quiſpiam audeat hunc noſtrum Ordinem, aut ſtylum dicti Calendarii aliquo pacto tranſgredi vel etiam immutare. Volentes inſuper & mandantes, quòd in diebus, quibus de Sancto aliquo Divinum celebrabitur Officium, Epiſtolellæ ad Tertiam, Sextam, & Nonam ſpeciales, prout inveniuntur in Officio Ambroſiano, dicantur. Et ſi ſpeciales vel propriæ non fuerint, tunc illæ Communes de Sancto illo, prout occurrent. In Ferialibus verò diebus Communes de Feria dicantur. Quas Epiſtolellas proprias, ſpeciales & generales, prout in multis Breviariis ſcriptæ ſunt, generaliter in omnibus aliis conſcribi volumus & pariter annotari.

„ Inſuper quia nos ipſi videmus, quòd in Eccleſiis Collegiatis vel Conventualibus, in quibus Horæ Canonicæ decantantur, Lectiones ſecundùm Sacratiſſimi noſtri Ambroſii

„ In-

„ Inſtituta, ordinariæ decantantur & dicuntur; dictas autem „ Horas & Officium Ambroſianum privatim & ſubmiſſa voce „ dicentes, Lectiones hujuſmodi penitus omittunt, certas Epi- „ ſtolellas, ut eorum verbo utamur, quæ in Tertiis, Sex- „ tis, & Nonis ordinatæ ſunt, breves quidem valde & com- „ pendioſas, in Matutinis dicunt loco ipſarum Lectionum, „ quod quidem ex longa negligentia, continuâ incuriâ, & in- „ devotione plurima proceſſit, ſimili modo volumus, decer- „ nimus, & mandamus, ut omnes Clerici privatim Officium „ celebrantes ſe conforment, in dicendis Lectionibus Matuti- „ nalibus, cum illis qui in Eccleſia Divina decantant Officia, „ eaſdemque debitè & completè, ſecundùm quod inſtituit de- „ votiſſimus Pater noſter Ambroſius, dicant, ut bonus ſit or- „ do inter omnes, idem ſtylus, pariformitas in orando, & „ unitas in legendo. Declarantes, quòd omnes de cetero „ ſcribant, aut ſcribi faciant Breviaria, quæ dictas Lectio- „ nes ordinatè ac diſtinctè compoſitas contineant, & non ali- „ ter. Habentes verò Breviaria in talibus defectuoſa & im- „ perfecta, illa infra ſex menſes, a publicatione præſentium „ computandos, complere & reformare ſtudeant, ſi Dei of- „ fenſam, & noſtram indignationem, & finaliter caſtigationem „ evitare voluerint.

„ Rurſus quia nobis ſummè eſt cordi, & magno ſtudio „ deſideramus, hoc noſtrum Officium Sanctiſſimi Patris noſtri „ Ambroſii augere, & in majorem devotionem ampliari, „ omnes & ſingulos de Clero noſtro, qui ad Horas Canoni- „ cas dicendas ſeu decantandas tenentur, infra ſex menſes, „ a publicatione hujuſmodi computandos, teneantur habere,

„ ſcribere, aut ſibi recuperare Horas Canonicas de glorioſa
„ Virgine Maria ſecundùm morem Ambroſianum; & melius
„ erit, ſi eas in Breviariis ſuis fecerint inſeri. Et qui ci-
„ tiùs eas recuperaverint, majori laude erunt digni, & ma-
„ jus meritum apud Deum, Advocatâ noſtrâ glorioſiſſima
„ Virgine Maria Matre ſua, & beatiſſimo Ambroſio interce-
„ dentibus, reportabunt. In Eccleſiis autem, in quibus Horæ
„ Canonicæ decantantur, etiam Horæ hujuſmodi de Beata
„ Virgine dicantur in voce ſeu tono minori, ſeu remiſſiori
„ ante alias Horas ſingillatim & per ordinem ſuum. Priva-
„ tim autem Officium dicentes, & ſine cantu, dictas Horas
„ Beatæ Virginis dicant privatim, ſecundùm devotionem ſin-
„ gulorum. Per hoc autem tam ſanctum, tam meritorium,
„ tam laudabile opus debemus omnes inde ſperare, quòd
„ piis interceſſionibus Beatiſſimæ Virginis glorioſæ, & Sancti
„ Ambroſii Confeſſoris exoratus Dei Filius Dominus noſter
„ J ſus Chriſtus, hanc inclytam & in toto Orbe celeberri-
„ mam Civitatem proteget & defendet ab omni hoſtium in-
„ curſu, a tribulationibus & anguſtiis, veramque ſuam &
„ firmam pacem ſuâ miſericordiâ nobis concedet, aut de
„ adverſantibus victoriam & triumphum dignabitur impertiri.
„ Alacri igitur & ſincera mente, & cum bona devotione
„ omnes ſtudeant has digniſſimas Laudes Virginis glorioſæ,
„ juxta ritum Ambroſii ſanctiſſimi dicendas, de cetero prom-
„ ptè ſuſcipere, ut Divinus cultus noſtris temporibus, prout
„ ſummè optamus, tale & tantum capiat incrementum. Ad-
„ viſantes ex nunc, promovendos ad Ordines in futurum
„ Sacros, ut Breviarium cum Lectionibus & Epiſtolellis ſpe-
„ cia-

„ cialibus propriis, & de Communibus, ùt præmiſſum eſt,
„ & etiam Officium de Beata Virgine antedictum habere ſtu-
„ deant, quum tales in præmiſſis defecturos nullatenus ad-
„ mittere intendamus.

„ Verùm quia, ſicut etiam accepimus, in plurimis anni
„ diebus Solemnibus, & in Vigiliis ipſorum dierum, Veſperi
„ minus ſolemnes, maximè in noſtra Cathedrali Eccleſia de-
„ cantantur non per Capitulum noſtrum, prout conveniens
„ foret, ſed per Capitulum Decumanorum, prout in diebus
„ ſolet fieri quotidianis; quare ut is in Divinis defectus no-
„ ſtra proviſione reparetur, ſtatuimus ac etiam inviolabiliter
„ ordinamus, quod Veſperi ſolemniter decantentur, maximè
„ in Eccleſia noſtra Cathedrali per Capitulum noſtrum in
„ Vigiliis, & in Feſtis diebus infraſcriptis, & idem aliæ
„ ſervent Eccleſiæ, videlicet:

„ Duodecim Apoſtolorum.
„ Quatuor Evangeliſtarum.
„ Quatuor Doctorum Eccleſiæ Ambroſii, Hieronymi, Augu-
„ ſtini, & Gregorii.
„ Sancti Joannis Baptiſtæ.
„ Sanctorum Protaſii & Gervaſii.
„ Sanctorum Nazarii & Celſi.
„ Inventionis & Exaltationis Crucis Dominicæ.
„ Sancti Barnabæ, primi Archiepiſcopi Mediolanenſis.
„ Sancti Laurentiiglorioſiſſimi Martyris.
„ Sancti Michaëlis Archangeli.
„ Sancti Martini.
„ Decollationis Sancti Joannis Baptiſtæ.

„ Cathedræ Sanɑi Petri.
„ Converſionis Sanɑi Pauli.
„ Sanɑi Dionyſii, immediati Prædeceſſoris glorioſi noſtri Am-
„ broſii.
„ Sanɑi Antonii devotiſſimi Confeſſoris.
„ Sanɑi Vincentii Levitæ & Martyris.
„ Sanɑi Sebaſtiani Martyris.
„ Sanɑæ Mariæ Magdalenæ,
„ Et hoc ultra alios etiam feſtivos, in quibus Veſperi ſo-
„ lemnes & duplices per ipſos de Capitulo noſtro, hodier-
„ no tempore decantantur; quum in illis nihil velimus im-
„ mutare; quin potiùs quæ rectè aguntur, commendare &
„ etiam confirmare.

„ Poſtremò, licèt arbitremur & quaſi certi reddamur,
„ quòd omnes vos dilectiſſimi filii nobis in Chriſto, de Cle-
„ ro noſtro, quos hujuſmodi negotium tangit, cum devota
„ animorum promptitudine obedientia & caritate, præmiſſa
„ omnia & ſingula ad laudem Domini, & Divini cultus aug-
„ mentum ſuſcipietis, & ex ſinceris animis obſervabitis; ta-
„ men ut eò ferventiùs omnia recipiatis, quò magis vos vi-
„ deritis divino & ſpirituali pabulo, ideſt indulgentiis &
„ remiſſionibus veſtrorum peccaminum confoveri, vobis om-
„ nibus & ſingulis de Clero noſtro, qui præmiſſa omnia
„ devotè obſervabitis, & Horas de Beatiſſima Virgine Ma-
„ ria ſpecialiter, ùt præmiſſum eſt, dicetis, aliiſque Chriſti-
„ fidelibus Laicis, qui devotè aut eas dixerint, aut eas au-
„ dierint, & interfuerint in Divinis, pro qualibet die In-
„ dulgentiam quadraginta dierum de injunɑis eis pœnitentiis
„ elar-

Digitized by Google

„ elargimur miſericorditer in Domino, quam uſque ad an-
„ num dumtaxat durare volumus.

„ Et ut præmiſſa omnia & ſingula ad veſtram, & cu-
„ juslibet veſtrûm notitiam poſſint & valeant veriſimiliter
„ pervenire, nullusque de præmiſſis valeat ignorantiam ali-
„ quam prætendere, vel excuſationem allegare, has noſtras
„ Literas per infraſcriptum Baldaſſarem de Capris Cancella-
„ rium noſtrum ſubſcriptas in Sacriſtia Septemtrionali noſtræ
„ Cathedralis Eccleſiæ publicè reponi, necnon in Libris no-
„ vi Calendarii ibi poſiti deſcribi, ac in præſentia majoris
„ partis Cleri noſtri, ad hoc coram nobis congregati, nec-
„ non in noſtra publica Cardinalium Audientia, coram Vica-
„ rio noſtro legi & publicari mandavimus, & inter Volu-
„ mina aliorum Librorum dictæ Eccleſiæ dimitti & perpetuò
„ conſervari, ut quilibet copiam & exemplum inde poſſit
„ aſſumere, & de ipſarum continentia & tenore diligentiùs
„ informari. Mandantes univerſis & ſingulis Capitulis Eccle-
„ ſiarum Collegiatarum & Conventualium Civitatis & Diœ-
„ ceſis noſtræ, quatenus infra menſem, a die publicationis
„ præſentium computandum, in Tabula publicè appendenda
„ in Sacriſtiis veſtris has Literas & hujuſmodi Conſtitutionem
„ noſtram deſcribi faciatis, ſub pœna Florenorum decem,
„ Fabricæ Eccleſiæ noſtræ applicandorum.

„ Datum Mediolani, in Domibus habitationis noſtræ, ſitæ
„ in Porta Ticinenſi, in Parochia Eccleſiæ Sancti Sebaſtiani,
„ ſub Anno Nativitatis Domini MCDXL., die Sabbati XXX.
„ menſis Januarii, III. Indictione.

Sanctorum quoque, qui in Ambroſiana Eccleſia coluntur me-
mo-

morias, in Martyrologio noſtro deſcriptas, ordine rectiori Franciſcus concinnavit. Demum diligentiam omnem adhibuit, ut quæ ad hujus Eccleſiæ conſuetudinem pertinent, ad leges antiquiſſimi hujus Ritûs reducerentur. Id autem Divino conſilio factum eſſe minimè ambigimus; cùm paucis poſt annis Branda Caſtillioneus Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Mediolanum adveniens, Pontificii Legati munere functurus, totis lacertis niſus fuerit, Ambroſianum Ritum radicitus exſtirpare, ſubſtituto Romano: Coëgit ſiquidem unum ex noſtris Myſtis, auguſtum Miſſæ Sacrificium die Feſto Epiphaniæ Domini, ut frequentior Civium concurſus haberetur, celebrare juxta Romanam conſuetudinem; ſurripuit etiam Codicem vetuſtiſſimum, in Templo Sanctæ Theclæ aſſervatum, qui cæremonias omnes Ritusque in Sacris rebus adhibendos complectebatur, ne ſupereſſet veſtigium aliquod antiquarum conſuetudinum. Sed omnia in caſſum cecidêre; Mediolanenſes namque, confirmati procul dubio ab exemplo diligentiâque adhibita ab Archiepiſcopo Picolpaſſo, tenaciſſimo Ambroſiani Ritûs Cuſtode, ad Cardinalis Ædes accurrêre, igne ferroque eaſdem exſcindere minitantes, niſi Codicem ſublatum reſtitueret: Quod etiam promptè executus eſt Legatus, in eorumdem manus illum e feneſtra dimittens, fugâque ſubitâ elabens, numquam Mediolanum reverſus. Narrat hæc Corius, & ex eo Ripamontius.

Quanto deſiderio æſtuaret Picolpaſſus Archiepiſcopus noſter eruendi e tenebris quidquid ad Eccleſiæ ſuæ antiquum decus illuſtrandum pertineret, colligimus ex Catalogo Antiſtitum Mediolanenſium, in pergamena conſcripto atque

ele-

eleganter exornato, quem Bibliotheca Ambroſiana cuſtodit, dono datum a claræ memoriæ Carolo a Baſilica-Petri Epiſcopo Novarienſi: Licèt enim alterius Auctoris nomen in fronte præferat, nihilominus facilè argui poteſt, Opus hoc vel juſſu, aut ſaltem ſuaſione Archipræſulis noſtri fuiſſe collectum. Præfixa eſt huic Catalogo Epiſtola Michaëlis Picolpaſſi, qui in ipſo exordio teſtatur, ſe educatum fuiſſe, atque a teneris unguiculis pietate ac literis imbutum a Franciſco Archiepiſcopo, ſubdens, eò etiam proceſſiſſe benevolentiam hujus Præſulis erga ſeipſum, ut *inter Contribules ſuos, cùm generoſæ Lambertinorum etiam proſapiæ eſſet, dignatus ſit adſcribere*, atque ultro aſſumptum ſe fuiſſe in Nepotem. Narrat verò, quanta ſedulitate ad hanc rem perficiendam incubuerit, *veternos Codices qui apud Bibliothecam Sanctiſſimi Pontificis Ambroſii, pulverulenti ac tineati jacebant, evolvens tranſcribenſque* (De hac Bibliotheca, quæ penes Ambroſianam Baſilicam aſſervabatur, plura diſſeruimus *in Prodromo ad Hiſtoriam Typographico-Literariam Mediolanenſem*, ubi egimus de Studiis antiquis & novis Cap. II.) Denique laudat ejuſdem vitæ integritatem ac ſolertiam in Sacrarum rerum ſtudiis, quibus unicè delectabatur. Data eſt hæc Epiſtola VI. Nonas Julii, Anni MCDXXXVIII.

Porro Literas quas afflictim adamabat, ope omni ac patrocinio fovere contendit Archipræſul Franciſcus, erudita cum doctiſſimis ævi illius Viris commercia inſtituens, eoſque præmiis afficiens, ùt teſtantur Epiſtolæ in eorumdem Libris luce donatæ, multòque magis literaria ſupellex rariorum Voluminum, & remotiſſimæ antiquitatis Codicum, qua Archie-

chiepiſcopalem Domum ſuam ditavit, quamque moriens Bibliothecæ Canonicorum Metropolitanæ Baſilicæ legato reliquit. Horum partem non modicam, conſentientibus iiſdem, intulit poſtmodum in Ambroſianam Bibliothecam, quam a fundamentis erexerat, Cardinalis Federicus Borromeus Mediolani Archiepiſcopus. Nunc verò inter pretioſiſſimos alios omnium ætatum ac linguarum MStos Codices collocati, augent huic Sapientiæ emporio ſplendorem & decus.

Proximè innuimus, peculiari amicitiæ vinculo ſeſe obſtrinxiſſe Archiepiſcopum noſtrum Picolpaſſum cum celebrioribus illius ætatis eruditis Viris; Duos tamen magni in literaria Republica nominis, doctrinâ inſignes, minimè involvendos eſſe communi cum ceteris ſilentio arbitramur; eos enim, utpote in hac Metropoli degentes, arctiori neceſſitudine proſequebatur, atque iiſdem ad docta ineunda colloquia familiariùs utebatur. Primus eſt Franciſcus Philelphus, in Palatino Gymnaſio politioris Literaturæ, Græcæque ac Latinæ linguæ magiſterio a Vicecomitibus Principibus Mediolani maguo ſtipendio addictus. Hic fortaſſe nobili exemplo permotus quod Archiepiſcopus Picolpaſſus dederat, librariam omnem ſupellectilem Metropolitanæ Baſilicæ Canonicis Ordinariis legando, literaria ſpolia quæ ſibi comparaverat Bibliothecæ pariter Metropolitanæ ultimis Tabulis reliquit. Haſce nos per compendium retulimus ***in Hiſtoria Literario-typographica***, ubi de Franciſco Philelpho actum eſt. Alter fuit Æneas Sylvius Picolomineus, in Summum Pontificem poſtmodum electus ſub nomine Pii II., erga quem etiam benevoli gratique animi ſui illuſtrem ſignificationem compertam om-

omnibus fecit; vacante namque Inſigni Præpoſitura Mediolanenſis Templi Sancti Laurentii, Præpoſitum ejuſdem Æneam Sylvium conſtituit, quamvis Beneficium illud minimè quietè poſſidere valuerit ob cauſas illas, quas *in* prædicta *typographica Hiſtoria*, ad Annum MCDLXXIII. expoſuimus. Nihilominus, quanti æſtimaret largitatem Archiepiſcopi noſtri Picolpaſſi, Dignitatemque receptam, docent aſſidua quam adhibuit cura, & Epiſtolæ tum ad Amicos, tum ad Principem Philippum Mariam Ducem Mediolani, e Baſileenſi Concilio quò profectus fuerat expeditæ, ut eam ab altero occupatam, ob falſum ejuſdem obitûs rumorem, recuperaret, cauſam ſuam exponens judicio proborum Præſulum, & præſertim Archiepiſcopi Mediolanenſis, quem vocat *Sanctiſſimum Virum*, ut initam memoratæ Præpoſituræ poſſeſſionem, pro juſtitia ſibi reſtituendam definirent. Promotus tamen ad altiores gradus, curam hanc prorſus dimiſit.

Supereſt tantùm, ut aliqua enunciemus de caſtigatiſſimæ vitæ ſanctimonia hujus noſtri Archiepiſcopi, cujus gratiſſimo odore Eccleſiam ſibi commiſſam gregemque ſuum perfudit. Hac autem in re nullum fidelius teſtimonium proferre poſſumus, niſi Donatum Boſſium, eo tempore in hac Metropoli degentem, qui hæc ait: *Franciſcus Pizopaſſus ſanctiſſimæ vitæ Vir fuit, quippe qui corpus ſuum cilicio crebriſque jejuniis macerabat. Demum ad extremum ætatis perductus, quod reliquum fuit vitæ, in Monaſterio Caſtellatii extra Ticinenſem Portam peregit, cùm multas in Sede perſecutiones ſuſtinuiſſet.*

Quamvis tamen ab urbanis tumultibus ſeceſſiſſet Franci-

 ſcus,

ſcus, ut rerum Divinarum contemplationi vacaret, non omiſit Paſtoralis vigilantiæ diligentiam, qua Eccleſiæ ſuæ proſpiceret, ac Baſilicæ Metropolitanæ ſplendorem augeret. Inſigne hujus rei teſtimonium eſt, nova Dignitas, quam in ipſam induxit. Summo in honore habebatur apud univerſum Mediolani Clerum ejuſdem Primicerius, utpote ampliſſimæ auctoritatis prærogativis inſignitus, quemadmodum docet Landulphus Senior, qui Seculo XI. vivebat, editus Tom. IV. *Rer. Italicarum*, Libr. I. & II. Dignitate hac carebat Collegium Canonicorum Templi Maximi; quamobrem Franciſcus Archiepiſcopus dignum cenſuit, ut ea quoque reliquis ab antiquo jam inſtitutis accenſeretur. Itaque Decreto ſuo ſtatuit, ut poſt Archipresbyterum, & Archidiaconum fixa Sede reſideret etiam Primicerius, atque omnibus frueretur privilegiis, quibus ornatæ erant memoratæ Dignitates. Conſtant hæc ex publicis Tabulis, confectis in Monaſterio Caſtellatii, quas hoc loco ſubjicimus.

„ In nomine Domini. Anno a Nativitate ejuſdem milleſimo quadringenteſimo quadrageſimo primo, Indictione quarta, die verò Veneris quarto menſis Auguſti. Ad præſentiam Reverendiſſimi in Chriſto Patris Domini Franciſci, miſeratione Divina Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopi: Acceſſerunt prænominati Dominus Franciſcus de la Cruce Primicerius & Canonicus Præbendatus, ſeu Ordinarius antedictus, necnon præfatus Dominus Petrus de Caſtelliono, Archipresbyter & Canonicus, ſeu Ordinarius prædictæ Majoris Eccleſiæ, ſuo nomine, & Sindicario & Procuratorio nomine aliorum Dominorum Canonicorum, ſeu Ordina-

dina-

„ dinariorum, & Capituli prædictæ Majoris Eccleſiæ, exce-
„ pto prædicto Domino Joſeph. Et præfato Domino Archi-
„ epiſcopo propoſuerunt & narraverunt, prout aliàs narra-
„ tum fuiſſe dixerunt: Quòd in ipſa Mediolani Eccleſia Pri-
„ miceriatus major, & minor exiſtunt, & major, Dignitas ho-
„ norabilis eſt, quam ipſe Dominus Franciſcus de la Cruce
„ obtinet, habens ex longiſſima & inconcuſſa conſuetudine,
„ & per tanti temporis ſpatium, quòd non eſt memoria in
„ contrarium, cognitionem & deciſionem Cauſarum matrimo-
„ nialium Civitatis & Diœceſis Mediolani, facultatem abſol-
„ vendi in Caſibus Epiſcopalibus, & ſecundùm antiqua Ec-
„ cleſiæ Inſtituta, & prout in Libro antiquo Sacreſtiæ dictæ
„ Eccleſiæ, in quo Ordines & præeminentiæ Dignitatum ejuſ-
„ dem deſcribuntur, eſt latiùs expreſſum, Archiepiſcopi Pœ-
„ nitentiarius exiſtit. Eſt quoque Caput Cleri, & Centum
„ de Ferula, & Major inter Præpoſitos Collegiatarum Eccle-
„ ſiarum, & Præpoſitorum Præpoſitus nuncupatur.

„ In Letaniis Primicerius ipſe Major & aliis Congrega-
„ tionibus Ferulâ utitur, ſicut Archipresbyter & Archidiaco-
„ nus, imo Centum ſub ſe habet, qui de Ferula dicuntur;
„ habet collationem Obedientiarum ejuſdem Majoris Eccleſiæ,
„ & curam Anniverſariorum quæ fiunt per totum Clerum,
„ & ad hoc Erogatarios & Diſtributores conſtituit; & quo-
„ niam modernis temporibus non apparet, quòd Primiceria-
„ tus ipſe Major certum & determinatum locum in Choro
„ aut Capitulo habeat, nec in Divinis in ipſa Eccleſia de-
„ ſervire videtur, nec de præſenti Dignitas Capitularis repu-
„ tetur, licèt olim aliter fuiſſe dicatur, ad decorem ejuſdem

 „ Ma-

„ Majoris Eccleſiæ, & ut hæc Dignitas ad ſervitium in Di-
„ vinis reducatur, aliàs ventilatum fuit in præſentia præfati
„ Reverendiſſimi Domini Archiepiſcopi, quòd Primiceriatus
„ ipſe Major, qui, ùt præfertur, Dignitas exiſtit cum fa-
„ cultatibus, portionibus, emolumentis, honorantiis, & præ-
„ rogativis, aliis Dignitatibus dictæ Eccleſiæ præſtari ſolitis,
„ in Capitulo Majori Dominorum Ordinariorum nuncupato
„ reducatur, & Dignitas Capitularis ejuſdem Majoris Capi-
„ tuli Dominorum Ordinariorum, tertia videlicet poſt Ar-
„ chipresbyteratum & Archidiaconatum exiſtat, & adinſtar
„ aliarum Dignitatum per dumtaxat Canonicum Præbendatum
„ Ordinarium ipſius Majoris Eccleſiæ obtineatur, & obtineri
„ poſſit; quo caſu propter augmentum Dignitatis hujuſmodi
„ multiplicabitur honor ipſius Majoris Eccleſiæ in Capitulo
„ Majori, nec minuetur de honore Cleri, cujus Caput in
„ Capitulo Eccleſiæ prædictæ Cathedralis honoribus & præ-
„ rogativis ac emolumentis, quibus DD. Archipresbyter &
„ Archidiaconus potiuntur, decorabitur. Seque ipſe Dominus
„ Franciſcus modernus Canonicus & Ordinarius, ut commo-
„ diùs ſerviatur Eccleſiæ in Divinis, & ne hoc fiat cum
„ onere & gravamine Reſidentiæ, & Capitularis Menſæ di-
„ ctæ Eccleſiæ, obtulit & iterum offert eo caſu, quo præ-
„ miſſa omnia & ſingula adimplebuntur, & non aliter nec
„ alio modo facturus, ponere & dimittere in Menſa Capi-
„ tulari Collegii præfatorum Dominorum Ordinariorum præ-
„ ſtationem annuam florenorum viginti, quæ Præbendæ ſeu
„ Ordinariæ ſuæ fit & præſtatur, & fieri & præſtari ha-
„ bet ſingulis annis in perpetuum, per Capitulum ipſorum
„ Do-

„ Dominorum Ordinariorum ſuper poſſeſſione & Bonis de
„ Rozano Mediolanenſis Diœceſis; & quòd habitis per ip-
„ ſum Dominum Archipresbyterum, & Canonicum ſeu Ordi-
„ narium, ac alios Canonicos ſeu Ordinarios, ſuper præmiſ-
„ ſis omnibus, tractatibus & collationibus opportunis, omnes
„ & unanimiter, Domino Joſeph de Brippio excepto, deli-
„ beraverunt, ad receptionem dicti Primiceriatus in dicto
„ Capitulo Majori, & ejus inſtitutionem pro tertia Dignitate,
„ quæ adinſtar aliarum ſit, & illis emolumentis portionibus
„ prærogativis & honoribus perpetuò utatur & gaudeat,
„ quibus aliæ Dignitates in dicto Capitulo Majori uti ſolitæ
„ ſunt, & quomodolibet potiuntur; necnon ad liberationem
„ prædictæ annuæ præſtationis & bonorum ejuſdem, quæ per-
„ petuò ad commodum Menſæ Capitularis permaneant, præ-
„ miſſis omnibus & ſingulis plenum effectum ſortientibus, &
„ non aliter, nec alio modo: Attento potiſſimè, quòd Præ-
„ benda ſeu Ordinaria, quam ipſe Dominus Franciſcus ob-
„ tinet, ultra hujuſmodi præſtationem & bona, reditus ſuf-
„ ficientes ſecundùm communiter & alias Ordinarias habere
„ cognoſcitur, debere procedi. Quare præfato Domino Ar-
„ chiepiſcopo humiliter ſupplicarunt, quatenus præmiſſis at-
„ tentis ſtatuere & ordinare dignetur, quòd dictus Primi-
„ ceriatus Major de cetero Dignitas ſit Capitularis prædicti
„ Collegii Dominorum Ordinariorum, & tertia Dignitas, vi-
„ delicet poſt Archipresbyteratum & Archidiaconatum, &
„ tertium locum habeat in Choro & Capitulo, ac tertiam
„ vocem, & eiſdem honoribus portionibus emolumentis &
„ prærogativis perpetuò gaudeat & fruatur, quibus Archi-
„ pres-

„ preſbyteratus & Archidiaconatus prædictæ Majoris Eccleſiæ „ hodie gaudent & fruuntur, & ut commodiùs ipſi Eccle- „ ſiæ ſerviri poſſit in Divinis, & præmiſſis omnibus & ſin- „ gulis ùt ſupra plenum ſortientibus effectum, & non aliter, „ a dicta præſtatione Florenorum viginti Menſa Capitularis „ perpetuò libera remaneat, & bona ſuper quibus dicta „ præſtatio fieri habet, eidem Menſæ liberè remaneant, & „ eorum reditus in utilitatem dictæ Menſæ, videlicet ſer- „ vientium in Divinis præfato Collegio Dominorum Ordina- „ riorum perpetuò convertantur. Et in caſum & eventum, „ quo præmiſſa omnia & ſingula plenum ſortiantur effectum, „ & non aliter nec alio modo, prædictus Dominus Franci- „ ſcus Præbendatus ſeu Ordinarius antedictus liberavit & li- „ berat prædictam Menſam Capitularem a dicta præſtatione „ Florenorum viginti, & bona ſuper quibus dicta præſtatio „ fieri habet, ita quòd eidem Menſæ liberè remaneant, & „ eorum reditus ut ſupra convertantur.

„ Præfatus autem Dominus Archiepiſcopus, qui, ùt di- „ xit, de præmiſſis maturam informationem habuit, imo jam- „ diu conſideravit, valde convenire utilitati & honori dictæ „ Eccleſiæ ita fieri, & hoc procul dubio ad augmentum „ honoris & ſervitii in ipſo Majori Capitulo: Et conſide- „ rans, propter hoc non dimminui de honore Cleri, cujus „ Caput in Capitulo Eccleſiæ prædictæ Cathedralis honori- „ bus portionibus prærogativis ac emolumentis, quibus Ar- „ chipreſbyter & Archidiaconus potiuntur, decorabitur, om- „ nibus auctoritate jure via cauſa & forma, quibus melius „ potuit & poteſt, in præſentia, ac de voluntate & con-

„ ſenſu

„ ſenſu prænominati Domini Franciſci Primicerii, & Cano-
„ nici Præbendati ſeu Ordinarii antedicti, necnon præfati
„ Domini Archipresbyteri & Sindici, habentis ad hæc ſpe-
„ cialem poteſtatem, ibi præſentium & conſentientium, &
„ fieri petentium, videlicet ipſius Domini Archipresbyteri, &
„ Canonici ſeu Ordinarii antedicti ſuo nomine, & nomine
„ aliorum Canonicorum ſeu Ordinariorum & Capituli prædi-
„ ctæ Majoris Eccleſiæ, ſtatuit & ordinavit, & ſtatuit &
„ ordinat, quòd dictus Primiceriatus Major de cetero Digni-
„ tas ſit Capitularis prædicti Collegii Dominorum Ordinario-
„ rum, & tertia Dignitas, videlicet poſt Archipresbyteratum
„ & Archidiaconatum, & tertium locum habeat in Choro
„ & Capitulo, ac tertiam vocem, & eiſdem honoribus &
„ portionibus emolumentis ac prærogativis perpetuò gaudeat
„ & fruatur, quibus Archipresbyteratus & Archidiaconatus
„ prædictæ Majoris Eccleſiæ hodie gaudent & fruuntur, &
„ ut commodiùs ipſi Eccleſiæ ſervíri poſſit in Divinis, quòd
„ præmiſſis omnibus & ſingulis plenum ſortientibus effectum,
„ & non aliter, a dicta præſtatione Florenorum viginti Men-
„ ſa Capitularis perpetuò libera remaneat, & bona ſuper qui-
„ bus dicta fieri habent, eidem Menſæ liberè remaneant, &
„ eorum reditus in utilitatem dictæ Menſæ, videlicet ſer-
„ vientium in Divinis prædicto Collegio Dominorum Ordina-
„ riorum perpetuò convertantur. Et hæc omnia præſentibus,
„ volentibus, & conſentientibus prænominato Domino Franci-
„ ſco Primicerio & Canonico Præbendato ſeu Ordinario an-
„ tedicto, necnon præfato Domino Archipresbytero & Cano-
„ nico ſeu Ordinario, ſuo nomine & Sindicario nomine quo
„ ſu-

„ ſupra . Et qui Dominus Archipresbyter & Sindicus in exe-
„ cutione præmiſſorum , ſuo & dictis nominibus recepit &
„ admiſit prædictum Dominum Franciſcum Primicerium ante-
„ dictum , ad hujuſmodi Dignitatem Capitularem cum hono-
„ rantiis emolumentis & prærogativis antedictis , & adinſtar
„ aliarum Dignitatum .

„ Et de præmiſſis omnibus & ſingulis præfatus Reveren-
„ diſſimus Pater Dominus , Dominus Archiepiſcopus manda-
„ vit , & prænominati Dominus Franciſcus Primicerius & Ca-
„ nonicus , ſeu Ordinarius antedictus , necnon præfatus Domi-
„ nus Archipresbyter & Sindicus rogaverunt , per me Nota-
„ rium infraſcriptum publicum debere confici Inſtrumentum .

„ Actum in Domibus Reſidentiæ præfati Reverendiſſimi
„ Domini Archiepiſcopi , ſit. in Monaſterio de Caſtellatio Me-
„ diolanenſis Diœceſis , præſentibus ibidem Honorabil. & di-
„ ſcretis Viris Domino Presbytero Petro de Medicis de No-
„ vate , Capellano præfati Domini Archiepiſcopi , Thoma de
„ Stucchis filio Domini Bartolini Portæ Orientalis , Parochiæ
„ Sancti Babilæ Mediolani , & Salvatore de Caſtellanis de
„ Bononia , filio Magiſtri Joannis , famulo præfati Domini
„ Archiepiſcopi , teſtibus omnibus idoneis , ad præmiſſa voca-
„ tis ſpecialiter & rogatis .

(In Calce , cum ſigno Tabellionatus antepoſito ſubſcript.)

„ Ego Ambroſius de Calvis , filius Domini Guillelmi ,
„ publicus Imperiali auctoritate Notarius Mediolani , & Cu-
„ riæ Archiepiſcopalis Mediolanenſis Notarius , præmiſſis , unà
„ cum prænominatis Teſtibus præſens fui , & inde rogatus
„ hoc publicum Inſtrumentum tradidi & confeci , ac per alium

„ fide-

„ fideliter ſcribi feci, & hìc me ſubſcripſi, ſignum meum „ apponens aſſuetum, in fidem & teſtimonium præmiſſorum. Reliqua omittimus, quæ præceſſere, & quæ ſubſecuta ſunt hanc Inſtitutionem, ac fuere publicis Tabulis conſignata, cùm jam iſtas integras in lucem eduxerimus in Libro inſcripto *Diſſertatio hiſtorica ad vindicandam veritatem* &c.

Demum poſt optimum regimen Eccleſiæ Mediolanenſis, actum per annos VII., menſes III., & dies V., ùt ſuperiùs adnotavimus, in oſculo Domini Franciſcus Picolpaſſus obdormivit Anno MCDXLIII.; ſepultuſque eſt ante Aram Maximam Metropolitanæ Baſilicæ, bonorum omnium mœrore ac luctu comitante.

HENRICUS II. RAMPINUS DE S. ALOSIO.

POſt Franciſcum Picolpaſſum ad Mediolanenſem adminiſtrandam Eccleſiam promotus fuit, atque Archiepiſcopus ab Eugenio IV. Pontifice Maximo inſtitutus Anno MCDXLIII., IX. Calendas Septembris Henricus Rampinus de Sancto Aloſio Derthonæ natus. Hunc Antiſtitem Galeſinius *in Tabula* ſæpiùs memorata *Scotum* appellat; ſed falsò, cùm Pater D. Placidus Pucinellus ejuſdem genitores fratres ac ſorores *de Rampinis* enunciet *in Chronico Glaſſiatenſi*, Cap. XXVI. Vir fuit ſummæ prudentiæ doctrinæque, atque ideo jam honeſtatus fuerat Infulâ Derthonenſi Anno MCDXIII. a Joanne XXIII. Summo Pontifice: Anno verò MCDXXXVII. tranſiit ad Ticinenſem Sedem, Eugenio IV. eumdem ad ejus Eccleſiæ Solium transferente. Demum in hac Metropoli Archiepiſcopum creatum idem Pontifex Maximus, nondum ſatis illius virtutibus pari honore inſignem hunc Præſulem decoratum exiſtimans, ad altiorem gradum promovit, triennio poſt eumdem Sacrâ Purpurâ induens die XVI. menſis Decembris Anni MCDXLVI., ſub Titulo Sancti Clementis, ac Legatum Apoſtolicum in Langobardia declaravit.

Aderant tunc temporis Mediolani quamplura Domicilia excipiendis Peregrinis, atque ægrotis quocumque morborum genere laborantibus, Civium liberalitate ſeorſim extructa; ſed

ſed nondum illis ritè adminiſtrandis ſtatutæ fuerant propriæ leges. Quamobrem rogatus a Decurionibus Civitatis Cardinalis Archiepiſcopus Henricus, ut rectam eorumdem regimini normam præſcriberet, Conſtitutiones edidit, quas poſtmodum expedito Diplomate approbavit confirmavitque Nicolaus V. Pontifex Maximus; qui etiam mandavit, ut adminiſtratio & regimen ſupremum Xenodochiorum ſpectaret ad Archiepiſcopum Mediolanenſem pro tempore, atque ab eodem quatuor viceni ex Nobilitate Viri deligerentur, qui Noſocomiis præeſſent, & adminiſtrationem ſuſciperent, quemadmodum teſtatur Ripamontius Libr. XIII. *Hiſtor. Eccleſ. Mediol.*

Induxerat Eugenius IV. Summus Pontifex Brevibus Literis ſuis, datis Anno Incarnationis Dominicæ MCDXXXVI., VII. Calendas Februarii, in Cœnobium Sanctorum Petri & Pauli, appellatum *in Glaxiate*, jacens in Suburbiis Civitatis Mediolanenſis, Monachos Sancti Benedicti Congregationis Sanctæ Juſtinæ. Illud autem priùs incolebant Fratres Humiliati, ſed adeò expertem regularis obſervantiæ vitam ducentes, ut idem Pontifex illos inde amovendos decreverit. Leguntur Apoſtolicæ hæ Literæ directæ ad Franciſcum Picolpaſſum Mediolanenſem Archiepiſcopum, ad Epiſcopum Papienſem, & ad Vicarium Generalem Curiæ noſtræ Archiepiſcopalis. Ægerrimè tulêre Fratres Humiliati exilium hoc a Sede ſua; quapropter poſt commiſſam ſuppliciter Baſileenſis Concilii Patribus Cauſam ſuam dijudicandam, ab iiſque receptam adverſam Sententiam, expeditam VII. Idus Februarii Anno MCDXXXVIII., armatâ manu ſeſe ad memoratum Cœnobium contulere, perfractiſque foribus atque expulſis inde Mona-

 chis,

chis, iterum illud violenter occupaverunt. Perlato ad aures Summi Pontificis Nicolai V. hujus infandi facinoris nuncio, Breves Literas indignatione plenas expedivit Anno MCDXLVII. ad Henricum Cardinalem, Archiepiſcopum noſtrum, quibus eidem injungebat, ut prædictos Monachos in primævam illius Cœnobii poſſeſſionem reduceret. Accepto hoc Pontificis Maximi mandato, Henricus Cardinalis ſcripſit ad Generalem Ordinis Humiliatorum, ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ præcipiens, ut quietum Sacrum eumdem Locum illico cederet Monachis Sancti Benedicti. Præſtat integras haſce Literas recudere ex *Chronico Glaſſiatenſi*, ut clariùs ſinceriùſque res innoteſcat.

„ Henricus Divina miſeratione Tit. Sancti Clementis, „ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis, ac Sanctæ „ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus, necnon in Civitate „ & Provincia Mediolanenſi, ac partibus Lombardiæ Sedis „ Apoſtolicæ Legatus & Executor, per Sanctiſſimum in Chri- „ ſto Patrem & Dominum noſtrum, Dominum Nicolaum „ Divinâ providentia Papam V., ùt infra, ſpecialiter depu- „ tatus: Rev. Patri Domino Generali Ordinis Humiliatorum, „ necnon omnibus & ſingulis Monachis dicti Ordinis, qui- „ bus præſentes noſtræ fuerint Literæ præſentatæ, ſeu ad „ quorum notitiam pervenerint, ſalutem in Domino, & „ mandatis noſtris, imo veriùs Apoſtolicis, firmiter & hu- „ militer obedire. Literas Apoſtolicas, ſeu Breve præfati „ Sanctiſſimi Domini noſtri Papæ ſub Annulo Piſcatoris re- „ cepimus, hujuſmodi ſub tenore. Nicolaus Papa V. Ve- „ nerabilis Frater, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.

„ Au-

Digitized by Google

„ Audivimus rem nobis ſatis gravem, quòd videlicet nonnulli ex Humiliatorum Ordine Monachi, unà cum pleriſque Laicis, violenta & armata manu, more hoſtili impetum fecerunt in Prioratum Sanctorum Petri & Pauli de Glaxiate Mediolani, Ordinis Sancti Benedicti, portas confringentes, ſerras diſrumpentes, ſagittis & jaculis ceteriſque armorum generibus expugnantes dilectos Filios Monachos dicti Prioratus, ibi habitantes, partim vulnerantes, partim diripientes inde ejecerunt, dictumque locum occuparunt, & niſi Laicali potentia inde ejecti fuiſſent, adhuc in tam gravi exceſſu permanſiſſent. Hoc profectò nobis, cùm intelleximus, admodum diſplicuit. Quare mandamus Fraternitati tuæ, quatenus tam Generali, quàm omnibus & ſingulis Monachis dicti Ordinis, ſub pœna excommunicationis quam contrafacientes ipſo facto incurrant, cujus abſolutionem Sedi Apoſtolicæ reſervamus, præcipias, ne de cetero præfatos Prioratum, Priorem, & Monachos moleſtent aut inquietent, directè vel indirectè, per ſe vel per alios, quovis quæſito colore, reſervantes nobis, ſi aliquid contra id attemptaverint, debitas pœnas contra præfatos Humiliatos; non obſtantibus dicti Ordinis privilegiis, etiamſi de ipſis ſpecialis & expreſſa mentio fieri deberet, & aliis contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die ultimo Octobris, Pontificatus noſtri anno primo. Quocirca volentes mandatum Apoſtolicum nobis, ùt præmittitur, in hac parte directum, ùt tenemur, exequi reverenter, prout etiam pro parte Domini Prioris, Monachorum & Con-

„ ven-

„ ventus prædicti Monaſterii de Glaſſiate in ipſis Literis
„ Apoſtolicis nominatorum fuimus requiſiti, vos & veſtrûm
„ ſingulos auctoritate Apoſtolica ſupraſcripta, qua fungimur
„ in hac parte, primo, ſecundo, tertio, & peremptoriè
„ præſentium tenore requirimus & monemus, dantes vobis
„ & veſtrûm ſingulis nihilominus, in virtute ſanctæ obe-
„ dientiæ, & ſub excommunicationis pœna, quam contra-
„ facientes ipſo facto incurrant, diſtrictiùs in mandatis, ne
„ de cetero præfatos Prioratum Priorem & Monachos mole-
„ ſtare & inquietare directè vel indirectè, per vos, vel
„ alium ſeu alios, quovis quæſito colore præſumatis, nec
„ alter veſtrûm præſumat; alioquin vos & veſtrûm ſingulos
„ inobedientes & contrafacientes, excommunicationis ſenten-
„ tiam, juxta prædictarum Literarum Apoſtolicarum ſeu
„ Brevis tenorem, ipſo facto incurrere declaramus, per Se-
„ dem Apoſtolicam dumtaxat abſolvendos. In quorum teſti-
„ monium præſentes fieri juſſimus, & ſigilli noſtri medio-
„ cris munimine roborari. De quarum præſentatione, harum
„ Latori, Curiæ noſtræ Servitori dabimus plenam fidem.
„ Datum Mediolani apud Sanctum Stephanum in Brolio,
„ MCDXLVII., die XIV. menſis Decembris, undecima In-
„ dictione.

Reddito Benedictinis Monachis priſtinæ quietis munere, ſupererat alter hoſtis profligandus, nempe paupertas. Cùm enim Humiliati Fratres per contemptum atque vindictam omnia diripuiſſent, nihil reliquum in Clauſtris aderat, niſi egeſtas ac rerum omnium inopia. Hunc etiam domeſticum moleſtumque adverſarium expulit Henrici Archiepiſcopi libe-

liberalitas, cujus beneficio conſuetas Ordini ſuo laudes Deo tranquillè perſolvere potuere, donec piorum Civium ope, & munificentia Philippi Mariæ Vicecomitis, Mediolani Ducis, neceſſariis reditibus ditati fuere. Quocirca in teſtimonium grati animi erga hunc inſignem Cœnobii ſui benefactorem, cùm triennio poſt animam Factori ſupremo reddidiſſet Henricus, ſplendido ſacræ pompæ apparatu in Eccleſia Sanctorum Petri & Pauli in Glaſſiate, ſolemnibus celebratis inferiis Monachi parentavere. Refert hæc omnia laudatus Don Placidus Pucinellus *in Chronicis illius Monaſterii*.

Neque tantùm depellendis vitæ incommodis, quibus premebantur Oves ſuæ, paternam largitatem impendit Henricus Archipræſul; ſed multò quoque attentiùs Paſtoris optimi vigilantiam exercuit, ut animarum proventus augeretur. Monaſterium Monialium, quod appellatur *Majus*, in hac Metropoli Deiparæ Virgini ac Sancto Mauritio dicatum, non modicè a primævo Sancti Benedicti Inſtituto deſciverat, liberiore vivendi normâ in eas Sacras Virgines inductâ. Ad corruptelas ab illo Aſceterio eliminandas pro virili incubuit ſolertiſſimus Antiſtes; tantumque adlaboravit, ut ſanctimoniæ veteris ſplendorem atque obſervantiæ integritatem prædicto Cœnobio reſtituerit. Quoniam verò Moniales illæ religioſis Ducibus ſub oculos poſitis indigebant, ut ad aſperiorem hunc tramitem impigrè percurrendum familiari exemplo accenderentur, nonnullas e Monaſterio Cantalupi, Ordinis Sancti Auguſtini Sanctimoniales delegit Henricus, quæ Monaſterium Majus ingrederentur, earumque unam in Abbatiſ-

ſam

ſam creavit Anno MCDXLIV. Profeſſæ autem & ipſæ ſunt Sancti Benedicti regulam, ejuſque Ordinis cucullum induerunt, id referente *in Chronicis* memoratis Placido Pucinello.

Eâdem Paſtorali ſolicitudine uſus eſt Archiepiſcopus hic noſter, ad ſedandas non leves contentiones, quæ in altero vetuſtiſſimo Monialium Cœnobio, *de Vedano* nuncupato, ſub Sancti Auguſtini Regula florente ſervebant, & Monaſticæ quieti plurimùm officiebant. Advenerat Mediolanum per ea tempora Sanctus Bernardinus Senenſis, qui non tam Sacris Concionibus, quàm ſingulari morum caſtigatione, ad pietatis cultum & rerum Divinarum amorem complures Cives adduxerat. Ad aures quoque illarum Monialium pervenerat Sancti hujus Viri fama; quapropter pleræque earumdem fervidis votis ſeſe ſubdere Sancti Franciſci Regulæ peroptabant. Renuebant aliæ, ſe a Sancti Auguſtini Inſtituto nolle omnino ſubducere profitentes. Itaque Henricus Archiepiſcopus huic ſerpenti noxio malo mederi ſtudens, ex uno Cœnobio duo fecit; alterum videlicet, quod antiquum *Sancti Auguſtini* nomen ac Regulam conſervavit; alterum verò, quòd *Sanctæ Claræ* nunc appellatur, illudque incoluere Moniales illæ, quæ Seraphicum Ordinem profiteri voluerunt. Acta hæc fuiſſe circiter Annum MCDXLV. teſtatur Puricellus *in Monument. Baſil. Ambroſian.*, num. CCXXXI.

Mortuo abſque liberis Philippo Maria Vicecomite Mediolani Duce, ſeſe in libertatem aſſeruerat, atque in Reipublicæ modum regebatur Mediolanenſis Civitas; infelici tamen exitu, cùm preſſa undique bellis, præſertim verò ab exercitu Franciſci Sfortiæ, qui Gener erat defuncti Ducis, coacta

coacta fuerit, poſt annos duos & ſex menſes liberi adminiſtrati regiminis, jugum ſervitutis iterum ſubire, recepto acclamatoque in Ducem Mediolanenſis imperii memorato Franciſco, Anno MCDL. Præcedenti Anno, nempe MCDXLIX., ùt Donatus Boſſius ſcribit, fames rabidiſſima Metropolim noſtram miſerrimè afflixit. Conſcius hujus luctuoſæ calamitatis factus Henricus Archipræſul, qui ſe Romam contulerat, pro eo quo exardebat amore erga ſuum gregem, ſublevando ab hac ærumna populo Mediolanenſi totum ſe dedit, opulenta numeratæ pecuniæ ſubſidia ab Urbe mittens, imo èt ipſa ſupellectile Aulas Palatii ſui exſpolians, ac quidquid poſſidebat, ad abigendam Ovium ſuarum inopiam promptiſſimè elargiens. Effuſæ adeo liberalitatis Teſtis eſt inconcuſſæ fidei memoratus Donatus Boſſius, qui tunc præſens, eamdem ad poſterorum commendationem admirationemque *in ſuis Chronicis* deſcriptam reliquit his verbis: *Henricus de Sancto Aloſſio . . . . cùm ſub Dominio Mediolanenſis populi ſæviſſimâ fame Urbs premeretur, largiſſimas eleemoſynas plebi laboranti dicitur tranſmiſiſſe, ſeque ac familiam omnem, quò fame pereuntibus largiùs ſubveniret, omni patrimonio exuiſſe*. Prodigium hoc paternæ erga Gregem ſuum caritatis renovavit Sanctus Carolus Borromeus, ùt ſuo loco narrabimus.

Non reticendum eſt, quod Sepulcralis Inſcriptionis conditores æternâ dignum memoriâ cenſuêre, videlicet, cùm Henricus morti proximus a Familiaribus rogaretur, ut ultimas Tabulas exarari mandaret, reſpondiſſe, ſe cuncta quæ a Deo receperat, Chriſto & Eccleſiæ, ùt Epiſcopum decebat, relinquere.

Senio & laboribus fractus migravit ad Dominum Romæ, Anno MCDL., die IV. Julii, poſtquam ſediſſet annos VI., menſes X., dies X., a die nempe XXIV. Auguſti, Anni MCDXLIII., uſque ad IV. Julii, Anni MCDL. Sepultus eſt in Eccleſia Sancti Clementis, Cardinalitii ſui Tituli, appoſito ejus Tumulo ſequenti metrico Epitaphio:

HEU DECUS, HEU LUMEN! TIBI NUNC DOMUS INCLYTA SANCTA
DE ALOSIO, PERIIT TUUS IPSE COLENDUS HERICUS.
HAC REQUIESCIT HUMO, PRIMUM QUI TEMPORE LONGO
PRÆSUL IN URBE FUIT DERTHONÆ, DEINDE PAPIÆ,
POST MEDIOLANI SACER ARCHIEPISCOPUS, INDE
PRO VIRTUTE SUA RUBEO FUIT ECCE GALERO
PER PAPAM EUGENIUM DONATUS IN ORDINE QUARTUM;
HIC PIUS, HIC SAPIENS, HIC JUSTUS, CASTUS, HONESTUS,
SERVORUMQUE DEI PROTECTOR IN OMNIBUS ARDENS.
HIC TESTAMENTUM RENUIT SIBI CONDERE, DICENS
CUNCTA FORE ECCLESIÆ, SE CUNCTA RELINQUERE CHRISTO
QUI DEDIT; AC TAMDEM CUM SEXAGINTA SUBISSET
ANNORUM ÆTATEM, JUBILÆI TEMPORE SANCTI,
MILLE QUADRINGENTIS ET QUINQUAGINTA SUB ANNIS,
ATQUE DIE QUARTA JULII DEVOTUS ET ALMUS
SPIRITUS ILLE SUUS FELIX SUPER ASTRA VOLAVIT.

JOAN-

JOANNES III. VICECOMES.

Superiùs diximus, Joannem III., Vercellini Vicecomitis armorum Ducis filium, fuiſſe intruſum in Sedem Mediolanenſem, favore Caroli Malateſtæ, Soceri Joannis Mariæ Vicecomitis Mediolani Ducis, a Gregorio XII., jam exauctorato in Concilio Piſano (Ughellus per errorem ſcripſit a Benedicto XIII. Pſeudo-Papa). Depoſitum quoque ipſum fuiſſe aſſeruimus in Conſtantienſi Concilio, Sede Mediolanenſi dijudicatâ in favorem Bartholomæi Capræ legitimi Antiſtitis. Præſul iſte Vicecomes, qui uſque ab Anno MCDII. in Collegio Canonicorum Metropolitanæ Baſilicæ inſtitutus fuerat Archipresbyter, ac deinde donatus Commenda Cœnobii Morimundenſis in Inſubribus, poſt inanes omnes conatus adhibitos, ne poſſeſſionem hujus Eccleſiæ adirent enumerati hactenus Antiſtites, de quorum juſta electione conſtabat, privatam vitam egit uſque ad Annum MCDL., quo extinctâ Vicecomitum Ducum Stirpe, Franciſcus Sfortia Mediolanenſe imperium capeſſivit; ejuſque patrocinio auxiliante, legitimè exornatus eſt a Nicolao V. Summo Pontifice Archiepiſcopatûs Mediolanenſis Dignitate. Perturbavit ordinem Archiepiſcoporum Galeſinius, qui hujus Antiſtitis mentionem egit, cùm Pſeudo-Archiepiſcopus foret; ſiluit verò, cùm poſt Henricum Rampinum Eccleſiæ noſtræ ritè præſideret.

Modico nihilominus tempore, honore hoc fruitus fuit

I 2 Joan-

Joannes, quem a tot annis retro, vexationibus in Prædeceſſores ſuos illatis, ne Ambroſianum Solium tranquillè poſſiderent, ambiverat. Non leve tamen indicium ſui erga hanc Eccleſiam amoris, cultûſque erga Deum reliquit, novam Dignitatem inſtituens in Metropolitanæ Eccleſiæ Choro, Præpoſituram nempe, primo poſt Primicerium loco reponendam. Inſuper etiam duo Sacerdotia adjunxit, alterum in Templo Maximo, alterum in Baſilica Apoſtolorum, ad Aram quæ dicitur *de Florana*; aſſignatis ex proprio patrimonio ſatis opulentis cenſibus, & reſervato tam Præpoſituræ quàm Sacerdotiorum, Familiæ ſuæ perpetuo jure electionis. Approbata hæc fuere, expedito Diplomate, a Pontifice Maximo Eugenio IV., ex Urbe Florentiæ, anno Pontificatus ejuſdem decimo, hoc eſt Anno MCDXL, XIII. Calendas Septembris; & Apoſtolica auctoritate confirmata ſequente anno, die X. Julii, ùt patet ex publico Documento recepto per Ambroſium de Calvis, Archiepiſcopalis Mediolanenſis Curiæ Tabellionem.

Breves Eugenii IV. Literæ, aſſervatæ in Archivo Marchionis Don Gregorii Vicecomitis, ex eâdem Familia adbuc Mediolani vigente, ſunt hujuſmodi.

„ EUgenius Epiſcopus, Servus Servorum Dei, Dilecto Fi-
„ lio Joſeph de Brippio, Canonico Mediolanenſi ſalutem
„ & apoſtolicam benedictionem. Romani Pontificis providen-
„ tia circumſpecta, pia ſupplicum vota, per quæ Eccleſiis,
„ præſertim Metropolitanis, decor & venuſtas requiruntur,
„ nec-

„ necnon Divinus inibi cultus augeri ſperatur, ad exaudi-
„ tionis gratiam favorabiliter admittit, & ut illa debito
„ mancipentur effectu, prout expedire cognoſcit, partes ſuæ
„ ſolicitudinis interponit. Sanè pro parte Vener. Fratris
„ noſtri Joannis de Vicecomitibus Archiepiſcopi, nobis nuper
„ exhibita petitio continebat, quòd ipſe ad Majoris Eccle-
„ ſiæ Mediolanenſis venuſtatem & decorem, ac Divini in ea
„ cultûs augmentum propenſiùs aſpirans, cupienſque terrena
„ in cœleſtia, & tranſitoria in æterna felici commercio com-
„ mutare, ultra alias in ipſa Eccleſia olim inſtitutas Di-
„ gnitates & Beneficia, Præpoſituram quæ in illa Dignitas
„ ſit, necnon, cùm aliæ Dignitates hujuſmodi juxta ejuſdem
„ Eccleſiæ conſuetudines & Statuta ſolùm per illius Cano-
„ nicos pro tempore gubernentur, Canonicatum & Præben-
„ dam in Choro majori ipſius Eccleſiæ, Ordinariorum nun-
„ cupato, qui eidem Præpoſituræ annexi exiſtant, & cùm
„ illa per idoneam quæ de nobili genere procreata, aut ſal-
„ tem ex antiqua Civitatis vel Diœceſis Mediolanenſis pro-
„ ſapiâ ſit, perſonam, adinſtar aliorum in dicta Eccleſia Di-
„ gnitates alias præfatas obtinentium, obtineri poſſint & debeant,
„ & quæ quidem perſona ſingulis honoribus & emolumentis,
„ quibus Canonici ejuſdem Eccleſiæ, Ordinarii nuncupati,
„ quomodolibet utuntur & gaudent, necnon univerſis eis
„ cedere ſolitis inibi proventibus, juribus, & obventionibus
„ uti & gaudere, illaque percipere & habere debeat, in-
„ ſtituere; illoſque de bonis ſibi deſuper collatis pro uno
„ Præpoſito & Canonico, qui in dicta Eccleſia perſonaliter
„ reſidere teneatur, necnon duos, videlicet ad aliquod idem

„ Ar-

„ Archiepiſcopus ad id eligendum duxerit, in prædicta
„ unam, & etiam Beatæ Mariæ de la Florana nuncupatæ in
„ Sancti Nazarii in Brolio Mediolani Eccleſiis ſita Altaria aliam,
„ perpetuas Sacerdotales Capellanias pro duobus Capellanis,
„ quorum quilibet in eo ex Altaribus prædictis, ad quod
„ Capellania ſua fundata erit, ſingulis ſingularum ſeptimana-
„ rum diebus per anni circulum Miſſam pro ipſius Archie-
„ piſcopi, ſuorumque Parentum & Amicorum, ac omnium
„ fidelium defunctorum remedio animarum, impedimentis
„ ceſſantibus legitimis, perpetuò celebrare teneatur & de-
„ beat, de præmiſſis bonis ſufficienter dotare proponit pari-
„ ter & intendit; Jurepatronatus & præſentandi ad Præpo-
„ ſituram ac Canonicatum & Præbendam prædictos, & ad
„ quamlibet Capellaniarum præfatarum, quotiens ſingulorum
„ illorum vacationis tempus occurrerit, etiam idoneas per-
„ ſonas per Majoris quoad Præpoſituram ac Canonicatum &
„ Præbendam, necnon per Sancti Nazarii Eccleſiarum præ-
„ dictarum Capitula quoad Capellanias hujuſmodi inſtituen-
„ das, eidem Archiepiſcopo, quamdiu in humanis egerit,
„ & poſt ejus reſolutionem illi vel illis, quem ſeu quos
„ ipſe Archiepiſcopus in ſua voluntate ultima nominandum
„ ſeu nominandos duxerit in perpetuum reſervato. Quare
„ pro parte dicti Archiepiſcopi nobis fuit humiliter ſuppli-
„ catum, ut ſibi Præpoſituram ac Canonicatum & Præben-
„ dam prædictos inſtituendi, illoſque & Capellanias hujuſ-
„ modi dotandi, juxta modum & formam præmiſſos, li-
„ centiam concedere, ipſiſque ac per eum nominando ſeu
„ nominandis prædictis Juſpatronatus & præſentandi perſonas
„ hu-

„ hujuſmodi reſervare de benignitate Apoſtolica dignaremur.
„ Nos igitur pium Archiepiſcopi propoſitum hujuſmodi in
„ Domino plurimùm commendantes, ac cultum ipſius no-
„ ſtris potiſſimè temporibus vigere & augeri intenſis deſi-
„ deriis affectantes, hujuſmodi ſupplicationibus inclinati, di-
„ ſcretioni tuæ mandamus, quatenus ſi & poſtquam dictus
„ Archiepiſcopus pro Præpoſituræ ac Canonicatus & Præben-
„ dæ inſtitutione, necnon illorum, ac Capellaniarum dota-
„ tione hujuſmodi, ita quòd Præpoſitus juxta Præpoſituræ
„ exigentiam decenter vivere, & Capellani de præſenti con-
„ gruè ſuſtentari valeant, ſufficientes competenteſque faculta-
„ tes aſſignaverit, ſeu quòd præmiſſa debitè fiant, congruam &
„ idoneam cautionem præſtiterit, ſuper quo tuam conſcien-
„ tiam oneramus, præfato Archiepiſcopo Præpoſituram cum
„ Canonicatu & Præbenda pro uno Præpoſito, qui dictæ
„ Majoris Eccleſiæ Canonicus cenſeatur, & Præpoſituram, &
„ Canonicatum ac Præbendam prædictos, qui eidem Præpo-
„ ſituræ tunc annexi ſint, adinſtar aliorum in ipſa Majori
„ Eccleſia Dignitates obtinentium, obtinere in ſimul poſſit,
„ inſtituendi, illoſque, necnon pro duobus perpetuis ad di-
„ cta Altaria Capellanis, Capellaniis hujuſmodi juxta formam
„ & modum ſupradictos, & cum conditionibus aliiſque
„ præmiſſis, dotandi licentiam auctoritate noſtra largiaris;
„ & nihilominus poſt inſtitutionem Præpoſituræ ac Canoni-
„ catus & Præbendæ, necnon dotationem præfatas, Juſpa-
„ tronatus & præſentandi perſonas hujuſmodi, ùt præmitti-
„ tur, præfato Archiepiſcopo pro ſe, ac illi vel illis,
„ quem ſeu quos ad id elegerit ſive nominaverit, ùt præ-
„ ſer-

„ fertur, eâdem auctoritate perpetuò reſerves, non obſtan-
„ tibus Conſtitutionibus & Ordinationibus Apoſtolicis, ac de
„ certo Canonicorum numero Majoris, & aliis ejuſdem nec-
„ non Sancti Nazarii Eccleſiarum prædictarum, juramento,
„ confirmatione Apoſtolica, vel quavis alia firmitate robo-
„ ratis Statutis & Conſuetudinibus, etiamſi de illis eorum-
„ que totis tenoribus, in præſentibus habenda foret mentio
„ ſpecialis, ceteriſque contrariis quibuſcumque. Datum Flo-
„ rentiæ Anno Incarnationis Dominicæ milleſimo quadringen-
„ teſimo quadrageſimo, tertiodecimo Calendas Septembris, Pon-
„ tificatus noſtri anno decimo.

Ex hiſce Pontificiis Literis ambigere quis poſſet de iis quæ ſuperiùs attulimus, cùm de Franciſco Creppa, & Bartholomæo Capra Mediolani Archiepiſcopis, poſt Petrum Filargum ad Pontificiam Cathedram translatum ſub nomine Alexandri V., ageremus; ab Eugenio namque IV. appellatum ſæpiùs videmus Joannem Vicecomitem titulo *Archiepiſcopi* abſque ulla hæſitatione. Nihil tamen officit aſſertioni noſtræ hic modus loquendi Summi Pontificis. Siquidem in eodem Archivo laudati Marchionis Don Gregorii Vicecomitis aſſervantur Literæ authographæ Gregorii XII., qui illum creaverat in Antiſtitem Mediolanenſem, ſcriptæ ad omnes Epiſcopos Suffraganeos Eccleſiæ Mediolanenſis, quibus jubebat, ut illum in ſuum Metropolitanum Præſulem reciperent, quamvis ipſe Gregorius omni juriſdictione Pontificia careret, ùt diximus. Ea igitur occaſione fieri potuit, ut etiam ab ipſis Joannes in Archiepiſcopum conſecraretur, inſtante præſertim Mediolani Duce, qui eidem ſummopere favebat. Nil

mi-

Digitized by Google

mirum igitur, ſi Eugenius Pontifex Maximus illum *Archiepiſcopi* nomine donaverit: Imo ex hoc ipſo confirmari cenſemus primam ejuſdem illegitimam electionem; neque enim umquam Joannem nuncupavit *Archiepiſcopum Mediolanenſem*, ſed nudo *Archiepiſcopi* nomine eumdem ſemper compellavit, ob acceptam Archiepiſcopalem conſecrationem, ùt proximè innuebamus.

Ceterùm ex voluntariis ſuperiùs memoratis muneribus, a Joanne Vicecomite Deo & Eccleſiæ oblatis, conjectare tutò poſſumus, plura illum Paſtoralis ſuæ curæ experimenta daturum fuiſſe, ſi diutiùs ſupervixiſſet.

Addit Ughellus, plurima item bona fuiſſe ab hoc Archiepiſcopo legata Fabricæ Metropolitani Templi.

Anno denique MCDLIII., V. Nonas Martii terris valedixit morte ſublatus, poſtquam ſediſſet annos II., menſes VII., a die videlicet III. Auguſti, Anni MCDL., ad diem III. Martii, Anni MCDLIII Sepultus eſt in Eccleſia Majori, ùt ipſe præceperat, appoſito hoc funebri Elogio:

MCDLIII. MARTII QUINTO NONAS.
INSUBRUM ANTISTITIS SACRI
DOMINI JOANNIS VICECOMITIS
HOC SEPULCRUM TERRESTRE CORPUS OCCULTAT:
ANIMAM VERO CHRISTUS OPTIMUS MAXIMUS
IN CŒLESTI COLLOCAVIT IMPERIO,
CUM PRIMUM CORPOREO FUIT LIBERATA CARCERE.

NICOLAUS AMIDANUS.

REgendam ſuſcepit defuncto Joanne Vicecomite vacuam Mediolanenſem Sedem Nicolaus Amidanus natione Cremonenſis, Archiepiſcopus inſtitutus a Nicolao V. Summo Pontifice Anno MCDLIII., die XXVI. Martii. Ughellus certè lapſus eſt calamo, ſcribens *die XXVI. menſis Maji*, ſubdenſque: *vix annum integrum hanc Eccleſiam adminiſtravit*; cùm tamen neque ad Aprilem menſem anni ſequentis vitam produxerit Amidanus, ùt patet ex Sepulcrali Inſcriptione, ab ipſomet Ughello relata.

Celebrem in Juris utriuſque Scientia laudem & famam conſecutus, in Collegium Canonicorum Eccleſiæ Mantuanæ adſcitus fuit; Romam poſtmodum ab Eugenio IV. Summo Pontifice vocatus Anno MCDXXXV., per undecim annos maximâ vitæ & ingenii commendatione moram ibidem duxit, habitus tamquam oraculum Apoſtolicæ Sedis. Subinde Placentinæ Eccleſiæ Inſulâ ab eodem Eugenio Pontifice Maximo donatus eſt Anno MCDXLVI, ac demum ab ea Sede poſt ſeptennium translatus eſt ad Solium Mediolanenſe, Nicolai V. beneficentiâ in Archiepiſcopum creatus, ùt diximus.

Cùm Baſileam ſe contuliſſet, intimæ neceſſitudinis vinculo cum Ænea Silvio (poſtmodum Pio II) ſe adſtrinxit; atque hoc recedente, commercium Epiſtolicum cum eodem inſtituit. Duas ex hiſce Epiſtolis inſeruit ſuæ *Cremonæ Literatæ*

ratæ

Digitized by Google

ratæ Tom. I Franciſcus Ariſius, in quibus de rebus actis in Baſileenſi Concilio conſcium Æneam Silvium facit, & ab eo viciſſim recipit Amidanus ſingularis erga ipſum benevolentiæ teſtimonia.

Mediolani reſidens manum ſtatim admovit Paſtorali Caritati erga Oves ſuas exercendæ; id enim conſtat ex Diplomate, cujus meminit laudatus Ariſius, dato ab eodem Archiepiſcopo in favorem Hoſpitalis Pietatis Pauperum Chriſti, quod a Petro Filargo inſtitutum, ſubinde prope Archiepiſcopales Ædes collocatum, nunc ſub nomine Hoſpitii Senum utriuſque Sexus fixam habet Sedem in Porta Vercellenſi, a Sancto Carolo Borromeo, ùt adnotavimus, illuc translatum. Brevitas tamen vitæ obſtitit, ne Antiſtes iſte uberiora amoris ſui erga dilectum univerſum hunc gregem ederet experimenta. Siquidem nondum expleto anno ad æternam quietem migravit die XXI. Martii, Anni MCDLIV.

Sepultus eſt in Metropolitana Baſilica ante Majorem Aram, inſculpto ſequenti Epitaphio in Lapide Sepulcrali.

NICOLAO AMIDANO ARCHIEPISCOPO MEDIOLANENSI
QUI OBIIT ANNO CHRISTI NATALIS MCDLIV.
XII. CALENDAS APRILIS
VINCENTIUS FRATRI HOC
P. M.
ROMAM PONTIFICIS QUI NOMINE REXIT, ET IDEM
ANTE PLACENTINA PRÆSUL IN URBE FUIT,

DEHINC CATHEDRA AMBROSII RESIDENS, AMIDANUS IN URNA
HAC NICOLAUS INEST, PULCHRA CREMONA, TUUS.
ILLE ANIMO INVICTUS DOCTA PIETATE FIDEQUE
ÆQUABAT PRISCOS ET PIETATE PATRES.
IMPIA MORS NIMIUM, PASTOREM TOLLERE NOBIS
HEU PROPERAS, QUALEM SECULA NULLA FERENT!

Exſculpta opere anaglypho aderat in lapide ſuperpoſito effigies ejuſdem, veſte Archiepiſcopali amicta. Verùm, cùm Sanctus Carolus Borromeus Archiepiſcopus Odæum de novo exſtruere cogitaſſet, Sepulcrum hoc inde amovit.

Ex allata Inſcriptione clarè intelligimus, Nicolaum Amidanum fuiſſe conſtitutum Romanæ Urbis Præfectum, ut eamdem nomine Pontificis regeret. Ughellus in Epiſcopis Placentinis, ubi de Amidano agit, eum fuiſſe tradit Vice-Camerarium Nicolai V. Summi Pontificis, nihil innuens de Urbis Præfectura; niſi fortè munus iſtud cum illo unum idemque eſſe putaverit. Hæret nobis aqua, dum aſſerit Ughellus, Nicolaum Amidanum vocatum fuiſſe ad Placentinam Sedem Anno MCDXLVIII., cùm ex Ariſio Cremonenſi Scriptore jam viderimus, illud contigiſſe biennio ante. Obiter hoc enunciamus, ne Lector in ambiguo remaneat, cui præſtanda ſit fides. Ceterùm Ughelli aſſertum minimè rejicimus, cùm ſæpiùs ille profiteatur, ſe in electionibus Præſulum ſtatuendis Vaticanos Codices conſuluiſſe.

TI-

TIMOTHEUS MAFFEUS.

AMidano Archiepiſcopo mortuo ſuffecerat Nicolaus V. Summus Pontifex Timotheum Maffeum, Patriâ Veronenſem; ſed inani exitu, ut mox dicemus. Vacante hac Sede Franciſcus Sfortia, qui univerſæ ditioni Mediolanenſi imperabat, heroico præditus animo, & minimè tactus propinquitate ſanguinis, qua jungebatur Gabrieli Sfortiæ Fratri ſuo, duos eximiæ probitatis ac doctrinæ Viros Pontifici Maximo commendaverat, ut ex iis unum ſeligeret Mediolanenſi Eccleſiæ præficiendum, Gabrielem nempe memoratum, qui Eremitano Sancti Auguſtini Ordini nomen dederat, & Timotheum Maffeum, qui Regularium Canonicorum vitam profitebatur. Ex hiſce Nicolaus V. in Archiepiſcopum declaravit hunc poſtremum, datâ ad ipſum Epiſtolâ, IV. Calendas Aprilis MCDLIV., in qua laudans eximiam ejuſdem probitatem, & ceterarum virtutum dona a Deo accepta, ei mandat, ut Paſtorale miniſterium, omnibus poſthabitis, implere non omittat. Legitur hæc Epiſtola in Ughello, poſt Vitam Amidani.

Revera Timotheus Maffeus in vinea Domini multum adlaboraverat, Divini Verbi prædicatione; ac tanta eloquentiæ laude peroraverat, ut inter ſacros Oratores illius ævi facilè princeps haberetur. In Ordine etiam Regulari ſuo ter Supremi Præſidis munus geſſerat, acceptus omnibus ob ſingularem animi demiſſionem, Rectique amorem. Diutiùs moratus

tus fuerat in Florentina Urbe, adeò intimè dilectus a Coſimo I. appellato Patriæ Patre, ut ejuſdem Maffei intuitu Feſulanam Abbatiam magnis ſumptibus renovaverit, illiuſque Bibliothecam ditaverit pretioſâ Librorum ſupellectile. Peregrinationem quoque Jeroſolymitanam confecerat. Quocirca Nicolaus V. tot meritis cumulatum eum præeſſe voluit Eccleſiæ Mediolanenſi, poſthabito Fratre ipſo Ducis & Domini hujus Metropolis.

Hunc inſignem Virum appellavit Ughellus *Bartholomæum Cotiam*; cùm tamen Clariſs. Marchio Scipio Maffeus *in* ſua *Verona illuſtrata* conſtanter affirmet, deceptum fuiſſe celebrem illum Scriptorem ab Amicis, qui ad eumdem tranſmiſîſſe Exemplaria ſub alio nomine, ut fortaſſe Familiam ſuam nobiliùs exornarent; cùm genuinum nomen Præſulis deſignati in Archiepiſcopum Mediolanenſem eſſet *Timotheus Maffeus*: Idque confirmatum etiam habuit a celeberrimo Salvino Salvinio, qui e Strozziana Bibliotheca tranſcriptam hujus Timothei Epiſtolam, emendationibus ſuis illuſtratam ad eum dono miſerat. Quidquid tamen de hac contentione ſit, de qua nonnulla inferiùs differemus, certum eſt, probatiſſimum hunc Virum adeò demiſsè de ſeipſo ſenſiſſe, ut ſupplicem Libellum dederit ad Nicolaum V., quo illum enixiſſimè precabatur, ut conferre in alium dignaretur nobile hoc onus, minimè ſuis humeris ferendum tum ob adverſam valetudinem, tum ob ſuſceptum miniſterium diſſeminandi per Urbes Provinciaſque Evangelicum verbum; tantumque profecit, ut Pontifex Maximus ab electione ſua receſſerit, eumque liberum Regularis Clauſtri quieti dimiſerit. Non ita benignè poſt-

poſtmodum cum ipſo egit Paulus II. Supremus Hierarcha, qui, cùm eidem Inſulam Raguſienſis Eccleſiæ obtuliſſet, arctiſſimis præceptis ad eam ſuſcipiendam illum adegit; ſed tantâ recipientis amaritudine, ut teſte laudato Scipione Maffeo, numquam exinde viſus fuerit ullo die hilaris vultu, ac fronte ſerena. Nos qui non modico Eccleſiæ noſtræ honori adſcribimus, electum fuiſſe a Nicolao V. in Archipræſulem Mediolani commendatiſſimum hunc Virum, reliquis Archiepiſcopis eumdem accenſere voluimus, ut ſaltem memoria perennaret in Poſteris tam excelſæ virtutis, quæ oblatam ſibi nobiliſſimam Inſulam, glorioſâ ſuî ipſius victoriâ, aliorum capiti præcingendam reliquit.

Ut autem de Auctore ſupplicis Libelli ad Nicolaum V. diſſeramus, quemadmodum ſuperiùs ſpopondimus, fateri cogimur, valde nobis arduum viſum fuiſſe opinari, eos qui ad Ughellum tranſmiſêre Exemplaria ejuſdem ſcriptionis, ludum eidem facere voluiſſe, ſubſtituendo nomen & Familiam unius, loco alterius; prorſus verò incredibile cenſebamus, auſos eos fuiſſe inverecundum calamum in Epiſtolam Summi Pontificis immittere, vice legitimi nominis illius Viri ad quem dirigebatur, adulterinum ***Bartholomæi Cotiæ*** nomen ſubrogando. Attamen, cùm legeremus in prædicto Libro *Veronæ illuſtratæ*, intrepidè inuri a Clariſſimo Scipione Maffeo notam Impoſtorum Amicis Ughelli, recedere cœpimus a benigna noſtra opinione, ſcrutaturi, num nigrum theta præfixum iiſdem, ſolidè poſſet firmari. Itaque conſuluimus Scriptores Canonicorum Lateranenſium, & Hiſtoriam ejuſdem Ordinis a Gabriele Pennotto conſcriptam, ibique ne verbum quidem de Bar-

Bartholomæo Cotia exaratum, ſed omnia hactenus a nobis allata abſque hæſitatione tribui Timotheo Maffeo Veronenſi invenimus; cùm tamen etiam Cotia adſcriptus dicatur ab Ughello Cœtui Canonicorum Regularium Lateranenſium. Præterea, cùm memores eſſemus, inter Codices MStos Ambroſianæ Bibliothecæ aſſervari prædictum ſupplicem Libellum ſeu Epiſtolam, in pergamena deſcriptam, ad pluteos ejuſdem acceſſimus, eâque repertâ occurrit nobis in fronte illius rubro caractere appoſitum nomen Auctoris, his verbis: *Timothei Maffei Veronenſis, Canonici Regularis, ad Nicolaum Quintum Pontificem Maximum, Epiſcopatus Mediolanenſis Renunciatio feliciter incipit*. Nec dubio locus eſſe poteſt, eomet tempore, quo abdicatio iſta Maffei contigit, eamdem pergamenæ noſtræ fuiſſe conſignatam. Proinde expungi debet ab Ughello inſcriptio illa *Bartholomæi Cotiæ*, quæ ipſi ſubleſtâ fide appoſita fuit, loco genuini Auctoris; præſertim cùm nemo illum in hoc errore ſecutus fuerit, præter Aloyſium Torellum *in Sæculis Auguſtinianis* ad Annum MCDLIV., qui tamen omnia de Bartholomæo Cotia a ſe relata, ebibiſſe ab Ughello candidè profitetur. Ceterùm ut comperta omnibus fiat veritas, neceſſarium ducimus, typis committere Exemplar Epiſtolæ memoratæ, quæ hucuſque latuit in Scriniis Ambroſianæ Bibliothecæ, collatum cum altero Salvini Salvinii, ab eruditiſſimo P. Abbate Canonicorum Lateranenſium Don Joſepho Aloyſio Avogadro ad me humaniſſimè tranſmiſſo.

Timo-

Timothei Maffei Veronenſis, Canonici Regularis,
Ad Nicolaum V. Pontificem Maximum
Epiſcopatus Mediolanenſis Renunciatio
feliciter incipit.

„ LEgi nonnumquam, Beatiſſime Pater, apud Plutarchum,
„ Virum inter Græcos eloquentiſſimum, qui nobis quo-
„ rumdam magnorum & illuſtrium quidem Virorum tam
„ græcorum, quàm latinorum vitas moreſque depinxit, Ale-
„ xandrum centum talenta juxta ſolitam illius liberalitatem
„ dono ſemel miſiſſe Phocioni, Viro ob rectitudinem animi
„ mirandamque juſtitiam, ac vitæ parcitatem ſibi familiari-
„ tate conjuncto. Hæc, cùm Athenas delata fuiſſent, ſuſce-
„ ptis a Phocione de more Legatis, quam, inquit, ob rem
„ tantum auri pondus Alexander ad me ſolum juſſit afferri,
„ cùm ingens ſit Athenienſium numerus virorum pariter &
„ mulierum, quibus iſta potuiſſet erogare? Illis reſpondenti-
„ bus, hoc ideo ab Alexandro factum, quoniam ipſum &
„ honeſtum & bonum Virum exiſtimabat, ait Phocion, ta-
„ lem me videri, & eſſe permittat ſemper. Cùm multa
„ utrinque & acta & dicta fuiſſent, in ſua ſententia perſe-
„ verante Phocione, relatæ ex Athenis pecuniæ ſunt. Ob
„ quam quidem rem reſcripſit ad Phocionem Alexander, ſeſe
„ minimè eos pro Amicis habere, qui eo minùs indigerent.
„ Intelligere enim poterat non ſolùm ipſe, verùm & uni-
„ verſa Græcia, Phocionem longè ditiorem eſſe, cui iſta
„ deeſſent, & ea non appeteret, quàm qui tam elargir-

„ tur. Hujuſmodi verbis Phocionem ad acceptandas pecunias „ inducere ſtudebat Alexander. Aſt cùm illius animum in „ pecunia reſpuenda conſtantem inveniſſet, ad Craterum in „ Macedoniam Literas dedit, quibus jubebat, ut unam ex „ quatuor Urbibns in Aſia conſtitutis, quas in Literis no- „ minabat, quam ſibi Phocion eligeret, ipſi conſignaret, & „ ſuo arbitratu dono regendam traderet. Quam ſi renueret, „ & amicitiæ fœdera rupturum, & non mediocriter ſtoma- „ chaturum ſeſe in Literis adjiciebat. Phocion verò in hac „ oblatione, nec his minis motus induci potuit, ut oblatam „ Civitatem acceptaret, pauperem & tranquillam vitam ma- „ gis, quàm divitias & imperia pro ſua prudentia deligens. „ Legi inſuper apud Diogenem Laërtium, quem ſuperiori „ tempeſtate Frater Ambroſius Florentinus, Vir tum eloquen- „ tiſſimus, tum religioſiſſimus nobis Latinum fecit, Pythago- „ ram oblatum ſibi Regnum reſpuiſſe, ſimplicitatem vitæ, „ quàm divitias & delicias carnis amplectendo, quò faciliùs „ Philoſophiæ operam navare poſſet; & optimè ac ſapientiſ- „ ſimè quidem. Nam cùm homo inter animalia, & ſepara- „ tas ſubſtantias quas Angelos dicimus, quaſi medius conſti- „ tutus ſit, eis ſeſe admiſcere pro arbitrio poteſt; namque „ ſi voluptuoſam duxerit vitam, Sardanapali illius mores imi- „ tans, inter bruta quæ ad ſenſum vivunt, collocandus erit; „ ſi verò in congregandis juſtè divitiis, in regenda Plebe, „ in conſulendo Reipublicæ, & hujuſcemodi quæ ad politi- „ cam vitam pertinere noſcuntur, illius cogitationes & ope- „ ra verſabuntur, inter homines haberi, & uti homo exi- „ ſtimari debebit. Si verò ab his terrenis curis & rerum

„ tranſ-

„ tranſeuntium cogitationibus ſequeſtratus, Philoſophiæ ſe to-
„ tum devoverit, & ad res contemplandas ac earum Au-
„ ctorem, animum mentemque converterit, non inter homi-
„ nes, quin ſuper eos, ideſt inter Angelos cenſeri oporte-
„ bit. Nam qui politicæ deſerviunt, variis curis & rerum
„ varietatibus ſæpenumero perturbati, carnis paſſiones miſerri-
„ mè conſectantur, a quibus qui rebus ſpeculandis ſeſe de-
„ dêre, alieni quodammodo & liberi vitam vivunt; & cùm
„ in carne & præter carnem vivere, angelicum ſit potiùs,
„ quàm humanum, idcirco feliciorem hujuſmodi vitam Phi-
„ loſophi dixere eſſe, politicâ. Hoc fortaſſis Pythagoras in-
„ telligens, Regnum contempſit atque divitias, ut non ve-
„ lut homo, verùm inter homines vivens, ſuper homines
„ eſſet & haberetur. Anacharſis quoque, cùm ab Hamone
„ multa ſibi oblata, multa ſibi dono data fuiſſent, ad eum
„ in hæc verba reſcripſit: *Mihi amictus eſt Scythicum teg-*
„ *men, calceamentum ſolidorum callium, cubile terra, pul-*
„ *mentum fames; lacte, carne, caſeo veſcor; quare ut ad*
„ *me quietum venias, licet; munera autem iſta, quibus es de-*
„ *lectatus, vel Civibus tuis, vel Diis immortalibus dona.*
„ Poſſem hoc in loco, Beatiſſime Pater, multos in medium
„ adducere tam Philoſophos, quàm reliqui Ordinis Viros,
„ non Græcos modo ſive Latinos, ſed etiam Barbaros, qui
„ vel parvam, vel nullam Dei noſtri Optimi & Maximi co-
„ gnitionem habentes, futuræ felicitatis & miſeriæ ſtatum
„ non intelligentes, & opes & magnifica tecta, & Dignita-
„ tes & imperia, quadam animi magnitudine atque conſtan-
„ tia reſpuentes, pauperem potiùs ac tenuem vitam delegêre,

 „ quo-

„ quodam vel contemplationis vel quietis amore deducti.
„ Quos cùm legimus, admiramur omnes, & maximis laudibus proſequimur. Ceterùm impræſentiarum hoſce, ante oculos adduxiſſe ſufficiat, quò ab eis diſcant Chriſtiani, maximè Religioſi viri, qui ſeſe perpetuò Deo dedicarunt, qui increpandi quive redarguendi ſint, ſi aliis præeſſe quadam cum Dignitate ambiunt; vel id, cùm oblatum fuerit, quantum in illis eſt, conſtanti mente refugiunt, non ſolùm quodam quietis amore, ùt illi, verùm etiam humilitatis gratiâ ſeipſos indignos prorſus nec ſatis idoneos cognoſcentes, timenteſque, ne ex alto cadentes in præcipitium ruant; cùm plurimos videamus ex iis qui honeſti & boni Viri videbantur, in regimine conſtitutos inflari, ac gloriæ vento circumferri, & ſæpiùs in varia vitia delabi; ideòque ab Ariſtotele verè dictum extitiſſe, *Principatum*, *Virum oſtendere*. Hanc ob rem, Sanctiſſime Pater, non dolere, gemere, & lacrymas hiſce diebus, redditis mihi tuæ Beatitudinis Literis, fundere non potui, cùm ex illis intellexerim, me abs te in Epiſcopum delectum, teque mihi tua auctoritate jubentem, quò huic voluntati & promotioni tuæ (ut vulgato vocabulo loquar) perinde ac decet obedientiæ filium, morem geram. Ad hoc profectò nedum Sanctorum Virorum exempla, verùm etiam eorum quos ſuperiùs memoravi, me etiam atque etiam impulere, itaut neſciam, ſi mihi aliquid hoc tempore accidere poſſet, quod ad hujuſce mei doloris cumulum adderet, non ùt multi faciunt, hoc in loco, ob hoc tuum munus, ſi tamen munus potiùs quàm onus dici poteſt, tuæ Beati-

„ tudi-

„ tudini gratias acturus ſum; ac magis gemitus imo de pectore ducturus, cùm in hoc Epiſcopale piſtrinum impellere me conetur Beatitudo tua, ubi mihi numquam bene ſit, ubi Monaſterii pacem & quietem amittam, ubi Fratrum meorum ſolatio deſtitutus ſim, ubi Literarum ſtudium vel omittendum vel relaxandum ſit; hoc maximè tempore, quo mirum in modum proficere, & aliis ſi non conſilio, at exhortatione mea prodeſſe potuiſſem. Et profectò, ni hac mea adverſa valetudine detinerer, quæ me plures jam menſes acerrimè cruciat, ad tuæ Beatitudinis pedes acceſſiſſem, & lacrymis intervenientibus poſtulaſſem, ne hanc provinciam humeris meis imparem me ſubire juberes. Verùm cùm id non libeat febri, quæ maceratum nondum reliquit, agam his Literis, quod coram agere debuiſſem; quas ſi tardiuſculè ſuſceperis, non negligentiæ ſed febribus adſcribendum erit. Scis, Pater Sancte, & pro tuo ſæpiſſimè in Literas amore legiſti, in dieſque periculum facis, quanta ſit regendi ſarcina, quantum ſuper humeros, imo ſuper animam immineat pondus multitudinis perferendæ. Nam, ut reliqua taceam, omnium Sacerdotum & Clericorum, ceterorumque, qui meæ fuerint fidei delegati, quorum numerus Mediolani copioſiſſimus eſt, quò me pergere jubes, graviſſimum mihi onus incumbet, pro quibus ad unguem, ùt ajunt, me reddere rationem oportebit. Sed heu! cùm vix ſufficiam mihi; quin magis ad peccatorum cumulum addatur in dies. Quo, pacto Monaſterii portum tranquilliſſimum exeam, marinis fluctibus animam meam, quibus fortè ſubmergar, committendo? Gregorii quippe

„ San-

„ Sanctiſſimi non immemor ſum, qui dum Summum Ponti-
„ ficium adminiſtraret, Monaſterii quietem Paſtoralibus illis
„ in curis & anxietatibus recolens, ſuſpirans eam ſæpenu-
„ mero ſe amiſiſſe dolebat; illius & ceterorum periculo do-
„ ctior ero, agamque pro viribus, ne perdam quod poſtea
„ cum lacrymis a me fruſtra quæratur. Præterea varius eſt
„ Populus, & opinionibus multiplex, nam juxta Satyrici il-
„ lud, *velle ſuum cuique eſt, nec voto vivitur uno*. Ex illo
„ ſi quiſpiam corrigendus erit, & Demoſthenem imitari no-
„ luero, qui cùm priùs Harpalum quemdam ex Athenis eji-
„ ciendum ſuaderet, ab eo tamdem aureo vaſe pecuniâque
„ corruptus, cùm poſtea de Harpalo recipiendo ageretur,
„ lana & vittis collum circumfarciens, in concionem proceſ-
„ ſit, juſſuſque dicere, renuit, quaſi gulæ morbo loqui im-
„ pediretur: Eam rem intelligentes ridebant, non gulæ mor-
„ bo ſed auro, per noctem conſtrictam vocem perdidiſſe
„ Demoſthenem clamitabant: Hunc, inquam, ſi imitari no-
„ luero, & ceteros quos munera corrupêre; ſed animi re-
„ ctitudine atque conſtantia plectendo uti voluero, maxima
„ in me odia concitabo. Sin verò perfunctoriè rem egero,
„ ne cui mea increpatione moleſtus ſim, & ad oculos ho-
„ minum ſerviens, diſciplinam poſt terga poſuero, quales
„ pœnas, quales cruciatus daturus ſum, quanta præterea meæ
„ exiſtimationis jactura futura eſt; quippe apud eos, qui boni
„ & eſſe & pro eorum ſalute videri volunt, in proverbium
„ veniam. Ecce quî, dum clamaret in populo, miro ardo-
„ re in peccata invehi videbatur, quo pacto in ſuæ ſalutis
„ & populi ſibi crediti negligentiam ſegnitiemque devênit?

„ Ac-

„ Accedit ad cumulum, omnium populorum ſcandalum, qui
„ me vel agnovere, vel prædicantem audiere, vel ad quos
„ meæ prædicationis fama delata eſt, ſi more vulgi quod
„ malam in partem res interpretari facillimè ſolet, me ob-
„ latam Dignitatem non reſpuiſſe, ſtomachabuntur, quod am-
„ bitioſi animi indicium aſſeverabunt; addentque, me & le-
„ guminibus & oleribus uſum, lenticula atque piſciculis, ca-
„ ſeo & lacte, vili quoque indutum amictu & ſordido,
„ caput in humerum tenuiſſe deflexum, & humilitatem quam-
„ dam ſemper redoluiſſe, Literarumve maceratum ſtudiis &
„ frequentiſſimis prædicationibus, quò mihi tamdem Alexan-
„ drinis, ùt ajunt, deliciis uti, & Annulum Epiſcopalem
„ ac dilatatam fimbriam circumferre, erectum quoque more
„ Principis tollere vultum, ac diverſis præeſſe & imperare,
„ & tamdem inerti otio tabeſcere daretur. Vulgatum inſu-
„ per illud tritumque proverbium eorum ore volveretur, me
„ ſcilicet jejunaſſe, quò poſtea a me Solemnitas celebrari poſ-
„ ſet. Hoc pacto variis de me rumoribus Vici, Caſtella,
„ Civitates replebuntur. Et oh infelix ego! In me cudetur
„ hæc faba, & ero populorum fabula, perinde ac multi hac
„ noſtra tempeſtate fuere, quorum nomina honeſtatis gratiâ
„ ſilentio prætereo. Animadvertendum eſt etiam, quantum
„ ceteris Sanctiſſimis Prædicatoribus nedum præſentibus, ve-
„ rùm etiam futuris officiam; nam cùm in peccantes inve-
„ hentur, virtutes ad aſtra tollent, Mundi contemptum per-
„ ſuadere conabuntur, humile tegumentum induerint, & re-
„ liqua quæ ad animarum aucupium pertinent, totis animis
„ pro Chriſti amore & earum ſalute peregerint, caſſa qui-
„ dem

„ dem omnia & irrita futura ſunt; nam, ut Gregorianâ ſen-
„ tentiâ utar, *cujus vita deſpicitur, reſtat, ut ejus prædi-
„ catio contemnatur*, quod eis profectò contingere minimè
„ dubitandum erit. Atqui meî & ceterorum Prædicatorum
„ gratiâ, qui Pontificali honore magis, quàm declamationis
„ officio inſigniti eſſe voluerint, nec devotioni nec auctori-
„ tati eorum mores ac verba habebuntur; quæ ſi a Prædi-
„ catore tollantur, ut fruſtra proclamet opus eſt. Exiſtima-
„ bunt namque eorum Auditores, ſub prædicationis melle
„ latêre venenum, ideſt ambitionem quamdam, ut, cùm ſe
„ opportunitas offeret, ſimilia noſtri atque ſororia facturi ſint.
„ Hanc potiſſimùm ob cauſam religioſiſſimus & noſtrorum
„ temporum eloquentiſſimus Vir, Bernardinus Senenſis tres
„ renuit Epiſcopatus, ne ambitionis venenum & maculam in
„ ceteros Prædicatores injiceret; animadvertebat enim pius &
„ oculatiſſimus Vir, quantum ornamenti ceteris afferret Præ-
„ dicatoribus, oblatas Dignitates reſpuendo, quantum dede-
„ coris incurreret acceptando ſimul & infamiæ; quantum au-
„ ctoritatis exhiberet illic, quantum hic exauctoraret. Adji-
„ ciendum eſt his, mei Ordinis dedecus, & cenſoria, ut
„ ita dixerim, nota; nam Religioſiorum nonnulli ſunt, qui
„ vel dum ad Epiſcopales Infulas aſſumuntur, vel aliis Di-
„ gnitatibus illuſtrantur, ſeſe Ordini ſuo, maximo ornamen-
„ to futuros exiſtimant; reliqui verò illius Ordinis illis con-
„ gratulantur, & ſibi congaudent, cum illorum Dignitate,
„ tum Ordinis utilitate quam ſperant pariter & decore. At
„ ego longè aliter ſentio. Etenim Ordini meo, & dedecori
„ & nocumento me futurum arbitrarer, ſi oblatum Prælatio-
„ nis

„ nis honorem, quo ſæpenumero vanitas hominum gloriatur,
„ aſſumerem; nam Fratrum meorum nonnulli fortè mihi con-
„ gratularentur, & hac nova collata Dignitate congauderent;
„ nonnulli verò me contumeliis fortaſſis afficerent, quòd a
„ prima mea vocatione defeciſſem. Primis igitur illis timen-
„ dum eſſet, ne eorum animis virus ambitionis illaberetur,
„ agerentque meî exemplo, quò tamdem optata Dignitate
„ potirentur; alterorum verò perturbatio mihi meritò poſſet
„ adſcribi, quòd non reſtiterim, quòd libenter obtemperare
„ viſus ſim. Diceretur præterea, vel omnes ex meis, qui e
„ Religione ad altiorem gradum evocantur, ſimilia libenti
„ animo eſſe facturos, vel de me malè meritos fuiſſe, in-
„ deque menti meæ obortam fuiſſe hujus ambitûs volunta-
„ tem. Adducam tamdem èt aliam rationem, cujus memo-
„ riâ maximè crucior, & vix lacrymas nunc ſcribendo con-
„ tinere queo, nempe, ſi in Epiſcopali throno ſederem,
„ meis imo divitiis, prædicationum muneribus (& linguæ
„ officio ac medicamento) tota privaretur Italia, quam, quod
„ ſine arrogantia dictum velim, juxta mei vires ingenioli,
„ ad virtutes amplectendas uſque in diem hodiernum exhor-
„ tatus ſum, ad vitia perſequenda, ad peſſumdandas Mundi
„ hujus illecebras, ad calcandum Diabolum, ad amplecten-
„ dam Crucem, ad futuram vitam avendam pariter & con-
„ templandam: quæ profectò Epiſcopalis ſarcina me facere
„ prohiberet. Nam in Clericis ordinandis, in Virginum con-
„ ſecratione, in Chriſmatis ad frontes conſignatione, in Ec-
„ cleſiarum viſitatione, in Sacrarum Ædium & Altarium
„ conſecratione, in Monialibus exhortandis, in delictis cor-

M „ ri-

Digitized by Google

„ rigendis, & ceteris quæ ad Epiſcopum ſpectant exercen-
„ dis, vix tempus & mea vita ſufficeret, ni hujuſmodi in
„ meæ famæ animæque periculum nihilì fecero. Verùm eſto
„ quò mihi tempus ab his curis aliquando liberum conce-
„ datur, quod vel literario otio vel doctrinæ poſſim im-
„ pendere; nonne cùm annum unum vel duos illi populo
„ Mediolanenſi prædicavero, mea, ut ita dixerim, in nau-
„ ſeam doctrina vertetur? Ita ſanè. Nam perinde ac nulla
„ tam delicatiſſima fercula componi poſſent, & ſic optimè
„ præparari, quibus ſi quotidie diebus aſſumerentur, non
„ nauſearet anima; pari modo nulla eſt tam excellens do-
„ ctrina, tam luculentiſſimè pronunciata, quæ ſi ſedulò ex
„ uno dicendi fonte etiam copioſiſſimè manet, audientibus
„ non vertatur in tædium: Cujus quidem rei quotidiano pe-
„ riculo gnarus ſum. Hinc Salvator noſter, vera lux & via,
„ poſt fugatos ex hominibus Dæmones, poſt redditas ægro-
„ tantibus valetudines, poſt alia confecta miracula, cùm
„ in deſertum locum exiſſet, & eum turbæ proſecutæ fuiſ-
„ ſent, eas ne ullo pacto dehereret, expetentes quò illius
„ doctrinâ inſtrui & dicendi ſuavitate plurimùm oblectari
„ poſſent, nullo pacto illis morem gerere volens, *oportet*,
„ inquit, *me èt aliis Civitatibus evangelizare Regnum Dei*.
„ Hinc Paulus Apoſtolus varios adivit Populos, terras lu-
„ ſtravit & maria, ubique Jeſum prædicans, & hunc Cru-
„ cifixum; & cùm aliquando iviſſet Epheſum a Mileto, &
„ majores natu convocaſſet, & exhortatione factâ veniam
„ petiiſſet, nullo eorum fletu, nullis gemitibus, nullis pre-
„ cibus retineri potuit, quin pergeret Jeroſolymam, aliò etiam
„ inde

„ inde perrecturus. Hinc ad Timotheum ſcripſit, Dei ver-
„ bum alligatum eſſe minimè debere; quamquam hæc verba
„ in aliam ſententiam trahi poſſint. Hinc beatiſſimi illi Fran-
„ ciſcus atque Dominicus varias prædicando luſtravere Pro-
„ vincias, nec umquam ullo in loco religari voluere, quò
„ multis utilitati eſſe poſſent. Dominicum ſecuti ſunt multi
„ cum ſanctiſſimi tum ſapientiſſimi Viri, inter quos in hoc
„ Apoſtolico dicendi genere (ut ceteros omittam) Vincen-
„ tius Hiſpanus ſuperiori tempore floruit, cui non ſolùm
„ Hiſpaniam Galliamque prædicando percurrere ſatis fuit,
„ verùm etiam Italiam ſuis prædicationibus illuſtravit. Fran-
„ ciſco verò etſi adjuncti ſint multi, unius tamen mentio-
„ nem feciſſe ſat erit, Bernardini ſcilicet Senenſis, Viri hac
„ noſtra tempeſtate integerrimi, de quo ſuperiùs verba fe-
„ cimus, quem varia miracula clarum univerſo Orbe reddi-
„ dere. Huic numquam perſuaderi potuit, quò uno in Loco
„ diutiùs prædicaret. Omnem peragravit Italiam, ut Caſtel-
„ la & Vici non expertes illius prædicationum exiſterent,
„ & quales fructus ob hoc conſecuti ſint, certiores ſumus.
„ Silentio prætereo Dei Servos, qui has noſtras Italiæ par-
„ tes hoc noſtro tempore liberi, ideſt a Prælationis vincu-
„ lo ſoluti diſcurrunt; quorum fructus ſi deſcribere voluero,
„ mihi verba deerunt, non ſolùm illa Ciceroniana, verùm
„ hæc quotidiana atque noſtratia. Mitte me igitur, oro,
„ Beatiſſime Pater, mitte, inquam, me inter Vincentios,
„ Bernardinos, & ceteros, qui hoc dicendi genere clarue-
„ runt, clarentque in dies, pro animarum ſalute convivere.
„ Noli me, obſecro, Epiſcopali catenâ, una in Civitate

„ detinere, ut dum uni tantùm Urbi meam operam impendo, alii meritò de tua Beatitudine conqueri poſſint; neve particulare bonum communi præponas, cùm in Ethicis ab Ariſtotele commune divinius eſſe particulari credatur, quoniam magis ad Dei ſimilitudinem pertinere videtur, qui omnium eſt univerſalis cauſa bonorum. Subincrepabit me fortaſſis hoc in loco Beatitudo tua, & præſumptionis ac temeritatis arguet, cùm tot celeberrimis Viris me audeam commiſcere, qui pro humilitate non hæc de me ſentire, & ſi ſentio, reticere debuiſſem. Eſto præſumam hoc, & temerariè quidem: Oro igitur ego te, quo pacto me inter Epiſcopos ſublevas, quorum dignitas clarior, auctoritas gravior, onus graviſſimum eſt? Sanè ſi quiſpiam cum remigantibus ad id officii non mereatur aſſumi, longè minùs cum iis qui navem inter fluctus & tempeſtates gubernare ignari ſunt. Quæ res cùm ita ſe habeant, mihi abs tua Beatitudine concedendum eſt, ut creditum mihi theſaurum variis in locis, uti opportunum fuerit, pro Domini voluntate poſſim erogare, ne tot mortalium peccatorum rei ſimus, quot hominibus prodeſſe ad beatam vitam in multis populis & nationibus potuiſſemus; nam etſi tot clariſſimis Viris adjungi non merebor, lætabor ſaltem, me poſt illos proceſſiſſe, & quoſdam manipulos in aream Domini deportaſſe. Ex quo intelligi poteſt, Beatitudinis tuæ me non ideo oblatam Dignitatem recuſare, quò laborem ſubterfugere propoſuiſſem, verùm econtra laborem appetere, Dignitatem vitare. Nam cùm Epiſcopi proprium ſit & quaſi peculiare, ſubditum ſibi populum cœleſti doctrinâ,

„ ve-

„ veluti ſolidiſſimo cibo nutrire, ut voce Paſtoris Oves intelligant, quid deceat, quid non, quò virtus, quò ferat error, quod quidem dicendi genus laborioſiſſimum eſt; hoc opus, hic labor meus ſit; ceteri verò qui voluerint, hujuſmodi Dignitatibus ornentur. Habeant igitur alii ſibi Infulas, ſibi Cathedras, ſibi manuum oſcula, ſibi redimita tempora Mitrâ: Meæ verò deliciæ, mea corona, meum gaudium ſit in vigiliis multis, fame, ſiti, frigore, nuditate, & ceteris quibus gloriabatur Apoſtolus, meæ vitæ reliquum prædicando conſumere; elegi enim jampridem abjectus eſſe in Domo Dei mei, quàm habitare in tabernaculis Prælatorum, ne tamdem ipſis admiſcerer, non quò eorum ſtatum condemnem, cùm illum excelſiorem meo, ideſt religioſo, a Sanctiſſimis Viris definitum ſit, verùm quia periculoſiorem exiſtimem. Me igitur, oro, talem perpetuò eſſe ſinat Beatitudo tua, qualem a teneris, ùt ajunt, unguiculis concupivi. Nec te moveat ea, quam in me extollis, prædicandi gratia, cùm longe & dicendi copia atque vehementia, & regendi prudentia atque ſolicitudo differre videantur; & multò ſæpe in altero eorum ſapere, in altero verò prorſus deſipere comperimus: Quod mihi faciliùs contingere poſſet, cùm regendarum animarum imperitus & penitus ignarus exiſtam; nam qui in Medicina audienda & perdiſcenda ſudarunt, ſi antequam quotidiana exercitatione eorum quæ didicere periculum faciant, multos dum curare cupiunt, interimunt; quid de his exiſtimandum erit, qui ad Epiſcopi onus vel ex Religione, vel ex Seculo, nullo priùs habito regendarum animarum

„ ſtu-

„ ſtudio, nullâ antea ſuper hac re auditâ ſeu lectâ doctri-
„ nâ deducuntur? maximè cùm jam trito ſermone dicatur,
„ nihil artificioſius eſſe quàm regimen animarum. Idcirco
„ Paulus Apoſtolus ad Timotheum ſcribens multa adducit in
„ medium, quibus Epiſcopos ornatos eſſe oportere nedum
„ poſt eorum Conſecrationem, verùm antequam deligantur,
„ oſtendit; ut intelligamus, populi ſalutem & interitum ex
„ Præſidentis bonitate malitiâque pendere. Idcirco felicem
„ illam Civitatem exiſtimo, ubi præſint Rectores ii, qui
„ & pietate vera ſimul, & regendi ſcientia pollent; num-
„ quam enim, vel raro, idque fortuitò, ex ſæva procella
„ Gubernator imperitus & maritimæ artis ignarus, in por-
„ tum Navem reducet; nec Auriga rei currulis indoctus,
„ umquam victrici coronâ donabitur. Hinc quandoque in-
„ terrogatus Ageſilaus, quid Lacedemonii facturi; an eo in
„ prælio quod gerebatur, victoriâ potirentur: ſi prudentiſ-
„ ſimus, reſpondit, imperator rem gereret. Et optime
„ ſane; nam quis negligens & peſſimus villicus, diligentes
„ & bonos agricolas ſe facturum ſperet? Quis ſomnolentus
„ & ignavus imperator, & nihil commune bonum exiſti-
„ mans, verùm ad ſe omnia & in proprium commodum
„ trahens, milites de Republica vigilantes, & de illius
„ ſalute ardentes efficiat? Idcirco Platonem dixiſſe legimus,
„ quales Principes, tales & Subditos eſſe conſueviſſe. Cy-
„ rum quoque dicere ſolitum accepimus, non eſſe decens
„ convenienſque, præeſſe aliquem, qui & melior & pru-
„ dentior Subditis non probaretur. Hinc Cato ille Senior
„ eum malum Principem ajebat, qui ſibi ipſi imperare ne-
„ ſci-

„ ſciret, aut non poſſet. Solon quoque interrogatus, qualis, qui aliis præeſt, eſſe debeat: ſe, inquit, priùs quàm „ Subditos rectificare debet; alioquin erit velut ille, qui „ umbram curvam rectificare conatur, priuſquam virga umbram cauſans recta ſit. In hanc ſententiam a Plutarcho, „ Trajano illius olim auditori ad Imperium tamdem ſublato „ ſcriptam Epiſtolam legimus, in qua hujuſmodi verba leguntur: *Tu verò quidvis rectiſſimè geres, ſi non receſſeris „ a te ipſo; ſi primùm te compoſueris, ſi tua omnia diſ- „ poſueris ad virtutem, rectè tibi procedent univerſa. Politicæ conſtitutionis morum tibi vires exſculpſi, cui ſi obtemperas, Plutarchum vivendi habebis auctorem. Alioquin præſentem Epiſtolam teſtem invoco, quia in perniciem Imperii „ perrexiſti, auctore Plutarcho.* Hæc ideo a me dicta „ ſunt, Beatiſſime Pater, ut qui ultrò præeſſe ceteris ambiunt, & Eccleſiaſticis Dignitatibus inſigniri, vel qui oblatum Prælationis munus libenter acceptant, intelligant, „ ſeſe omnibus ornatos eſſe virtutibus oportere, quò ad bene beateque vivendum creditum ſibi populum, eorum „ exemplo, perinde ac Aurigæ peritiſſimi, deducere poſſint. Atqui, cùm nondum id perfectionis me aſſecutum „ eſſe non tantùm pro humilitate exiſtimem, verùm certò „ ſciam, nihil mihi magis inpræſentiarum a tua Sanctitate „ petendum exiſtimo, quàm ut e memoriæ tuæ tabellis, „ quantum ad hanc rem attinet, me prorſus abradas; nec „ me talem exiſtimes, qualem Epiſcopatus expoſcit. Quod „ ſi exoravero, id mihi adeò gratiſſimum erit, ut neſciam, „ quid gratius, quid jucundius, quidque utilius hoc tem-

„ pore

Digitized by Google

„ pore mihi contingere poſſit. Longiùs fortè exſpatiatus ſum, „ quàm fluctus & æſtus Paſtoralium occupationum, quibus „ es agitatus, exigeret. Verùm quantum ad rem meam „ perſuadendam attinet, fortaſſis breviuſculus exiſtimabor. Sed „ ni Sanctitatem tuam mecum jam jam ſentire confiderem, „ alia cum exempla tum argumenta in medium produxiſ- „ ſem, quæ meam in ſententiam Virum non tantùm pium „ ac mitem, ùt tu, ſed aſperum ac durum, & quem con- „ ſtaret hyrcanas nutriſſe Tygrides, facillimè deducerent. „ Finem igitur mihi dicendi faciam, ſi priùs unum addi- „ dero, ſupplicaveroque, ut ſi fortè quid inconcinnum illi- „ matumque, & ex ruſticitatis officina imprudenter emanaſ- „ ſe, pro tua ſapientia in hac mea reſponſione cognoveris, „ illud tua ſolita benignitate imperturbato animo ſuſcipias, „ & ob diuturnam ægrotationem debilitati mei corporis ad- „ ſcribas, quæ mihi maximo in edendis eſt Libris impedi- „ mento; cùm id laboris & ſtudii, cerebrum, oculi, ma- „ nuſque recuſent. Valeat Beatitudo tua, cujus pedibus uti „ ſervulum me commendo. Timothei Maffei, Mediolanenſis „ Epiſcopatûs renunciatio finit.

GA-

GABRIEL SFORTIA.

DEtrectante Archiepiſcopalem Dignitatem Timotheo Maffeo, Gabriel, Franciſci I. ex Sfortia Familia Mediolani Ducis ac Domini Frater, a Nicolao V. Summo Pontifice renunciatus eſt ſtatim Nicolai Amidani Succeſſor, Anno MCDLIV., die XXI. Junii. Invito prorſus animo, huic ſplendido honori humeros ſummiſiſſe dicitur Gabriel; abjecto namque militari ſago, quo primùm indutus non levia dederat bellicæ fortitudinis indicia, ſeſe abdiderat in Aſceterio Liceti prope Florentiam, Ordinis Eremitarum Sancti Auguſtini, cujus Regulam amplexus fuerat, mutato in Gabrielem Caroli nomine, quod baptiſmalibus aquis abluendus antea receperat. Quæ ibidem dederit experimenta atque exempla tum ſanctimoniæ ſingularis, tum aliarum virtutum in Suggeſtibus, in Eccleſiis, in Clauſtris, recenſet Aloyſius Torellus, qui Vitam ejuſdem inſeruit ſuis *Seculis Auguſtinianis*, ad Annum MCDLVII.

Mediolanum delatus, Paſtoralis ſolicitudinis initium cepit a magno Opere, publicoque beneficio. Aperta per hanc Metropolim quamplura aderant, ægrotis præſertim pia Domicilia; ſed cùm multitudini capiendæ ſatis non eſſent, ac ingens copia Civium, auxilio carentium atque languentium, ob teterrimam luem ac famem, quæ proximis ante annis illos oppreſſerat, per compita vagaretur, Gabriel Archiepiſcopus dicitur a Ripamontio præcipuus Auctor fuiſſe, apud Fra-

trem Franciſcum Mediolani Ducem, condendæ Magnæ Ædis, quæ apta foret excipiendis amplo numero ægrotis. Itaque Franciſcus faciles aures præbens Archipræſuli Fratri, & ærarium recludens, molitus eſt atque ad culmen evexit Anno MCDLVI. grande illud Ædificium, quod nunc miraculo eſt non tam hujus Metropolis Incolis, ſed etiam adventantibus Exteris Europæ univerſæ: Si enim ornamenta, quibus undique fulget, contempleris, non Pauperum Noſocomium, ſed magnificentiſſimam Principum Regiam te intueri procul dubio arbitraberis. Ad pares ſumptibus parandos reditus, quibus in perpetuum fulciri poſſet hoc inſigne Chriſtianæ caritatis Inſtitutum, datus eſt poſtmodum Pio II. Summo Pontifici ſupplex Libellus, ut dignaretur, univerſa omnia quæ per Urbem diſpertita erant pauperum & ægrotorum receptacula, in unum hoc novum eorumdem Domicilium Apoſtolica auctoritate coadunare, ut junctis viribus, glorioſum hoc onus ferri valeret, maximo corporum & animarum proventu. Religioſæ adeo petitioni lubens volenſque annuit Sanctiſſimus ille Pontifex, expeditoque Diplomate, Noſocomii hujus, *Majoris* appellati, imperio ac regimini cetera omnia, quæ patebant Hoſpitalia ſubmiſit; Leges etiam præſcribens, quibus Cœtus decem & octo clari ſanguinis Equitum, ab Archiepiſcopis Mediolanenſibus deſignandorum, ſolicitâ curâ hunc tantæ pietatis Locum impoſterum gubernaret. Quanto nobilis ingenuitatis religioniſque ſplendore in hunc uſque diem hoſpitalis iſta Domus adminiſtrata fuerit, non vacat referre, cùm Ripamontius methodum omnem diligentiamque, quam adhibent Equites ſibi per annum ſuccedentes, in

in hoc munere implendo, minutim deſcribat.

Parato egenis morboque afflictis Civibus, ruſticiſque, ac etiam pauperibus Advenis inſigni hoc beneficio, Paſtoralem curam ad Moniales Archiepiſcopus noſter convertit. Gravis diſcordia excitata fuerat inter Alumnas Sancti Auguſtini, quæ ſimul degebant in Cœnobio, tunc nuncupato *de Vedano*, ſub Regula ab eodem condità; cùm aliæ Franciſcanum Ordinem amplecti exoptarent, aliæ verò quam profeſſæ fuerant Regulam Sancti Auguſtini dimittere prorſus abnuerent. Ad hanc litem compeſcendam primæ ſejunctæ fuerant, & in proximo Sanctæ Claræ Monaſterio collocatæ, ùt ſuperiùs retulimus, ubi de Cardinali Archiepiſcopo Henrico egimus: Gabriel autem Antiſtes, ut poſtremas validiùs in ſuo propoſito firmaret, eas regendas viſitandaſque tradidit Vicario Generali Congregationis, cui ipſe adſcriptus erat, nempe Eremitarum Langobardiæ Sancti Auguſtini.

Eàdem ſolicitudine uſus eſt, ut Moniales Cœnobii, dicati Sanctæ Agneti, quæ aliquantulum a Regula Sancti Auguſtini deflexerant, in rectum Monaſticæ obſervantiæ tramitem revocaret; nàm Religioſas quaſdam Virgines ex Monaſterio mox enunciato *de Vedano*, illuc tranſtulit, ac parem iiſdem Rectorem, Vicarium Generalem Ordinis Eremitarum aſſignavit.

In Monaſterio quoque, quod *Majus* appellatur in Urbe noſtra, ſub Titulo Beatæ Mariæ Virginis & Sancti Mauritii, ut contentiones nonnullas dirimeret, quæ inter Moniales ipſas emerſerant, earumdem curam Vicario Generali prædicto commiſit; idque confirmavit Calixtus III. Summus Pontifex,

tifex, Eremitanis Langobardiæ, Brevibus Literis anno MCDLVI., indulgens ut in Eccleſia Cœnobii illius ritu Romano celebrare valerent; adhuc enim ibidem, ſicuti in ceteris Monialium Eccleſiis, antiquo more Ambroſianus ritus vigebat.

Inter alia præclara excelſi animi ac religionis erga Deum monumenta, quæ Poſteris admiranda reliquit Franciſcus I. Dux Mediolani, manet adhuc Sacra Ædes, quam ille erexit in honorem Supremi Numinis, & glorioſiſſimæ ejuſdem Matris Mariæ, ſub Titulo *Coronatæ*; quemadmodum docet Inſcriptio Lapidi inſculpta in hæc verba:

ILLUSTRISSIMUS DOMINUS DOMINUS
FRANCISCUS SFORTIA VICECOMES,
DUCALI INSIGNITUS CORONA, IN SIGNUM
DEVOTIONIS, CORONATÆ VIRGINI TEMPLUM HOC
CONSTRUI FECIT, SUADENTE B. GEORGIO
DE CREMONA, HUJUS MONASTERII
FUNDATORE, ANNO MCDLI.

Abſoluto ædificio, ac diſpoſitis omnibus quæ ad cultum Dei pertinebant, gloria conſecrandi ſolemnibus cæremoniis hujus Templi contigit Gabrieli noſtro Antiſtiti: Proinde utriuſque Fratris memoria perennat, alterius qui exſtruxit, alterius qui conſecravit.

Statim ac creatus eſt Pontifex poſt Nicolaum V. Alphonſus Borgia, ſub nomine Calixti III., bullatas Literas expedivit Idibus Maji, Anni MCDLV. ad Catholicos Reges, Prin-

Principes, atque omnes Chriſtifideles, ut pro Chriſtiana Fide propugnanda intrepidè bellum ſuſciperent contra perfidum Mahometem Turcarum Regem, pro quo indicendo votum publicè emiſerat, relatum expreſſis verbis ab Odorico Raynaldo ad prædictum annum. Delatæ Mediolanum ſunt hujuſmodi Literæ, & palam e ſuggeſtu Curiæ *Arenghi* recitatæ die XX. Septembris ejuſdem anni, juſſu Gabrielis Sforziæ, coram ipſo, & Fratre Franciſco ejuſque uxore Blanca Maria, Mediolani Dominis, atque adſtante innumerâ Populi multitudine. Neque ſolemnis iſta Sacri belli declaratio a Pontifice Maximo facta, inanis in hac Metropoli fuit; nam non tantùm excitati ſunt Mediolanenſes ad Crucem impigrè ſuſcipiendam contra Infideles, ſed etiam liberalem ſignati æris copiam erogare in expoſitis eleemoſynarum capſulis cœperunt, ad parandas Sacræ hujus expeditionis impenſas. Imo die Dominico XII. ſequentis Octobris memoratus Archiepiſcopus Gabriel præcepit, ut in propatulo promulgaretur præceptum Pontificis Summi, quo jubebantur Divini Verbi Præcones, Ordinis Sanctorum Franciſci & Dominici, de Catholica Fide ac neceſſitate eamdem tuendi conciones habere, atque ad vividiùs incitandos ad arma Chriſtifideles, ipſi ſupra veſtes ad dexteram, rubeam Crucem deferre. Gabriel autem Archipræſul primùm nobili hoc ſigno adornavit Jacobum de Mozzanica Præſidem Cœnobii Fratrum Minorum; ſubinde verò quamplures alios Sancti Dominici Alumnos.

Sequenti anno, ne refrigeſceret in Chriſtifidelium cordibus pius hic fervor, juſſa ſunt ab eodem Archiepiſcopo quotidie pulſari æra Campana ante Veſperas, propoſitis, genuflexo

flexo recitantibus quaſdam preces, Indulgentiarum theſauris, quos Calixtus III. abundè conceſſerat. Itemque indictæ ſunt totius Cleri Supplicationes, ſolemni ritu peragendæ primâ Dominicâ cujuslibet menſis juxta votum Sanctiſſimi Pontificis, remittentis plures dies atque etiam annos de pœnis ob culpas ſubeundis, cuilibet iisdem intereſſet.

Quæ hactenus attulimus, leguntur in vetuſto Codice, conſcripto ab Anonymo Auctore illius ævi, ſervato apud Joannem Andream Iricum, Collegam noſtrum, humaniſſimè ab ipſo communicata.

Citò e vita ereptus eſt digniſſimus hic Præſul: Siquidem poſt annos tres, menſes duos, & dies XXII Sedis obiit Mediolani, die XII. Septembris Anni MCDLVII. Quamobrem emendandus eſt Galeſinius, qui treſdecim Sedis annos eidem adſcribit. Ultimas condidit Tabulas, quibus hæredes inſtituit Fratres Eremitanos Sancti Auguſtini, in Cœnobio Sanctæ Mariæ Coronatæ, eaſque confirmavit Calixtus III. Pontifex Maximus, ùt infra dicemus.

Sepulcrum habuit in Templo, ab eodem conſecrato Beatæ Mariæ Coronatæ, appoſito hoc Epitaphio:

MCDLVII. DIE XII. SEPTEMBRIS. OBIIT B. PATER
GABRIEL DE COTIGNOLA, ARCHIEPISC. MEDIOLANEN.
ORDINIS OBSERVANTIÆ FRATRUM EREMITARUM
S. AUGUSTINI, AC FRATER GERMANUS ILL. D.
D. FRANCISCI SFORTIÆ DUCIS MEDIOLANI.

Ti-

Titulum *Beati* huic Archiepiſcopo , quem Boſſius tunc vivens *Sanctiſſimum* vocat , liberaliter conceſſit etiam Torellus *in Seculis Auguſtinianis* ; cùm tamen Eccleſia noſtra nullum eidem cultum tribuat , quamvis eum inter ſuos Archiepiſcopos numeret .

Errat Ughellus , qui ait, ſepultum Gabrielem fuiſſe in Æde exſtructa a Blanca Maria , uxore Franciſci Primi, nempe in Æde Sanctæ Mariæ Coronatæ , cùm piiſſima hæc princeps Fœmina non Templum memoratum , ſed alterum eidem adjunctum ædificaverit , dicatum Sancto Nicolao Tolentinati .

Digitized by Google

CAROLUS I. FOROLIVIENSIS.

GAbrieli Sfortiæ demortuo Carolus de Forlivio Monachus Benedictinus datus eſt Succeſſor a Calixto III. Summo Pontifice, Anno MCDLVII., ſub initium Octobris. Ughellus tradit, electum ſuiſſe hunc Archiepiſcopum ſub finem prædicti menſis, ideſt die XXIX Octobris. Repugnat tamen Epiſtola ejuſdem Calixti, data ad hunc Archipræſulem jam electum die XVIII. Octobris. Eamdem recitat Torellus *in Seculis Auguſtinianis*, ad annum memoratum; noſque illam paulò poſt referemus.

Præſederat primò Carolus Benedictino Sancti Celſi Cœnobio Mediolanenſi, promotus a Monachis ad Abbatis Dignitatem; id enim conſtat ex Inſcriptione affixa ligneis valvis Portæ primariæ, quà patet in Eccleſiam ingreſſus, quæ ſic jacet:

CAROLUS ABBAS FECIT FIERI MCCCCLI.

necnon ex publicis Tabulis datis in eodem Monaſterio Anno MCDLVII., die XVI. menſis Novembris; nondum enim eo tempore conſecratus fuerat in Archiepiſcopum Mediolanenſem, ſed tantùm electus. Legi hæc poſſunt apud Puricellum *in Diſſertation. Nazarian* Cap CXXIV.

Superiùs narravimus, confirmatas fuiſſe ultimas Tabulas Gabrielis Sfortiæ a Pontifice Maximo Calixto III. Inſtantibus

igitur

Digitized by Google

igitur Eremitanis Fratribus Cœnobii Sanctæ Mariæ Coronatæ, ut in hæreditatem a Teſtatore illis relictam, conſenſu ejuſdem Pontificis Calixti immitterentur, Supremus ipſe Hierarcha eodem Anno MCDLVII., die XVIII. Octobris ſequentes Breves Literas dedit *Carolo Forolivienſi*, *Archiepiſcopo Mediolani electo*, facultatem ei tribuens relaxandi prædictis Fratribus eam hæreditatis portionem, quam ipſe in iiſdem Literis præſcribebat.

„ Dilecte Fili, ſalutem & apoſtolicam benedictio„ nem. Nuper per nos accepto, quòd bonæ memoriæ „ Gabriel, quondam Archiepiſcopus Mediolanenſis dum age„ ret in humanis, ſuum condens Teſtamentum, nonnulla „ Legata & alia relicta fecerat, prout ex ſerie aliarum „ Literarum noſtrarum, in forma Brevis, quas dilectis Fi„ liis Capitulo Mediolanenſi (Dat. Romæ apud Sanctum „ Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXIX. menſis Septem„ bris MCDLVII., Pontificatus noſtri anno tertio) ante„ quam de Perſona tua eidem Eccleſiæ providiſſemus, de „ intentione noſtra pro tunc ſcripſimus, videre poteris: „ Hodie verò dilectus Filius Auguſtinus Prior dictæ Do„ mus Inſtrumentum manu publica ſuper teſtamentaria diſ„ poſitione dicti Gabrielis confectum nobis actualiter præ„ ſentavit, quod inſpici & examinari fecimus diligenter. „ Nos igitur confirmationi & approbationi per nos in di„ ctis aliis Literis factis inhærentes, diſcretioni tuæ com„ mittimus & mandamus, quatenus efficacis auxilii præſidio, „ dicto Priori aſſiſtas, ac voluntatem & mandatum Capi„ tulo factum plenariè exequi permittas, etiamſi ſatisfacto

O „ pro

„ pro Legatis & aliis in dicto Teſtamento, ut præfertur, „ relictis, reliqua mobilia Bona ejuſdem Archiepiſcopi, & „ pecuniæ ſibi adhuc viventi debitæ hujuſmodi, uſque ad „ ſummam quingentorum Florenorum auri de Camera dum- „ taxat aſcendant, non obſtantibus omnibus illis, quæ in „ aliis noſtris Literis voluimus non obſtare. Datum Romæ „ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris, die XVIII. „ Octobris MCDLVII., Pontificatus noſtri anno tertio.

Revocanda huc ſunt quæ jam adnotavimus, ubi actum eſt de egregiis rebus, actis a Sancto Galdino, videlicet nobilitatum fuiſſe ab hoc Archiepiſcopo Carolo Templum Maximum pretioſiſſimis Lypſanis, nempe Corpore Sancti Galdini, & Clavo Crucifixi Domini Noſtri, qui nunc tantâ religione colitur, fremente in obſeſſis corporibus Dæmone, ſeque torquente ad illius aſpectum. Siquidem cùm reficeretur alterum Metropolitanum Æſtivum Templum, in quo theſauri iſti aſſervabantur, Carolus Archiepiſcopus ſolemni cereorum pompâ & Cleri ſupplicatione, eos tranſtulit in Majorem Hyemalem Baſilicam.

Urgebat adhuc ſolicito conatu Calixtus III. Summus Pontifex incœptum Opus Bellum Sacrum parandi contra Turcas Anno MCDLVIII., atque ut novos pietatis ſtimulos Civibus Mediolanenſibus adderet, Nuncii Apoſtolici titulo expediverat ad hanc Metropolim unum ex Fratribus Ordinis Sancti Franciſci. Excepit illum benigniſſimè Carolus de Forlivio Archiepiſcopus; utque vota impleret Summi Hierarchæ, alterum Sacratiſſimi Corporis Chriſti Feſtum diem indixit, celebrandum VIII. Idus Auguſti, addito etiam Octi-

duo

duo Sacrarum precum, pro conſervanda militum Crucesignatorum ſalute, ac profliganda Turcarum nequitia; quam quidem plurimùm contriverat Joannes Uniades, cæſis quadraginta millibus Turcarum Albam-Regalem in Pannonia obſidentium, ùt referunt Bonfadius, & Platina; ſed nondum ſatis fractæ fuerant eorumdem vires. Quandoquidem verò in memoriam hujus victoriæ, die VI. Auguſti reportatæ; Summus Pontifex Calixtus Feſtum Transfigurationis Dominicæ inſtituerat, teſte eodem Platina, Archipræſul noſter Carolus ipſomet die Feſtum Sacratiſſimi Corporis Chriſti cum ſolemni Octiduo, ùt proximè innuimus, Mediolanenſibus Civibus indixit. In caſſum tamen abiere tum Pontificis Maximi, tum noſtrorum Antiſtitum conſilia & ſtudia, ob alterna Principum Chriſtianorum bella, ac difficultates ingruentes, vetanteſque, ne validus contra Turcas Crucesignatorum exercitus colligeretur. Mortuo Calixto III. die VI. Auguſti, Anni MCDLVIII. Pius II. Succeſſor Claſſem inſtruxerat contra Mahometem, qui Pelloponeſum invaſerat; ſed morte præreptus Anconæ, dum tanto operi perficiendo inſudabat, rem ipſe quoque infectam reliquit.

Huic noſtro Archipræſuli idem Pius II. Pontifex Maximus occaſionem præbuit, novis Sacris Miniſtris Eccleſiam Mediolanenſem locupletandi. Congregationem, appellatam *Jeſuatorum* ob frequentiam nominis Jeſu quod in ore ipſorum paſſim verſabatur, inſtituerat Beatus Joannes Columbinus Senenſis Anno MCCCLV., poſt biennium ab Urbano V. approbatam. Unum ex hujus Ordinis Alumnis delegerat memoratus Summus Hierarcha Pius II., Antonium videlicet

Bettinum, ut eum legaret ad Franciſcum Sfortiam Mediolani Dominum, cauſâ urgendæ vehementiùs apud ipſum expeditionis contra Infideles. Placuit adeò prudentia, dexteritas, & Sanctimonia hujus Legati prædicto Franciſco, ut eum enixè rogaverit de inſignienda tam nobili Inſtituto, quod ipſe profitebatur, Metropoli Mediolanenſi. Neque abnuit Legatus; præſertim cùm Princeps ille & opima ſubſidia ſponderet, & ſe paratum exhiberet ad erogandos divites ſumptus, quotquot exigeret extruendum in hac Urbe Cœnobium. Manum Operi admovit Antonius Bettinus, excitatâ Æde, Sancto Hieronymo Congregationis univerſæ Tutelari dicatâ, extra Portam Vercellenſem, ac Domicilio eidem adnexo; ad quod incolendum accitis religioſi Inſtituti ſui Viris, eorum ipſe primus ab Anno MCDLVIII. per triennium, titulo Prioris Moderator fuit, teſte Paulo Morigia, *in Hiſtoria Ordinum Religioſorum*, pag. XCIV. Hæc Fratrum Jeſuatorum Colonia in Urbe noſtra permanſit, donec Clemens IX. Pontifex Maximus univerſum hunc Ordinem prorſus extinxit Anno MDCLXVIII., aſſignatis Reipublicæ Venetæ ejuſdem reditibus, ad bellum contra Turcas, Cretam tunc obſidentes, impigrè ſuſtentandum. Jeſuatorum poſtmodum Sedem Mediolani implevere Patres Societatis Jeſu, ibi admittentes, ad explendum tyrocinium Inſtituti ſui, novos Sancti Ignatii Alumnos, atque eoſdem tum pietate, tum ſtudiis excolentes, ut tamquam milites expertiſſimos, ad pugnam cum vitiis & veræ Religionis hoſtibus ſuſcipiendam, inde impoſterum emittant.

Brevis fuit Caroli Pontificatus; Anno enim MCDLXI.

terris

terris valedixit. Ughellus hujus Præſulis vitam decurtat, tres tantùm annos Sedis aſſignans, eumque mortuum aſſerens Anno præcedente MCDLX. Catalogus tamen Archiepiſcoporum Mediolanenſium, quo uſus eſt Puricellus *in Diſſertat. Nazarian.* Cap. CXXIV. huic Archiepiſcopo quatuor exacti regiminis annos attribuit; idemque adnotavit etiam Galeſinius *in Tabula Mediolanenſium Antiſtitum*. Ripamontius verò ſpatium temporis referens, quo Caroli Succeſſor Stephanus Nardinus Ambroſianam Eccleſiam adminiſtravit, ait, hunc perduraſſe in regimine ad tertium uſque & vigeſimum annum. Quocirca cùm certum ſit, Stephanum deceſſiſſe Anno MCDLXXXIV., non potuit inſtitui Archiepiſcopus, niſi Anno MCDLXI., non autem præcedente, ùt voluit Ughellus ex præconcepto errore, quòd eo anno obiiſſet Carolus Forolivienſis. Accedit teſtimonium Anonymi, qui *in Chronicis Mediolani*, memoratis in Vita Sancti Galdini, Anno MCDLXI. affigit Tranſlationem prædictam, a Carolo Archiepiſcopo peractam; proinde eo prorſus anno adhuc in vivis ſupereſſe debuit.

Sepultus eſt in Eccleſia Cœnobii Sancti Celſi, ubi etiam domicilium ſuum fixerat, ùt patet ex Charta, quam affert Puricellus Capite ſupradicto.

STE-

STEPHANUS NARDINUS.

PRimum honorum ſuorum lapidem in Protonotarii Apoſtolici munere poſuit Stephanus Nardinus, Patriâ Forolivienſis, literis apprimè inſtructus: Dein in Aula Pii II. receptus, eidem Summo Pontifici gratiſſimus fuit, à quo etiam in Germaniam miſſus eſt, ubi graviſſimis expediendis negotiis incubuit ſumma cum prudentiæ ac dexteritatis laude. Optimè functus hac Legatione, creatus eſt ab eodem Pontifice Maximo Pio II. Archiepiſcopus Mediolani Anno MCDLXI, quo Carolus Forolivienſis obierat. Præfectus fuerat Æmiliæ regendæ a Calixto III.; quamobrem Pius quoque II. eidem Stephano Nardino Picenum adminiſtrandum commiſit. Mortuo hoc Summo Pontifice Paulus II. qui eidem ſucceſſit, perſpectâ magnitudine animi prudentiâque Stephani, ipſum Neapolim direxit Legatum ad Ferdinandum Regem; poſtmodum Gubernatorem Almæ Urbis conſtituit. Demum cùm Sixtus IV. viduam Apoſtolicam Sedem impleſſet, Paulo II obeunte, in ſecunda Cardinalium creatione hunc Archipræſulem noſtrum ſacro murice donavit Nonis Maji, Anni MCDLXXIII, creans eumdem Cardinalem Presbyterum Tituli Sancti Adriani, quem poſtmodum cum altero Sanctæ Mariæ Tranſtyberim commutavit.

Vix regendo Eccleſiæ Mediolanenſis Clavo manum admoverat Archiepiſcopus Nardinus; cùm ecce ſeſe obtulere

in ſubſidium procurandæ animarum ſalutis, Divinique cultûs amplificandi, Sacri novi Miniſtri ex Ordine Prædicatorum Congregationis Sancti Apollinaris Papienſis. Iis in hoc pio propoſito figendi in noſtra Urbe Domicilium, ſingulari humanitate opem tulit Comes Gaſpar de Vicomercato, Generalis Inſubrici exercitus Ductor, qui coëmptis proprio ære prope Portam Vercellenſem Domibus prædiiſque, liberali dono jus omne perpetuæ poſſeſſionis tranſtulit in eoſdem publicis Tabulis in Archiepiſcopali Palatio confectis die XXVII. Auguſti, Anno MCDLXIII. Quinimo erigendæ etiam ſuis ſumptibus Eccleſiæ ac Cœnobio operam dedit; quod quidem humili atque anguſto tecto concluſit non privatæ parſimoniæ causâ, ſed ut religioſis eorum votis morem gereret, quibus in pretio erat modeſtia & paupertas. Non acquievit huic legi Ludovicus Maria Sfortia Dux Mediolani; æquatis enim ſolo veteribus ædificiis, amplum atque elegans Monaſterium condidit, exornavitque celebrium Auctorum picturis. Simul etiam auguſtum Templum erigere aggreſſus eſt, Guidone Antonio Arcimboldo Mediolani Archiepiſcopo primum in fundamentis lapidem ſolemni ritu deponente, Anno MCDXCII., die XXIX. Martii. Reliqua ad hujus Cœnobii Eccleſiæque hiſtoriam pertinentia diligenter deſcripſit ejuſdem Ordinis ac Loci Alumnus Fr. Hieronymus Gatticus, e cujus MSto Codice ibidem aſſervato, quæ Inſtituti noſtri erant decerpſimus. Addere hoc liceat, inſignitum fuiſſe Cœnobium iſtud Tribunali Sacræ Inquiſitionis, illuc translato ab Euſtorgiano Monaſterio, jubente Cardinali Ghiſlerio, & conſenſum ſuum præbente Paulo IV. Summo Pontifice, Anno

no MDLIX, uno videlicet anno antequam Sanctus Carolus Mediolani Archiepiſcopus crearetur.

E vivis migraverat Robertus Malateſta, qui Arimini dominabatur: Quamobrem Summus Pontifex Stephanum Nardinum illuc direxit, ut in fide obedientiâque Sanctæ Apoſtolicæ Eccleſiæ Civitas illa detineretur; quod feliciter actum eſt a Cardinali noſtro Archiepiſcopo, compreſſis fraudolentis conſiliis hominum ſeditioſorum.

Solutus a Pontificiis mandatis, ſe totum Eccleſiæ ſuæ expoliendæ illuſtrandæque devovit. Eccleſiaſticam diſciplinam, quæ ab antiquis legibus non parum deſciverat, in priſtinum ſplendorem revocavit: Quin etiam Ritus noſtros, qui ob temporum calamitatem intermiſſi aut abrupti videbantur, reſtituit. Præcipuè verò animum intendit ad conſervandas in hac Urbe Triduanas Rogationes, a Sancto Lazaro Archiepiſcopo noſtro inſtitutas; cùmque inopiâ Exemplarium MStorum, in quibus Preces tum per vias tum in Eccleſiis recitandæ deſcribebantur, Clerus laboraret, Archangelus de Undegardis Sacerdos & Parochus Urbis noſtræ, proprio ære atque opificio, ſub primis Typographiæ Mediolanenſis exordiis, ea typis evulgavit tanto numero, ut omnibus, qui piis hiſce Supplicationibus intereſſe ex lege debuerant, poſſent abundè ſufficere. Impreſſa eſt, in edita a nobis *Hiſtoria Typographico - Literaria Mediolanenſi*, Epiſtola præfixa huic Libello, nitidiſſimo caractere, & charta excuſo, quam memoratus iſte Presbyter direxit ad Reverendiſſimum Dominum Romanum de Birni Laudenſem Canonicum, tunc autem Generalem Vicarium Stephani Nardini Cardinalis Archiepiſcopi. Ar-

Archiepiſcopales Ædes Antiſtes hic noſter extruxit apud Eccleſiam Sancti Pauli appellati *in Compito*, ut commodiùs agi poſſent in Eccleſiaſticis Cauſis judicia, pronunciarique Sententiæ ad lites dirimendas, & quietem Dei Famulis redonandam. Alterum nobile Ædificium erexit extra Portam quæ dicitur *Tonſa* (fallitur enim Ughellus, & ex eo Oldoinus, qui loco Tonſæ *Ticinenſem* Portam adnotavit) horto & viridariis circumjacentibus ad amœnitatem compoſitum, ut illuc per intervalla ſeſe recipere valerent Mediolanenſes Antiſtites, ad levandas regiminis curas, reficiendaſque vires Paſtoralis oneris laboribus detritas, liberioris aëris hauſtu, & Loci a Metropolis tumultu remoti quietâ jucunditate. Palatium iſtud, ad honeſtam ac perneceſſariam animi relaxationem noſtrorum Præſulum inſtructum, cùm Archiepiſcopatus Mediolanenſis in Commendam tranſiiſſet (ùt infra narrabimus), & Præſides hujus Eccleſiæ longè ab hac Metropoli degerent, divenditum eſt Joanni Baptiſtæ Caſtaldo, Caroli V. Imperatoris celeberrimo copiarum Duci; ſubinde in Nobilem Rovidiam Gentem hæreditariâ Succeſſione pervênit: Demum pari jure derivatum eſt in Clariſſimam Comitum Montiorum Familiam, quæ uſque in hunc diem ad Mediolanenſis Metropolis decus floret, deditque Sedi Ambroſianæ Archiepiſcopum Cæſarem Montium, Romanâ Purpurâ inſignitum, de quo inferiùs agemus.

Cimeliarchio Metropolitanæ noſtræ Baſilicæ opulentam divitemque Archiepiſcopalium indumentorum ſupellectilem Nardinus dono dedit, atque inter alia Mitram Indicis unionibus contextam, & pretioſiſſimis gemmis circumdatam, miro-

P que

que artificio elaboratam. Eâdem uſus eſt etiam Sanctiſſimus Archiepiſcopus Carolus Borromeus, cùm ſolemnioribus Feſtis diebus Sacra celebraret. Liturgicum quoque Librum eximii pretii, auro & picturis decoratum adjecit; iſque nunc etiam inter alios Cimelii theſauros advenientibus Exteris ſpectandus offertur. Pretioſius tamen monumentum, quod in cordibus Mediolanenſis Gregis ad perennem ſuî memoriam ſculptum reliquit, fuit liberaliſſima Caritas, qua Pauperum curam adeò ſolicitam geſſit, ut eorumdem indigentiis ſublevandis opes ſuas effuderit, teſtante Georgio Eggs in ejus Elogio.

Romæ inſigne munificentiæ ſuæ indicium dedit, Collegium ædificando, quod ex ſuo nomine *Nardinum* appellari voluit, in quod recepti XXVI. Alumni, minimè ſumptibus erogandis pares, gratis ali deberent, Literiſque ac ſuperioribus Scientiis in Alma ea Urbe operam dare commodè poſſent; juſque duorum ex hiſce Alumnis deſignandorum Archiepiſcopo Mediolanenſi; unius verò Abbati Monaſterii Sancti Ambroſii in hac Metropoli reliquit, ùt conſtat ex Conſtitutione a Nardino ipſo conditâ Anno MCDLXXVIII. Temporum tamen calamitate, plurimùm imminutis annuis reditibus hujus Collegii, redactus eſt Alumnorum numerus ad Sex tantùm. Demum Anno MDCLXV., Viſitatoris Apoſtolici juſſu, alter ex iiſdem detractus eſt; ita ut duo relicti ſint eligendi a Civitate Foroliviensi, Archiepiſcopo Mediolanenſi unus, Abbati Sancti Ambroſii unus, & Conſervatoribus Urbis Romæ pariter unus. Leguntur iſta in MStis prædicti Cœnobii Sancti Ambroſii, a nobis inſpectis.

Pa-

Palatium quoque Romæ, ut commodo ſibi ac digno inſerviret Domicilio, conſtruxit, quod deinde Hoſpitali Lateranenſi ultimis Tabulis legavit; illudque poſtmodum incoluere Urbis Prætores. In hujus religioſæ magnificentiæ memoriam appoſita ibidem fuit Inſcriptio:

STEPHANUS NARDINUS ANNO JOBILÆI MCDLXXV.

Cùm autem dimiſſo Titulo Sancti Adriani, alterum adoptaſſet Sanctæ Mariæ Tranſtyberim, huic etiam Eccleſiæ liberalem animi ſui pietatem perenni beneficio oſtendit, Sacrarium ibidem magnificè erigi mandans, ùt docet Inſcriptio, quam refert Oldoinus:

STEPHANUS NARDINUS CARDIN. MEDIOL.
SACRARIUM HOC EREXIT ATQUE ORNAVIT
ANNO MCDLXXXIII.

Non caret tamen noſtra quoque Metropolis perenni illuſtri monumento religionis ac largitatis, quæ in Antiſtite iſto refulſere, multò etiam antea quàm Romanæ purpuræ ſplendore decoraretur. Mediolanum ſeſe contulerat Beatus Amadæus, claro ſanguine in Luſitania ortus, ſed clarior cultu virtutum in quibus ſe exercuit, Seraphico Sancti Franciſci Ordini adſcriptus. Excepit illum ſingulari benignitatis amoriſque ſignificatione Archiepiſcopus Nardinus; utque liberiùs, longè ab Urbanis tumultibus, vacare poſſet Divinarum rerum contemplationi, Sacram Ædiculam, Sanctis Apo-

ſtolis Jacobo & Philippo dicatam, ac poſitam in confiniis Portæ quam *Tonſam* appellamus, eidem eſt elargitus; ipſum in Hoſpitiolo ibidem poſtea conſtructo ſæpiùs inviſens, conſulenſque in arduis negotiis Paſtoralis ſui muneris. Increbreſcente autem famâ ſanctimoniæ religioſi hujus Viri, cùm multi ex Civibus ſeſe illius Inſtituto ac magiſterio addixiſſent, captum eſt conſilium, latiùs longiùſque Eccleſiam protendendi, extruendique Cœnobii, quod ſatis eſſet capiendæ non tam recenti huic Amadæi Familiæ, ſed etiam cooptandis in hujuſmodi Cœtum temporum ſuccedentium Clientibus. Impetratâ igitur a Mediolani Duce ac Domino Galeatio Maria Sfortia areâ patente, Nardinus Archipræſul non modò ſacræ huic ſtructuræ conſenſum lubens volenſque præbuit, verùm liberalem quoque manum aperuit, erogatâ ad pium hoc Opus perficiendum opimâ auri largitione. Quinimo die XXIX. Octobris Anni MCDLXVI. ſolemni ritu in fundamentis utriuſque Ædificii primum lapidem poſuit, adſtantibus Principe ipſo Sfortia, Magiſtratibus, & frequentiſſimâ Nobilium Populique coronâ. Acceſſit etiam Pontificia auctoritas Pauli II., qui datis ad Archiepiſcopum noſtrum Brevibus Literis, apud Wadingum legendis, eidem injunxit, ut Amadæi votis implendis præſto eſſet, quem Cuſtodem creabat hujus Congregationis, & aliarum etiam, quas in Langobardica Provincia erigere contigiſſet. Diu dilata eſt Conſecratio memoratæ Eccleſiæ, cui inditus eſt Titulus *Sanctæ Mariæ de Pace*: Mediolanenſes namque Cives Deiparam Virginem, conciliatricem pacis inter Deum & homines, ſelegerant Patronam, ut gliſcentes per Urbem noſtram ſuperioribus annis inte-

te-

Digitized by Google

teſtinæ ferales diſcordiæ tamdem abolerentur: Amadæus autem, ut excelſi hujus Patrocinii memoria apud Poſteros perennaret, Beatiſſimæ Virginis Imaginem in odæi pariete depingi curaverat, expreſſis undique in paludamenti circuitu, aureo colore efformatis hiſce literis: *Pax Pax*. Translata poſtmodum fuit hæc Pictura ad Aram Majorem ejuſdem Eccleſiæ; ac demum Templum omne conſuetis cæremoniis Guido Antonius Arcimboldus Mediolani Archiepiſcopus conſecravit die II. Septembris, Anni MCDXCVII. Refert hæc omnia Petrus Nicolaus Bonavilla, in Libro italicè edito & inſcripto: *Notitia Chronologica ingreſſus & progreſſus FFr. Minorum Sancti Franciſci, in Urbe Mediolani*, qui etiam luculentam Beati Amadæi Vitam eidem attexuit; ſubjungens, Congregationem hanc *Amadæiſtarum*, a Conditore ita appellatam, fuiſſe a Leone X. Summo Pontifice aggregatam Fratribus Minoribus de Obſervantia Anno MDXVII. Nomen tamen ab Inſtitutore ſuo acceptum conſervavit uſque ad Sancti Caroli Borromei ætatem, qua, cùm primævus Sanctæ religionis fervor plurimùm refriguiſſet, Pontifex Maximus Pius V. in mandatis jam memorato Archiepiſcopo noſtro dedit Anno MDLXVII., Brevibus Literis ad ipſum expeditis, ut conſuetâ ipſi ſedulitate in Fratrum illorum mores inquireret, eaque auctoritate Apoſtolicâ ſanciret, quæ illius Congregationis bono proficua eſſe cenſeret; quemadmodum etiam peregit, in unum Corpus illos redigens cum Seraphici Patris Alumnis, *Obſervantiæ* nuncupatis, ac Generali totius Ordinis Præſidi ſubjiciens Anno ſequente MDLXVIII., ùt conſtat ex autographis Sancti Caroli Epiſtolis, in Bibliotheca Ambroſiana ſervatis. Omit-

Digitized by Google

Omittere non poſſumus ea, quæ in laudem Archiepiſcopi hujus Nardini, cui commendatum erat Cœnobium Ambroſianum, typis vulgavit Bartholomæus Areſius *in Serie Chronologica Abbatum Sancti Ambroſii*, pag. LII. his verbis: *Plumbeum Baſilicæ noſtræ tegumentum, igne liquatum conſumptumque, reſtituit: argentea Sacrarii Candelabra, jam ante pignorata, ſoluto pretio redemit: Ciſtercienſes Moniales, in Ædes Sancti Michaëlis* ſupra Dorſum *nuncupati, prope Ambroſianam induxit, annui vectigalis onere impoſito, quæ poſtea Ambroſiani Abbatis regimini ſeſe ſponte ſubjecere* (nunc Archiepiſcopi Mediolanenſis nutu reguntur, & Ambroſiano ritu Canonicas Horas perſolvunt), *Fœminis item ad pœnitentiam ſecedentibus, ad Ædes prope Sanctam Valeriam conſtruendas, aream conceſſit*. Quibus tamen antiquis Tabulis Areſius innixus hoc poſtremum aſſerat, minimè ab ipſo edocemur; primum namque conſilium in unum colligendi Fœminas depravatæ vitæ, quæ ſcandalo erant Civibus in publicis compitis, immiſſum a Deo fuit in pios quoſdam homines, qui Anno MDXXXII., miniſtrante Eccleſiam Mediolanenſem Hyppolito II. Eſtenſi, aſylum conſtruxere prope Parœcialem Ædem Sanctæ Valeriæ lapſis hiſce Fœminis, ad conſervandam impoſterum continentiam. Extat de hac re brevis Chronica, quæ ab anno memorato incipiens, deſinit Anno MDCXXII., quam typis olim editam, ſed penè deperditam inſeruit Tom. IV *Deſcriptionis Mediolani* diligentiſſimus rerum antiquarum hujus Urbis ſcrutator ac cuſtos Servilianus Latuada. In ea enim chronica narratione referuntur, quæ Mediolani Duces, necnon Sanctus Carolus Borromeus


meus effecere, ut pium hoc Opus perennaret ac ſemper vividiùs floreret.

Anno MCDLXXXIV. Archiepiſcopus noſter Nardinus Comitiis interfuit, in quibus, defuncto Sixto IV., delectus eſt in Pontificem Maximum Innocentius VIII. Verùm & ipſe poſt bimeſtre ab hac electione, Romæ ſpiritum Deo reddidit XI. Calendas Novembris; poſtquam ſediſſet annis XXIII

Sepulcrum recepit in Baſilica Vaticana; ejuſque lapidi ſepulcrali inſculpta fuit funebris hæc Inſcriptio:

D. O. M.

STEPHANO NARDINO, PATRIA FOROLIVIENSI
TITULI S. MARIÆ TRANSTYBERIM PRESB CARDINALI
MEDIOLANENSI ARCHIEPISCOPO
LEGATO AVENIONENSI.
OBIIT ANNO SALUTIS MCDLXXXIV.
XI. CALEND. NOVEMBRIS.



JOAN-

JOANNES IV. ARCIMBOLDUS.

DEfuncto Archiepiſcopo Nardino, datus eſt Mediolanenſi Eccleſiæ Archipræſul Joannes Arcimboldus. Prodierat iſte in lucem ex antiqua nobiliſſima Mediolanenſi Familia: Filius namque fuit Nicolai, Juris utriuſque exquiſitâ peritiâ celebris, qui princeps a Conſiliis Galeatii Mariæ Sfortiæ Mediolani Ducis, ſubinde Præſes Senatus inſtitutus, præclariſſimum hujus Metropolis ornamentum extitit. Domeſticis hiſce exemplis inſtructus Joannes Filius, indolem jam ad magna enatam, omnium Diſciplinarum cultu in Patris imitationem erexit; cùmque in humanis tantùm rebus gerendis mentem defixiſſet, virtutum amplitudine adeò in Principis gratiam ſeſe inſinuavit, ut Senatoriâ togâ ab ipſo donatus fuerit, ac poſtmodum in Præſidem Magiſtratus Ducalium Redituum evaſerit; utque Domûs ſuæ perennitati conſuleret, Conjugii vinculis ſeſe adſtrinxit. Ereptâ poſtmodum e vivis Uxore Briſeide, Eccleſiaſticam militiam amplexus eſt; miſſuſque a Mediolani Duce Galeatio Maria Legatus ad Principes, Reges, atque Reſpublicas, tantâ præſtantiſſimi ingenii animique laude Legationes illas perfecit, ut percrebreſcente ejus nominis famâ, renunciatus fuerit a Paulo II. Summo Pontifice Novarienſis Antiſtes Anno MCDLXVIII. Honore hoc inſignitus, pro eodem Mediolani Duce Legationem obivit ad Sixtum IV Pontificem Maximum Anno MCDLXXIII.; cùmque eo prorſus

anno

anno deſignaſſet Summus Hierarcha novis Cardinalibus Sacrum Senatum augere, Joannem Arcimboldum inter eos adnumeravit, ſub Titulo Sanctorum Nerei & Achillei, quem poſtea in alium Sanctæ Praxedis commutavit. Dignitate hujuſmodi auctus, minimè oblitus eſt Joannes Eccleſiæ ſuæ; verùm promovendo Ovium ſuarum bono animum adjiciens, inter alia quæ ad earum proventum decrevit, Statuta etiam ſalutaria edidit, ad compeſcendam Legulejorum avaritiam, qui de induſtria per cavillationum tricas, Lites ferme immortales reddebant, ut ſanguinem pauperum diutiùs exugerent. Refert eorumdem exordium Carolus a Baſilica-Petri, *in Novaria Sacra*, num. LXXVI.

Creatus autem Mediolanenſis Archiepiſcopus Anno MCDLXXXIV. quieſcere minimè potuit, univerſæ Eccleſiæ bono ita exigente; quippe, cùm Germania Hungaria Boëmia tumultibus agitarentur, Legatus ad Imperatorem & memoratas Provincias, populos in Fide nutantes ad Apoſtolicæ Sedis obſequium reduxit. Reſtitutus poſtmodum Patriæ, componendo ad rectam diſciplinam Eccleſiaſtico Ordini totus incubuit, Legeſque opportunas edixit, quarum ductu & obſervantiâ non tantùm priſtinus decor revocaretur, ſed etiam ſplendidior auctiorque majeſtas in Ambroſiana Eccleſia eluceret. Converſus deinde ad Sancti Ambroſii Mediolani Monachos, quorum Cœnobium in Commendam acceperat, regularis obſervantiæ normam in eos induxit, juxta Decreta ab eorum Inſtitutore Sancto Benedicto præſcripta.

Occaſionem quoque nactus eſt Arcimboldus, novos Sacros Colonos in hanc Metropolim invehendi. Daniel Birragus

Digitized by Google

ex Patricia nobilitate, Apoſtolicus Protonotarius, dein Archiepiſcopus Metelinenſis, in viridario ſuo prope mœnia hujus Urbis, juxta Portam Orientalem Domicilium conſtruxerat non longè ab Ædicula ſub invocatione *Sanctæ Mariæ de Paſſione*, ad excipiendos Canonicos Regulares Ordinis Sancti Auguſtini Congregationis Lateranenſis Anno MCDLXXXV., ut conſtat ex Charta Donationis factæ die XX. Aprilis ejuſdem anni. Eos lubentiſſimè in Cœtum reliquorum Ordinum admiſit Arcimboldus, non ſine fœnore amplificatæ Divinæ gloriæ, auxiliique præſtiti ad promovendam gregis ſui æternam ſalutem. Illi namque tum vitæ caſtigatiſſimæ exemplo, tum Eccleſiaſticorum munerum ſedulâ exercitatione, adeò ſibi univerſæ Civitatis amorem & exiſtimationem conciliavere, ut brevî confluentibus ad ipſos opimis eleemoſynarum cenſibus, & nobile Cœnobium, & miræ pulchritudinis Templum exſtruere valuerint, ſub eodem Titulo *Sanctæ Mariæ Paſſionis*. Quæ ſubinde Romani Pontifices elargiti ſint Privilegia hiſce Sacris Miniſtris, narrat Gabriel Pennottus *in Hiſtor. Tripartit.* Libr. III. Cap. XXXIV. num. II.

Demum tot itineribus exactis ob Legationes obeundas, totque muneris ſui laboribus fractus noſter hic Antiſtes, cùm ſe viribus deſtitui in extremam ætatem vergens experiretur, Archiepiſcopali onere ſeſe exoneravit, illud Apoſtolicâ indulgentiâ humeris Fratris ſui Guidonis Arcimboldi conſignans Anno MCDLXXXVIII. Ipſam etiam Sancti Ambroſii Commendam tranſtulit in Aſcanium Mariam Sfortiam, Diaconum Cardinalem. Romam verò profectus, ibidem intra quadriennium mortalitatis ſpolia depoſuit die II. Octobris Anni MCD-

XCI,

XCI., tumulumque habuit in Eccleſia Sancti Auguſtini, nullâ ſepulcro appoſitâ Inſcriptione; quam tamen in Baſilica Metropolitana Mediolanenſi (non autem in Eccleſia Sancti Ambroſii, ùt aſſeruit Eggs *in Purpura docta*) ad ejuſdem conſervandam memoriam adjecit Joannes Angelus Arcimboldus, èt ipſe poſtmodum Archiepiſcopus Mediolanenſis, in hæc verba:

JOANNI ARCIMBOLDO PRESBYTERO CARDINALI
AVO PATERNO LEGITIMO,
ET GUIDO ANTONIO ARCIMBOLDO
PATRUO MAGNO,
ARCHIEPISCOPIS MEDIOLANI
ET SIBI JOANNES ANGELUS ARCIMBOLDUS
AB EPISCOPATU NOVARIENSI, CUI XXIV. ANNOS
PRÆFUERAT
AD ARCHIEPISCOPATUM MEDIOLANENSEM
TRANSLATUS
V. F.

Præterire non poſſumus alterum nobile Elogium, quod Antonius Majoragius magni in Literaria Republica nominis eidem condidit, & typis etiam commiſit, cùm nonnulla in eo enunciaverit munera, ab Arcimboldo Antiſtite noſtro

præclarè geſta, quæ paſſim ab aliis Scriptoribus omiſſa fuere. Ita verò ſe habet: *Quid, quòd etiam Juſtitiæ Præfecturam, qua nullum in tota Romana Curia neque majus neque honorificentius officium eſt, adeptus, uſque ad obitûs ſui diem ſumma cum laude exercuit, ac Peruſii Legatus plena cum poteſtate fuit?* &c.

GUIDO

GUIDO ANTONIUS ARCIMBOLDUS.

Mediolanenſi Inſulâ, quam Pontificis Maximi approbatione in illum tranſtulerat Cardinalis Joannes Frater, acceptâ Ambroſianum Solium conſcendit Guido Antonius Arcimboldus Anno MCDLXXXVIII., Aprili ſaltem menſe exeunte: Non enim potuit hac Dignitate donari menſe Januario, ut ſcripſit Ughellus, cùm in Archivo Sanctæ Mariæ apud Sanctum Satyrum Mediolani aſſerventur publicæ quarumdam Conventionum tabulæ, inter Parochum, & Nobiles Deputatos illius Eccleſiæ initarum die XXVII. Martii Anni MCDLXXXVIII., quas poſtmodum die XIV. ſubſequentis Aprilis approbavit Jo: Baptiſta Ferri, *Joannis Cardinalis Archiepiſcopi Mediolanenſis* in ſpiritualibus Vicarius Generalis. Itaque ante hoc tempus aſſeri nequit, Guidonem Antonium Arcimboldum Ambroſianæ Eccleſiæ præfuiſſe.

Fuit Præſul iſte, ſicut naturæ beneficio germanus, ita doctrinæ præſtantiâ, Dignitatum amplitudine, ac virtutum ſplendore Fratri memorato ſimillimus, adeò ut videri poſſent gemello partu in lucem effuſi. Siquidem Juriſprudentiæ ſcientiâ excellens, honorum quoque apicem eſt adeptus; in conſpicuum primò Senatorium Ordinem relatus, dein etiam Venerandi illius Conſeſsûs Caput & Præſes a Galeatio Maria Sfortia Duce eſt conſtitutus. Quoniam verò prudentia & quæ magnos Viros utplurimum conſequitur re-

rum publicarum experientia & dexteritas in hoc Archiepiſcopo ſupra ceteros eminebat, adhibitus eſt a Mediolani Principe Sfortia, ad Legationes obeundas Neapoli, in Pannonia, in Hiſpania, ac denique Romæ ad Innocentium VIII. Pontificem Maximum, coram quo elegantiſſimam ſummâque maturitate elaboratam Orationem habuit; eamque aſſervari in Bibliotheca Pontificia teſtatur Ludovicus Jacobus a Sancto Carolo. Quantâ verò animi religione erga res Sacras Deique cultum ferveret, minimè inflatus vano honorum faſtu, doctrinæque ſuæ præſtantiâ, unico ac ſingulari mirandoque experimento ſatis ſuperque docuit florentibus annis; junctâ enim cum Jacobo Trivultio, Equite ſummæ nobilitatis excelſique animi, familiari conſuetudine, peregrinatus cum eo eſt Jeroſolymam, ob inviſenda Sacra Loca, infigendaque pia oſcula terris illis, quas Unigenitus Dei Filius humanis indutus ſpoliis, ſudoribus, ſanguine, miraculis, ac morte conſecraverat.

Itaque cùm ad injunctum ſibi Archiepiſcopale munus exercendum acceſſiſſet, in ea rerum perturbatione, in qua Metropolis iſta, bellis imminentibus tum a Neapolitano Regno, tum a Gallicis copiis Caroli VIII. Francorum Regis, metu ac ſumptuum magnitudine concutiebatur, eximiæ manſuetudinis, pietatis, caritatis, aliarumque Paſtoralium virtutum quotidianis exemplis ita demulſit Civium mœrorem ac luctum, ut, novo veluti Sole benefico affulgente, animos reſumerent, atque ad obſequium Divinæ Legis, cultumque Altarium, non tam facilè ſed etiam jucundè adducerentur, Ripamontio adnotante. Sanè minimè deeſſe paſſus eſt Guido Antonius Archiepiſcopus ſtimulos, quibus vehementiùs ſemper urgeretur

tur grex Mediolanenſis ad æternæ ſalutis viam intrepidè percurrendam. Etenim ut ſacram Templi Maximi majeſtatem augeret, ceteris Dei Miniſtris treſdecim alios adjunxit, quibus luculentos cenſus ex patrimonio ſuo ſtatuit; ac duobus inſtitutis Miſſæ Sacrificiis quotidie celebrandis in perpetuum, non mediocri dote Sacerdotibus ea peracturis aſſignatâ, Supremi Numinis venerationem amplificavit, & commodum Civibus uberius dedit, preces ſuas ad Deum effundendi. Amplas opes legavit Fabricæ Curatoribus, ut Metropolitanæ Baſilicæ immane Opus ad faſtigium perduceretur. Ædes quoque Archiepiſcopales elegantiori, quàm ſoleret antiquitus, artificio conſtructas erexit, impetratâ a Mediolani Duce ſpatioſâ areâ, quæ ibidem antea jacebat; eæque in hunc uſque diem nomen præferunt Guidonis Antonii Archiepiſcopi, in perennem memoriam tantæ largitatis.

Adminiſtrante Eccleſiam Mediolanenſem digno hoc Antiſtite, novus Monachorum Cœtus, eorum videlicet quos vulgò appellamus *Hieronymianos*, ob Regulas a Sancti Hieronymi Scriptis decerptas quæ illorum Congregationi ſtatutæ fuerant, in hanc Urbem advênit. Sedem iiſdem dono largitus fuerat Joannes Galeatius Vicecomes Mediolani Dominus in Suburbano Caſtro, nuncupato *il Caſtellazzo*, duobus circiter paſſuum millibus a noſtra Metropoli diſſito, extra Ticinenſem Portam. Profitebantur antea eremiticam vivendi normam, Congregationi Hiſpanicæ adſcripti; Anno tamen MCDXXVI. approbante Summo Pontifice Martino V. nomen dedêre Congregationi alteri, appellatæ *Lombardicæ*, inſtante Lupo Ozevedo, Generali Ordinis Præſide. Inde verò Medio-

diolanum advocati Cœnobium erexere, ubi Xenodochium ſurgebat, necnon Eccleſia Parœcialis Sanctis Martyribus Coſmæ & Damiano Sacra, Illuſtri Mandellorum Familiæ commendata. Extat adhuc Lapis in Turri æris Campani, parieti affixus, hæc referens:

MCDXC. DIE XI. FEBRUARII
HAS MANDELLA COMES DOMUS ÆDES STIRPE VETUSTA
HIERONYMI TITULO NEMPE PATRONA LOCAT.
JURA DEDIT PATRIBUS, QUÆQ; IPSA RECEPERAT, ISTIS
ANNOS DUM CUNCTOS ANNUA TRINA CANANT.
PRÆTEREA MANEAT PROPRIA DE GENTE SACERDOS,
SI FUIT, AUT ALIUS QUI PIA SACRA FERAT.

Celebre eſt Monaſterium Sancti Ambroſii Mediolani, in quo nunc floret ſumma cum diſciplinæ regularis doctrinæque exiſtimatione Ciſtercienſium Sancti Bernardi Ordo; ſed non ita dilucidè Eruditorum oculis patet, quinam antea ex Religioſis Cœtibus ibidem reſederint in longa Seculorum ſerie, ad pium Deo cultum præſtandum, Divinumque Officium perſolvendum ad Altare, in quo adhuc jacet Venerandum Corpus Sancti Ambroſii Patroni noſtri, diviſim a Sacris Miniſtris, olim Decumanis, nunc verò Imperialis ejuſdem Baſilicæ Canonicis. Certum eſt ex ipſo Diplomate Petri Archiepiſcopi Mediolanenſis, conſtructum ibidem fuiſſe antiquum Cœnobium Monachorum Sancti Benedicti Anno DCCLXXXIV.; verùm e quo Cœtu hujuſmodi Ordinis Alumni inducti in illud fuerint ab eodem Archipræſule, di-

divinare non poſſumus. Bartholomæus Areſius *in Serie Chronologica Abbatum Sancti Ambroſii*, pag. LV. cenſuit, evocatos illos fuiſſe e Cluniacenſi Congregatione; ait enim ad Annum MCDLXXXVII. *Cluniacenſes Monachos per ſeptem Secula hanc Sedem tenuiſſe*. Opinioni tamen huic acquieſcere minimè poſſumus; Cluniacenſe namque Monaſterium inſtitutum fuit tantùm labente Seculo IX, nempe parùm ante Annum DCCCXCV., ùt Mabillonius probat Tom. II. *Annalium Benedictinor.*, & ex eo Auctor *Hiſtoriæ Gallicæ Ordinum Religioſorum*, Tom. V. Cap. XVIII. Quapropter cùm tempore præcedat inſtitutio Mediolanenſis Cœnobii alteram Cluniacenſis, arbitramur, ex vetuſtiori ſeu Mediolanenſi, ſeu Gallica Familia Monachorum Sancti Benedicti extractos fuiſſe ad Sacrum munus obeundum primævos Monachos Sancti Ambroſii. Viciſſitudines hujus Monaſterii ſparſim retulimus in hac Archiepiſcoporum Mediolanenſium Hiſtoria. Peculiari adnotatione dignum nobis videtur illud, quod huic Cœnobio contigit ſub initium Seculi XV., nempe Anno MCDIV., redactum ſcilicet fuiſſe a Bonifacio IX Summo Pontifice in Commendam, aſſignatam primùm Coſimo Meliorato Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, Epiſcopo Bononienſi, & Legato a Latere, ad Pacem Venetos inter & Joannem Galeatium Mediolanenſium Ducem ſtatuendam. Cùm autem poſt hunc, alioſque renunciatus fuiſſet Commendatarius Anno MCDXL. ab Eugenio IV. Pont. Maximo Cardinalis Branda Caſtillioneus Epiſcopus Placentinus, & pariter ad Venetos & Etruſcos Legatus a Latere, is vatiniano ferme odio contra Ritum Ambroſianum efferveſcens, ſtudiis omnibus adniſus eſt, ut prorſus aboleretur; eaque

Digitized by Google

omnia in hac Metropoli peregit, quæ nos per compendium narravimus in hoc Opere, ubi de Franciſco Picolpaſſo mentionem egimus. Auctoritate igitur qua pollebat in Cœnobio Ambroſiano, Monachos Sancti Benedicti ibidem degentes, & Ritu Ambroſiano ad Aras litantes e Clauſtris dimiſit, induxitque Carthuſienſes Monachos, qui more Romano Sacra omnia peragerent, teſte laudato Areſio, pag. XLVII., qui iſta ſubjungit: *Hoc tamen non tulere Mediolanenſes, ſed facto undique tumultu Ducem ipſum* (Philippum Mariam Vicecomitem) *continuò adiere, deque remedio coram & enixè exorarunt. Motus ſedulò, & ùt par erat, Princeps, & Carthuſienſes extemplo abire, & Ambroſianos reſtitui imperat; & ni pareant, ferrum ignemque minitatur. Paruere illi quidem, Ambroſianique rediere.* Triennio tantùm ſuperfuit in vivis Caſtillioneus, eximiis aliundè virtutibus ac rebus optimè geſtis ornatus, ùt docent Carmina ejus Tumulo inſculpta, quæ refert memoratus Areſius; excuſari tamen nequit, quòd Mediolanenſis ipſe natione, patrium Ritum tantâ pertinaciâ radicitus extirpare tentaverit. Denique hujus Monaſterii Commenda in jus Cardinalis Aſcanii Mariæ Sfortiæ ceſſit, qui deſiderio incenſus rectam, ſolidamque diſciplinæ Monaſticæ obſervantiam in hoc Cœnobio redintegrandi, ablegatis Sancti Benedicti Alumnis, ad ſex tantùm redactis & laxiorem quoque vitam ducentibus, e Caravallenſi Monaſterio, tertio circiter ab hac Urbe lapide diſtito, Sancti Bernardi Ciſtercienſes Monachos evocavit, ut hanc Sedem implerent; atque ad augendum eorum patrimonium, ſeſe jure omni redituum hujus Commendæ abdicavit, aſſentiente Alexan-

xan-

Digitized by Google

xandro VI. Summo Pontifice, datis Apoſtolicis Literis Anno MCDXCVII., IV. Idus Aprilis. Quinimo ut pium liberalemque animum ſuum erga hunc Ordinem perenni teſtimonio oſtenderet, dejecto ad ſolum veteri Ædificio, novum a fundamentis Monaſterium erexit anno ſequente. Adventus tamen Monachorum Sancti Bernardi in Ambroſianam Baſilicam, Guidonis Antonii Arcimboldi Archiepiſcopi Mediolanenſis regimen illuſtravit.

Denique optimè perfunctus Archiepiſcopali ſuo munere Antiſtes hic noſter, migravit ad Dominum Anno MCDXCVII., die XVIII. Octobris, poſtquam annis IX., & ſex circiter menſibus Ambroſianam Eccleſiam adminiſtraſſet; ſepultus in Eccleſia Majori, Inſcriptione Sepulcrali, ab Joanne Angelo Arcimboldo, poſt aliquot annos appoſitâ, quam ſuperiùs retulimus in Joanne Arcimboldo.

Digitized by Google

OCTAVIANUS ARCIMBOLDUS.

A Catalogo Mediolanenſium Antiſtitum expunxit Octavianum Arcimboldum Ughellus, aſſerens, eumdem vitâ functum fuiſſe, antequam Diplomata electionis expedirentur; ideoque abſtinuiſſe Scriptores patrios ab eo memorando in ſerie Præſulum hujus Eccleſiæ. Ripamontius tamen *in ſua Hiſtoria Eccleſiaſtica* Octavianum poſt Guidonem Patruum enunciat, dolens quòd tam citò ereptus terris ac publicæ expectationi fuiſſet hujus Metropolis, quæ ſibi in ejus regimine auream ætatem pollicebatur. Galeſinius verò, quem procul dubio Ughellus frequentiſſimè conſuluit, Præſulem hunc aliis Mediolanenſibus adnumeravit eâdem methodo ac ordine, quo ceteros omnes deſcripſit. Mirati igitur ſumus, quòd Scriptor iſte, alioquin commendatione ſumma digniſſimus, hujuſmodi præteritione primò ademerit gloriam, quam Hiſtorici prædicti Mediolanenſes ultro confeſſi ſunt nobis deberi, ob ſingularem Pontificis Maximi Alexandri VI. benevolentiam erga Eccleſiam Ambroſianam, cui Virum tam ſpectatæ virtutis Archiepiſcopum dederat; deinde etiam Octavianum ipſum Arcimboldum memoriâ perenni ſpoliaverit, quam illuſtri teſtimonio tum meritorum ſuorum, tum amplitudinis præmiorum apud Poſteros merebatur; cùm ſola mors culpanda ſit de intorta in illum præproperè adeò ferali falce.

Et ſanè ſi primæ ætatis inſignia experimenta quæ edidit, re-

Digitized by Google

recenſeamus, admirationem omnibus creare poteſt præclariſſima indoles Octaviani, cui perſpecta fuerunt arcana Philoſophiæ quæ naturam ſcrutatur, & ſimul quæ mores ad rectam vivendi normam componit, a primævis annis utrâque medullitus exhauſtâ; dein Latino, Græco, Hebraicoque idiomati addiſcendo addictus tantum profecit, ut eleganter facundèque ſcripſerit, atque peregrinæ Linguæ Codices optimè interpretari valuerit in flore juventutis. Abjectâ poſtmodum humanarum rerum curâ, Eccleſiaſticæ militiæ ſe adſcribens, Romam profectus, cùm annum ageret XXIV. ætatis ſuæ, incredibili celeritate ſplendidos illius Curiæ honores adeptus eſt, inter Protonotarios Apoſtolicos primi Ordinis cooptatus, utriuſque Signaturæ Referendarius inſtitutus, auctus quoque Præpoſiturâ Sancti Theodori Civitatis Papienſis, in Commendam acceptâ; demum Archiepiſcopali Mediolanenſis Eccleſiæ Dignitate donatus, cùm vix trigeſimum ſecundum ætatis annum attigiſſet, vincente immaturum adhuc annorum numerum ſenili prudentiâ, & compertâ omnibus caſtigatiſſimæ vitæ probitate, animique ac ingenii ſupra communem captum excellentiâ. Hiſce omnibus prærogativis, quæ Eccleſiæ noſtræ duraturam felicitatem ſpondebant, obſtitit feſtinus ejuſdem interitus, qui illum ad tumulum dejecit ſub finem Anni MCDXCVII., cùm adhuc in Alma Urbe moraretur.

HYP-

HYPPOLITUS I. ESTENSIS.

OCtaviano Arcimboldo celeri morte nobis erepto, Succeſſor datus eſt in regimine Eccleſiæ Mediolanenſis Hyppolitus Eſtenſis Anno MCDXCVII. die XVIII. menſis Novembris ab Alexandro VI. Summo Pontifice. Ingreſſus eſt ſequenti anno Mediolanum, Civium noſtrorum omnium plauſu exceptus; id enim diſcimus ex Epiſtolis authographis Sancti Caroli, in Bibliotheca Ambroſiana reconditis, Tom. I. Epiſtola CCXI. Cùm enim idem Borromeus Archiepiſcopus a Romana Urbe ad hanc Metropolim adventaret, poſceretque ab Ormaneto Vicario ſuo Generali, quo ſacro indumento exornatus præſentiam ſuam Civibus primò exhibere deberet, in reſponſis habuit, hujus Eccleſiæ cæremonias ab earum Magiſtris adnotatas exigere, ut Pluviali & Mitrâ indutus, ac Equo albo inſidens Urbem adiret: Id namque præſtiterat Hyppolitus Eſtenſis Senior, & poſt illum Joannes Angelus Arcimboldus Mediolanenſes Antiſtites. Imo addidit Ormanetus, ſe in ea eſſe opinione, ut exiſtimaret, ſingulare aliquod Privilegium iſtud eſſe Ambroſianæ Eccleſiæ; nullum enim alium viderat aut legerat Epiſcopum primâ vice intraſſe in primariam ſuæ Diœceſis Urbem, ſacris hiſce ornamentis decoratum, ſoliuſque Pontificis Maximi uſum hunc eſſe, ab Epiſcopis aliis diſtinctum; quemadmodum recentia etiam exempla docebant Clementis VII., Bononiam Italiæ ſolemni ingreſſu adeuntis, ut

Ca-

Carolum V. Italicâ & Auguſtâ Coronâ redimiret; & paſſim agunt in Romana Urbe Supremi Hierarchæ, cùm Pontificiam Tiaram recipiunt.

Gloriari profectò poterat Ambroſiana hæc Metropolis, ſe habuiſſe Archiepiſcopum, cui fortaſſe parem proferre minimè valebat ætas antiqua; ita enim ſplendore ſanguinis, affinitate & amicitia Regum ac Principum, præſertim verò ingenii animique dotibus ſupra ceteros ſibi ſtirpe æquales effulgebat, ut in partem ſummæ felicitatis adſcribere potuiſſet Grex Mediolanenſis, quòd talem ſortitus fuiſſet Paſtorem, a quo ſperandus jure & meritò erat proventus eximius tum Ovium tum Eccleſiarum. Siquidem unanimi Scriptorum omnium ejuſdem Vitæ calamo celebratum hunc Hyppolitum legimus, tamquam Virum magnificum in præclaris operibus ab eo peractis, ac munificum & liberalem in pauperes, quorum in piæ largis ſubſidiis conſulebat; probitate autem morum & religione erga Cœlites quantùm excelleret, argumenta nobis iidem exhibent non modò laudis, ſed etiam admirationis: Piam namque conſuetudinem, quam a primis annis ſibi ſtatuerat, nihil videlicet aggrediendi niſi poſt perſolutas Laudes ab Eccleſia præſcriptas in parvo Deiparæ Virginis Officio atque Horis, per ſingulos dies uſque ad obitum inviolatam ſervavit. Agrienſis quoque Càthedralis Eccleſiæ tectum, fortuito incendio abſumptum, propriis impenſis refecit; & puellis ad minimum decem, quovis anno congruam Dotem, ut honeſtas nuptias inirent, erogavit ad honorem Beatiſſimæ Virginis, quam impensè colebat.

Verùm plura obſtitere, ob quæ concepta ſpes Civium no-

noſtrorum prorſus evanuit. Primò enim, cùm uſque ab Anno MCDXCII. Sacro murice donatus fuiſſet ab Alexandro VI. Pontifice Maximo, ſubinde verò in Archipresbyterum Sancti Petri in Vaticana Baſilica electus, Capuanæ, Ferrarienſis in Italia, Strigonienſis in Pannonia, Narbonenſis in Gallia Eccleſiarum Epiſcopus renunciatus, atque etiam ad Legationes obeundas apud Maximilianum Cæſarem, Ladislaum Pannoniæ, & Sigiſmundum Poloniæ Reges ab Apoſtolica Sede miſſus fuiſſet, tot graviſſimis expediendis negotiis alibi detentus, longè ab hac Metropoli vitam exegit: Deinde cùm Mediolanenſem Eccleſiam Commendatario potiùs nomine, quàm verè Archiepiſcopali, per Vicarium ſuum, Pontificalibus, Romanæ Sedis auctoritate, exornatum, adminiſtraret, modicum certè emolumenti cepit, quinimo multum damni paſſa eſt Eccleſia Ambroſiana: Diuturnâ namque Antiſtitis ſui abſentiâ effectum eſt, ut proprio Cultore deſtituta ſacra hæc Domini Vinea, ſuccreſcentibus undique ſpinis obruta, prava vitiorum germina ediderit, & priſtinam efflorentium virtutum amœnitatem prorſus amiſerit, in ſterilem depravatumque campum converſa; adeout Sanctiſſimi Præſulis Caroli Borromei aſſiduis ſudoribus irriganda fuerit, ut iterum revireſceret.

Opportunè adfuit ſub initium Seculi XVI. illuſtrandæ huic Metropoli, incitandiſque ad virtutem Civibus Sacra Monachorum cohors, quos veluti in caſtris poſitos Beatus Bernardus Tholomeus in Monte Oliveto prope Senas ad bellum contra vitia intrepidè gerendum cœleſtis vitæ armis inſtruxerat. Vacua remanſerat Sancti Benedicti Alumnis antiquiſ-

ſima

ſima Inſignis Baſilica Sancti Victoris, *Portiana* ab ævo Sancti Ambroſii appellata; eaque ceſſerat Apoſtolicâ auctoritate in Commendam Eccleſiaſticis Viris, muneribus ac pietate conſpicuis, & tamdem devenerat in poteſtatem Joannis Andreæ Gallarati, non tam ſanguine quàm moribus apud Mediolanenſes illuſtris. Solicitus iſte magis de amplificando Divino cultu, quàm de fructibus ex Sacro hoc campo percipiendis, ad Julium II. Pontificem Maximum ſupplices Literas dedit Anno MDVII., die XXII. Aprilis, ut ipſi liceret ex proximo ad hanc Urbem Vico, nuncupato *de Badagio*, advocare Monachos quoſdam Montis Oliveti, qui jam ab Anno uſque MCD. eo in loco degebant, ad perſolvendas in celeberrimo memorato Sancti Victoris Templo diu noctuque Divinas Laudes. Annuit Summus Pontifex religioſiſſimi hujus Viri petitionibus; iſque, ut plenius obſequium ab hiſce novis Sacris Miniſtris Deo præſtaretur, vitæque caſtigatiſſimæ exemplum in animarum proventum inde per hanc Urbem diffunderetur, ſtatuit, ad decem ſaltem, Monachorum numerum intra decennium implendum, ac deinde uſque ad ſexdecim extendendum; eâ tamen lege, ut more ſuo Divina quidem Officia peragerent, ſed Miſſæ Sacrificium Ambroſiano ritu celebrarent. Succeſſit Gallarato in Commendæ iſtius munus Anno MDIX. Cardinalis Hyppolitus I. Eſtenſis Mediolani Archiepiſcopus, qui Prædeceſſoris ſui votum ex omni parte abſolutum reddidit, ritè inſtitutâ apud Sancti Victoris Ædem Olivetanæ Congregationis Familiâ; cujus poſtmodum mores ad omnes pietatis leges compoſiti, adjuncto etiam Literarum ſtudio, promeriti fuerunt, ut Cardinalis Nicolaus

Ridolfi Florentinus, annuente Apoſtolica Sede, jus omne reditum Commendæ a ſe, in ipſos Monachos transferret Anno MDXLIII.

Supervacaneum cenſemus, reliquas ab hoc Sacro Principe res præclariſſimè geſtas referre, quibus amorem omnium ferme Europæ nationum ac Principum ſibi conciliavit; ſtudium Literarum ſcientiarumque, etiam captu perdifficilium, Mathematicæ nempe, Geometriæ, Arithmeticæ, & Muſicen, quas exactè callebat; necnon politioris Poëſeos tum vernaculæ, tum latinæ, qua plurimùm præſtabat exercitationem; denique Literatorum hominum conſuetudinem ac beneficum patrocinium, cùm eorumdem Patronus ac Mœcenas appellaretur: Hæc enim omnia enucleatiùs narrata, in Hiſtoriis ejuſdem Vitæ perlegenda occurrunt. Unum illud immeritò ſilentio contegere nefas eſt, inſigne videlicet experimentum, quod in Galliis edidit, ſinceri erga Romanam Eccleſiam obſequii, atque animi in tutanda Catholicæ Fidei integritate conſtantiſſimi. Illuc profectus, Italiâ universâ armis fervente, feralius bellum ibidem inſtrui perſenſit, nonnullis factioſis Cardinalibus Conciliabulum adversùs Julium II. Summum Pontificem parantibus, non tam conſcio, ſed etiam Ludovico XII. Rege inſtigante. Tentatus èt ipſe fuit, ut hanc aleam ingrederetur; quam tamen generoſo contemptu detrectavit, ac ſingulari dexteritate, quæ placere potuit utrique Aulæ tum Romanæ, tum Gallicæ, ſeſe eximens a periculo violandi Purpuræ decus, & ſimul inane reddens pravum quod agitabatur conſilium; atque ideo tum a Rege, tum a Pontifice Maximo nomen *Sapientis* meritò eſt conſecutus.

Porro

Digitized by Google

Porro id in gloriam Eccleſiæ noſtræ vergit, cui Archiepiſcopus præerat, ac proinde perenni apud nos memoriâ dignum.

Ferrariam reverſus, Mediolanenſem Sedem Hyppolito Eſtenſi ex Fratre Nepoti reſignavit; ac paulò poſt in morbum incidens, magnâ fide ac pietate Eccleſiæ Sacramentis perceptis, placidè in Domino obdormivit die III. Septembris, Anno MDXX., ſepultus in Eccleſia Majori illius Urbis.

Sedit annis XXIII. incompletis, ab Anno nempe MCDXCVII., ad Annum MDXX., quo Mediolanenſem Infulam tranſtulit in Fratris Filium.

Digitized by Google

HYPPOLITUS II. ESTENSIS.

SUb Hyppolito II. Eſtenſi, qui in Archiepiſcopali Mediolanenſis Eccleſiæ munere, relicto ſibi a Patruo, confirmatus fuit a Summo Pontifice Leone X. Anno MDXX., puriorem aërem ſe haurire poſſe arbitrabatur noſtra Metropolis ac Diœceſis, cùm ſagaciſſimi ingenii ille foret, animique ad magna & laudabilia opera efformati; præſertim cùm in ea uſque tempora regimen Ambroſiani gregis protraxerit, quibus inſignis ſanctimoniæ, & ſalutis animarum amore incenſus Sanctus Carolus Borromeus excelſum illud Opus moliebatur, Concilium nempe Tridentinum, quod etiam feliciſſimo exitu prorſus abſolvit, inito quoque cum Hyppolito Archiepiſcopo Epiſtolarum commercio, quemadmodum teſtantur Codices MSti bibliothecæ Ambroſianæ, in quibus quamplures earum, cum reſponſionibus ad illas, collectæ leguntur. Nihilominus ab hoc etiam voto conceptâque ſpe excidit Mediolanenſis Eccleſia; cùm enim a Paulo III. Pontifice Maximo Romanam Purpuram recepiſſet Hyppolitus, creatus Cardinalis Diaconus Sanctæ Mariæ in Aquiro; ſubinde verò opulentis Sacerdotiis in Commendam collatis ditatus fuiſſet, ſimulqne renunciatus plurium Eccleſiarum Antiſtes, Narbonenſis videlicet, Lugdunenſis, Æduenſis, Auxitanæ, Trecorenſis, ac Maurianenſis, Novarienſis, & Ferrarienſis, additis etiam Legationibus in Patrimonia Sancti Petri, in Germaniam ad Romanorum Regem,

gem,

Digitized by Google

gem, & in Galliam ab Hæreticis vexatam ad Chriſtianiſſimum Regem, ab Apoſtolica Sede eidem injunctis, mole negotiorum preſſus, præſentiæ ſuæ beneficium huic deſertæ Metropoli numquam valuit impertiri; quamobrem aberrantes abſque Cuſtode Oves iſtæ, per devia & ſaltus corruptelarum in præceps vitiorum prolabebantur.

Subſtituerat quidem Hyppolitus laboranti Eccleſiæ Generalem Vicarium Joannem Antonium Malignacium, Laodicenſem Epiſcopum: Verùm cùm iſte neceſſariâ ad relevandam tam gravem indigentiam auctoritate deſtitueretur, neque expeditam manum admovere poſſet exſcindendis vepribus urticiſque, quæ teterrimo ſquallore myſticum hunc campum ſuffuderant, pulcherrima olim hæc Sponſa Dei, laceris crinibus atque omni decore ſpoliata, adoptare ſibi poterat gemitus Jeremiæ, quibus Propheta ille Jeroſolymitanæ Urbis depravationem acerbis querelis deplorabat.

Solatium aliquod attulere languenti huic Eccleſiæ, Cœtuum Religioſorum novæ Coloniæ, quæ in Mediolanenſem Metropolim tunc temporis inductæ fuerunt. Primi extitêre Alumni Sancti Franciſci de Paula, admirabili animi demiſſione ab Inſtitutore *Minimi* appellati. Conſtitêre autem iſti ad Sanctæ Mariæ vocatæ *de Fonte* Templum, modico a mœnibus noſtris viæ intervallo diſtans extra Portam Novocomenſem, ac editis frequentibus miraculis celebre; iiſque Cœnobium a fundamentis erexit piiſſima Fœmina, Ferdinandi Gonzagæ, tunc Mediolanenſis Urbis ditioniſque Inſubricæ Moderatoris, Uxor. Validius inſuper adjumentum, ad detergendum, ſi non omnino a genis Mediolanenſis Eccleſiæ antiquum

tiquum luctum, ſaltem ad temperandum mœrorem attulit Congregatio, in ipſo hujus Metropolis gremio enata, ſcilicet *Regularium Clericorum*, qui ab Eccleſia Sancti Barnabæ, ubi primùm coivêre, ſortiti ſunt nomen ***Barnabitarum***. Cœperant quidem ſanctiſſimis exemplis & vitæ angelicæ candore, univerſæ Civitatis oculos in ſuî contemplationem rapere tres ejuſdem Inſtitutores Antonius Maria Zacharia Cremonenſis, Bartholomæus Ferrarius, & Jacobus Antonius Morigia Mediolanenſes: Poſtquam verò inſtructa eſt Anno MDXXVI. acies hæc nova bellatorum, ad Dei gloriam animarumque ſalutem militantium, Clementis VII. ac Pauli III. Summorum Pontificum auctoritate firmata, vix exprimi poteſt, quanto fervore contra inveteratas corruptelas depugnaverint, quantâque utilitate Mediolanenſis gregis, profligandis vitiis reducendiſque in priſtinam Sedem Chriſtianis virtutibus ſe totos devoverint; donec Sanctus Carolus, ad regendum hujus Eccleſiæ Clavum admotus, ac delectus ab Apoſtolica Sede ad confirmandas ac promulgandas in pleno Barnabitarum Conventu Conſtitutiones, ſibi etiam intrepidam phalangem paravit ad ea perficienda conſilia, quæ magno animo & cœleſti lumine afflatus, ob depellendum mœrorem omnem ab hac dilecta ſua Sponſa, vultûſque ſerenitatem eidem reſtituendam, capaci mente conceperat. Hinc autem evênit, ut eos impensè coluerit atque adamaverit, tamquam egregios Vineæ ſuæ cultores: Imo ex hoc Cœtu delegerit, cui penitiora conſcientiæ ſuæ arcana fideret, quique a Confeſſionibus eſſet, ſingularem eum Virum Alexandrum Saulium, quem nunc Beatis adſcriptum a Benedicto XIV. feliciter regnan-

gnante, in Sacris Aris flexo genu veneramur. Tam gratus verò ſuaviſque odor ſanctimoniæ, ſuccedentibus annis, etiam ultra Alpes diffuſus eſt ab Alumnis hujus Congregationis, ut Sanctus Franciſcus Saleſius illos in ſummo pretio habuerit, atque iiſdem uſus ſit frequentiſſimè, ad Diœceſim ſuam zizaniis Hæreſum expurgandam.

Quamvis Hyppolitum hunc Archiepiſcopum electum Mediolanenſis Eccleſiæ nuſquam legamus in Hiſtoriis, præſentiâ ſuâ Metropolim noſtram decoraſſe; tamen duo Diplomata expedita ab ipſo fuiſſe diſcimus ex Archivis. Alterum in lucem protulit Pucinellus *in ſuo Chronico Glaſſiatenſi*, pag. CCXXIV., datum in favorem Monialium Benedictinarum Sancti Vincentii Mediolani. Porrexerant iſtæ ſupplices preces Leoni X. Summo Pontifici, ut facultatem iis impertiretur deligendi ſibi Viſitatorem ac Confeſſarium ejuſdem Ordinis, ſeu etiam alterius; iiſque benignè annuerat, ùt conſtat ex Brevibus ejuſdem Literis, datis Romæ die XIV. Junii, MDXXI. Ad plenum hujus rei complementum exigebatur etiam Mediolanenſis Archiepiſcopi conſenſus. Illum igitur præbuit Hyppolitus, ſervatis juribus Archiepiſcopalibus, ſimulque confirmavit Privilegia omnia, quæ ipſis aut Ordini earum Caſſinenſi & Sanctæ Juſtinæ Patavii ab Apoſtolica Sede fuerant conceſſa. Chartam hanc nos iterum vulgamus, ſubſcriptam propriâ Hyppoliti Eſtenſis manu, ac ſigillo gentilitio communitam, quæ ita incipit:

„ Hyppolitus Eſtenſis, Dei gratia Eccleſiæ Mediolanenſis „ Electus. Dilectis nobis in Chriſto Venerabil. Abbatiſſæ, „ Monialibus, & Conventui Monaſterii Sancti Vincentii, No-

„ vi

„ vi nuncupati, Mediolani, Ordinis Sancti Benedicti, regu-
„ laris obſervantiæ ſalutem in eo, qui eſt vera Salus. Ex-
„ poni nobis nuper feciſtis, quòd Vobis aliàs ſupplicantibus
„ obtinuiſtis a bo. mem. quondam Leone Papa X. Literas in
„ forma Brevis, in quibus in effectu continebatur, vobis &
„ pro tempore Abbatiſſæ & Monialibus dicti Monaſterii con-
„ cedi, ut aliquem probatæ vitæ, & quadragenarium vel
„ ſeniorem, moribus & doctrina præditum Virum Presby-
„ terum Secularem, aut veſtri vel alterius Ordinis Regula-
„ rem, in veſtrum Viſitatorem eligere & nominare valea-
„ tis, ſalvis tamen juribus noſtris, ratione Viſitationis hu-
„ juſmodi debitis, voſque & Monaſterium veſtrum, omni-
„ bus & ſingulis Privilegiis, Immunitatibus, Exemptionibus,
„ Facultatibus, Conceſſionibus, ac Indulgentiis, aliis Mona-
„ ſteriis Monialium aut Monachorum dicti veſtri Ordinis, il-
„ lorumque Abbatibus, Abbatiſſis, Monachis, Monialibus,
„ & Perſonis ſub cura & Viſitatione Monachorum dicti ve-
„ ſtri Ordinis cujuſcumque, etiam Sanctæ Juſtinæ de Padua,
„ aliàs Caſſinenſis Congregationis, degentibus, quomodolibet
„ conceſſis, & in futurum concedendis, & quilibet Abba-
„ tes, Abbatiſſæ, Moniales, & Perſonæ prædictæ utuntur,
„ potiuntur, & gaudent, ac uti, potiri, & gaudere po-
„ terunt in futurum, uti, potiri, & gaudere in omnibus
„ & per omnia, ac ſi non ſub noſtrî, ſed Monachorum
„ hujuſmodi cura & Viſitatione degeretis, dummodo ad præ-
„ miſſa noſter aſſenſus accederet, necnon Confeſſor idoneus
„ in Sacerdotio conſtitutus Secularis, vel cujuſvis Ordinis
„ Regularis per vos pro tempore eligendus, vobis & ve-
„ ſtrûm

„ ſtrûm ſingulis, & omnibus aliis perſonis utriuſque ſexûs
„ vobis famulantibus vel obſequentibus, Confeſſione veſtrâ
„ priùs auditâ, beneficium abſolutionis juxta formam dicta-
„ rum Literarum Apoſtolicarum impendere valeat, nec per
„ Vicarium noſtrum, neque alios per nos ſeu Succeſſores
„ noſtros deputandos, præterquàm per nos, quotiens per
„ nos viſitari volueritis, aut Viſitatorem prædictum viſitari
„ & corrigi, nec propter ea per Vicarios noſtros, aut alios
„ prædictos aliquibus cenſuris innodari poſſitis, & prout
„ pleniùs in iiſdem Literis Apoſtolicis continetur, Romæ da-
„ tis apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris die XIV.
„ Junii MDXXI., Pontificatus ſui anno nono. Cùm autem
„ virtute ipſarum Literarum Apoſtolicarum, ſicut petitio ve-
„ ſtra ſubjungebat, cupiatis pro ſalute animarum veſtrarum
„ viſitari, & Confeſſiones veſtras audiri per illum Mona-
„ chum Sacerdotem, deputandum pro tempore per Reveren-
„ diſſimum D. Abbatem Monaſterii Sancti Petri de Inglaſ-
„ ſiate Mediolani, prædicti Ordinis Sancti Benedicti, Con-
„ gregationis Sanctæ Juſtinæ de Padua, aliàs Caſſinenſis, aut
„ per ipſam Congregationem, juxta morem & ritum dictæ
„ Congregationis, & denique vos ſubmittere curæ & regi-
„ mini dictæ Congregationis, noſtro tamen accedente con-
„ ſenſu; & propterea a nobis inſtanter poſtulaſtis, quatenus
„ noſtrum aſſenſum ad prædicta præſtare vellemus & debe-
„ remus; Nos verò, ut devotus & religioſus affectus opta-
„ tum ſortiatur exitum, tenore præſentium noſtrarum, ad
„ præmiſſa damus & præſtamus aſſenſum, juxta formam &
„ tenorem memoratarum Literarum Apoſtolicarum, ſalvis no-

T „ ſtris

„ ſtris & Archiepiſcopatûs noſtri ſemper juribus. In quorum „ fidem has noſtras Literas manu noſtra ſubſcriptas, & ſi- „ gillo noſtro impreſſas fieri juſſimus, & mandavimus. Da- „ tum Ferrariæ, Anno Domini milleſimo quingenteſimo, tri- „ geſimo primo, Indictione quarta, die verò decimaquinta „ menſis Julii.

„ ✠ Hyppolitus Eſtenſis Mediol. Electus.

Aliud Diploma edidit idem Archipræſul Hyppolitus, occaſione adventûs Mediolanum Fratrum Carmelitarum Congregationis Mantuæ. Eos jam in haice vicinias, extra muros Mediolani admiſerat Hyppolitus Eſtenſis I. Archiepiſcopus, cùm annuentibus hujus Metropolis Ducibus ſedem fixere Anno MCDXCVIII. in quadam Eccleſia, Sancto Joanni Baptiſtæ dicata, quam antea incolebant Confratres Sanctæ Anaſtaſiæ. Poſtmodum favore Ludovici Sfortiæ Ducis Mediolani, in Urbe Hoſpitiolum ſtatuerunt prope Eccleſiam Sancti Joannis *ad Conchum*, quæ juris Ducalis erat. Attamen, cùm Eccleſia iſta a Sacerdote, in Parochum e Clero delecto, regeretur, prædicti Fratres eâdem cum ſuis juribus minimè frui potuere, niſi Anno MDXXXI., quo poſtremus ex Parochis, nomine Antonius de Sachis, liberam reſignationem tum Parœciæ, tum jurium omnium ſuorum, ad pedes Pauli III. Pontificis Maximi advolvit. Tunc verò idem Summus Hierarcha Breves Literas dedit, quibus in Fratres Carmelitas, quidquid poſſidebat olim Parochus, benigna conceſſione tranſtulit. Diu Hyppolitus II. Archiepiſcopus diſtulit ad impertiendum huic rei aſſenſum, cùm opus fuerit novo Reſcripto Franciſci Sfortiæ II, Domini Mediolani; illo autem ob-

te..to

tento, Hyppolitus ſequens Diploma expedivit, quod nunc primùm ex Archivo hujus Cœnobii in publicam lucem proferimus, his verbis conceptum.

„ Hyppolitus miſeratione Divina Sanctæ Mariæ in Aqui-
„ ro Diaconus Cardinalis, a Ferraria nuncupatus: Quibus nu-
„ per innotuit, quòd aliàs, poſtquam Domus Sancti Joannis
„ Baptiſtæ prope & extra muros Mediolani, Ordinis Fra-
„ trum Carmelitarum Congregationis Mantuæ, Regularis Ob-
„ ſervantiæ, pro ſecuritate Civitatis Mediolani adversùs hoſti-
„ les incurſus diruta & devaſtata fuerat, & alia Domus ſub
„ invocatione Sancti Joannis ad Concham, aliàs Sancti Joan-
„ nis Baptiſtæ dicti Ordinis, intra Civitatem prædictam, pro-
„ pe Parochialem Eccleſiam Sancti Joannis ad Concham Me-
„ diolani, pro habitatione Prioris & Fratrum in dicta Do-
„ mo diruta, ante ejus ruinam habitantium conſtructa, ſeu
„ conſtrui cœpta fuerat: Et tunc Rector dictæ Eccleſiæ,
„ tunc Vicario Generali ipſius Congregationis ac Fratrum
„ ejuſdem Congregationis, ut perpetuis futuris temporibus in
„ dicta Eccleſia Divina Officia celebrare, & uſum perpe-
„ tuum ipſius Eccleſiæ habere, abſque illius Rectoris pro
„ tempore exiſtentis contradictione; ita tamen quòd de Do-
„ mo aut horto, ſeu Cura ipſius Eccleſiæ, ſeu illius exer-
„ citio, nullo umquam tempore ſe intromitterent, ac certis
„ aliis tunc expreſſis conditionibus conceſſerat; & etiam tunc
„ Vicarius, & Locumtenens noſter conceſſionem per dictum
„ Rectorem tunc factam, ac omnia & ſingula in Inſtru-
„ mento deſuper confecto contenta, cum onere celebratio-
„ nis duarum Miſſarum in eadem Eccleſia, per ipſos Fratres

„ juxta Ritum Divi Ambroſii faciendæ approbaverat & con-
„ firmaverat, dictâ Parochiali Eccleſiâ per liberam reſigna-
„ tionem dilecti nobis in Chriſto Antonii de Sachis, nuper
„ ipſius Eccleſiæ Rectoris, de illa, quam tunc obtinebat,
„ in manibus Sanctiſſimi in Chriſto Patris & Domini No-
„ ſtri, Domini Pauli, Divinâ providentia Papæ Tertii,
„ ſponte factam, & per ipſum Sanctiſſimum Dominum No-
„ ſtrum Papam admiſſam, vacante, Idem Sanctiſſimus Do-
„ minus Noſter Papa Eccleſiam prædictam quovis modo va-
„ caret, ex certis tunc expreſſis cauſis Domui prædictæ,
„ noſtro, qui Eccleſiæ Mediolanenſis in ſpiritualibus & tem-
„ poralibus Adminiſtrator perpetuus per Sedem Apoſtolicam
„ ſpecialiter deputati ſumus, ad hoc expreſſo accedente con-
„ ſenſu, Apoſtolica auctoritate perpetuò univit, annexuit,
„ & incorporavit, ſeu uniri & incorporari conceſſit; No-
„ lentes hujuſmodi bonum opus impediri, unioni, annexio-
„ ni, & incorporationi, ſeu illorum conceſſioni hujuſmodi,
„ ac Literarum deſuper expeditioni, ſpontè & liberè con-
„ ſentimus, & conſenſum noſtrum pariter & aſſenſum præ-
„ ſtamus. In quorum fidem præſentem Cedulam fieri, &
„ per Secretarium noſtrum infraſcriptum ſubſcribi, ac Sigilli
„ noſtri impreſſione muniri fecimus, eamque manu propria
„ ſubſcripſimus. Datum in Vico, vulgariter nuncupato *Fon-*
„ *tanableo*, die prima Aprilis MDXLVIII. Et ita conſenſi-
„ mus.

„ ✠ Hyppolitus Cardinalis Ferrarienſis.

„ ✠ Antonius Romeus Secretarius de mandato ſubſcri-
„ pſit.

Ineunte

Ineunte Seculo XVI enatus fuerat in Eccleſia novus Ordo *Cappuccinorum*, qui licèt ſub Sancti Franciſci Aſſiſiatis vexillo militarent, aſperiorem tamen ab eorum Inſtitutore præſcriptam vitæ normam profitebantur. His quoque non caruit Mediolanenſis Metropolis. Siquidem cùm primò Sedem fixiſſent in Sacello appellato *Sancti Joannis ad Viperam*, extra Portam Vercellenſem annuente Franciſco II. Sfortia Mediolani Duce Anno MDXXXV., qui poſtremus fuit ejuſdem imperii & vitæ; ibique Cœnobiolum fictili ac tumultuario opere ſibi adaptaſſent, ſanctiſſimæ vitæ exemplis, egregioque ægrotis præſertim præſtito adjumento, adeò Mediolanenſium animos in ſuî amorem rapuere, ut Anno MDXLII. proximius Urbi datum iis fuerit Domicilium. Aderat in Portæ Vercellenſis conſiniis Eccleſia Sancti Victoris, nuncupati *ad Ulmum*, a qua Moniales nonnullæ, fortaſſe ab aëris gravioris inclementiam, in aliud ſalubrius Clauſtrum migraverant. Hanc novis hiſce Sancti Franciſci Alumnis per Generalem ſuum Vicarium Hyppolitus II. Archiepiſcopus lubens volenſque conceſſit; ibique humile quidem pro more ſuo, ſed commodius Monaſterium, quod etiam num perdurat, memorati Fratres condidere. Id conſtat tum ex Boverio *in Annalibus Cappuccinorum*, ad Annum MDXXXIX., tum ex MStis Chartis, quæ aſſervantur in altero Cœnobio, poſtmodum erecto in Porta Orientali, ùt ſuo loco videbimus.

Eodem Seculo XVI. novum decus additum eſt Collegio Canonicorum, in Majore Mediolanenſi Baſilica Divina peragentium, Dignitas videlicet Decanatûs; quod ut clariùs innoteſcat, recolenda altiùs ſunt ejuſdem exordia. Æquatâ

ſolo

ſolo a D. Ferrante Gonzaga, Supremo Inſubricæ Provinciæ Moderatore, Sanctæ Theclæ Eccleſia, ut in Templi Maximi fronte ſpatioſior area pateret, Thecliani Sacerdotes diu pro juribus ſuis propugnandis tum Mediolani, tum Romæ lites agitavêre. Tamdem, Partium omnium conſenſu interveniente, Joannes Maria Tonſus Hyppoliti II. Archiepiſcopi Mediolanenſis in ſpiritualibus Vicarius Generalis, Anno MDXLIX. pro Tribunali ſedens, unionem inter utrumque Canonicorum Sanctæ Mariæ Hyemalis, & Sanctæ Theclæ Collegium decreto ſancivit, ac ſuppreſſam Sanctæ Theclæ Præpoſituram in Decanatum Metropolitanæ Baſilicæ erexit, Paulo III. Summo Pontifice Apoſtolica auctoritate id confirmante, Brevibus Literis datis Romæ apud Sanctum Marcum, XVII. Calendas Septembris, Pontificatus anno decimoquinto. Cùm verò poſt exactos quietâ concordiâ plures annos, ſeptem illi Thecliani Sacerdotes, qui *Canonici Minores* appellati, humiliore loco ante Ordinarios ſedebant, & feriatis diebus Sacra celebrabant, de variis rebus & injuncto ſibi hoc onere conquererentur, ac litem etiam intentaſſent, Sanctus Carolus Borromeus, Archiepiſcopali ſimul & Apoſtolicæ Legationis qua fungebatur auctoritate, Anno MDLXV. diſcordias omnes diremit, & quibuſdam conditionibus ſtatutis perpetuam pacem compoſuit. Inter conditiones verò memoratas ea fuit, quòd Sanctæ Theclæ Præpoſitus noviſſimo loco reſideret poſt ceteros omnes Ordinarios Canonicos, quibus per intervalla decedentibus, altiorem gradum conſcenderet, donec ſenſim ipſe vel Succeſſores ad fixam poſt Præpoſitum Sedem occupandam eveherentur. Conſtant hæc omnia ex Chartis,

&

& pergameno præſertim Concordiæ Documento, in Metropolitano Archivo cuſtodito, ſubſcriptoque manu propria a Sancto Carolo, in quo expreſſis verbis iſta leguntur: *Eam Præpoſituram ſic ſuppreſſam cum ejus fructibus & redditibus erexit, conſtituit, & creavit in Decanatum, in prædicta Eccleſia Mediolani, qui Decanus teneatur facere ſuam hebdomadam, ſicuti aliæ Dignitates, & habeat locum ſuum in Choro, in Capitulo, & Proceſſionibus poſt ultimum prædictorum Dominorum Ordinariorum, & Dignitatem non habentium, de præſenti reſidentium, ac etiam receptorum, & Stallum in Choro habentium; ita tamen quòd, ubi dictus Decanus, vel ejus Succeſſores, per mortem Ordinariorum ùt ſupra, ad locum immediatè poſt Præpoſitum præfatæ Mediolanenſis Eccleſiæ* (pervenerint) *quòd tunc ipſe vel ejus Succeſſores perpetuis futuris temporibus obtineant dictum locum immediatè poſt dictum Præpoſitum, & præcedant omnes alios futuros Ordinarios*, &c.

Acceſſit ad validiùs muniendam hanc Domini Arcem, Eccleſiam nempe Mediolanenſem, altera Regularium militum Cohors ſub eodem Hyppoliti II. Antiſtitis noſtri regimine; Manipulus, inquam, Canonicorum Regularium Ordinis Sancti Auguſtini, *Congregationis Sancti Salvatoris*, quos Trajanus Alicornus, & Bartholomæus Capranica Abbates Commendatarii in Monaſterium *Sancti Celſi* induxere, loco Monachorum Sancti Benedicti, qui ibidem degebant. Extat penès Abbatem illius Cœnobii Diploma Pauli III. Pontificis Maximi, datum Anno MDXLVIII, tertio Idus Martii, in quo Commutatio iſta approbatur iis conditionibus appoſitis, quæ in auto-

autographo Ballato leguntur, unde nos aliqua depromere Hiſtoriæ noſtræ conſentanea cenſuimus. In primis autem iſta enunciat: *Quòd prædicti Abbates Commendatarii conſiderantes dictum Monaſterium, cauſantibus ſiniſtris temporum eventibus, & bellorum turbinibus, in ejus ſtructuris & ædificiis valde deſolatum exiſtere* &c. - - - - *& a pluribus annis citra Clericos aut Laicos, qui Monachi dicti Monaſterii effici, & in eo profeſſionem emittere vellent, aut alios dicti Ordinis Religioſos bonæ vitæ & honeſtæ converſationis, qui in dictum Monaſterium, ad effectum in illius Eccleſia Miſſas, & alia Divina Officia celebrandi, & animarum fidelium eidem Monaſterio ſubjectorum curam exercendi, introduci poſſint, de facili non reperiri; & cupientes ſalubri ipſius Monaſterii directioni in præmiſſis conſulere* &c. ſupplices Literas dederunt, ut liceret ipſis aliquot ex Canonicis Congregationis ſupradictæ in idem Monaſterium introducere, ut Divina Officia ibidem celebrarent. Expoſuerunt inſuper Romano Pontifici, *Monachos prædictos ex aliis eorum Ordinibus, quos profeſſi ſunt, ad Ordinem Sancti Benedicti, & Monaſterium hujuſmodi translatos fuiſſe, & non intra ſepta dicti Monaſterii, ſed ſingulariter in ſingulis domibus privatis, etiam ab eodem Monaſterio longè diſtantibus habitare, & ad præſens non juxta Monaſticum Sancti Benedicti, ſed juxta Sancti Ambroſii ritum & morem celebrare, & Divina Officia decantare* &c. Quapropter Summus Pontifex Paulus III. decrevit, ut Regulares ii Canonici in jura Monachorum Sancti Benedicti ſuccederent, ea tamen conditione, ut Monachi qui tunc erant, in poſſeſſione manutenerentur, donec omnes ipſi Monachi aut deceſſiſſent, aut

ad alia regularia Loca ſe contuliſſent. Hinc verò diſcimus, Ambroſianum Ritum in Cœnobio & Eccleſia Sancti Celſi retroactis ſemper temporibus viguiſſe. Cùm verò Canonici Regulares Congregationis Sancti Salvatoris litem intentaſſent contra Curatores Fabricæ proximi Templi Beatæ Mariæ, appellati Sancti Celſi, pro juribus quæ prætendebant in eamdem Eccleſiam ad ipſos Canonicos pertinere, arbitrio judicioque Cardinalis Sancti Caroli Borromei Mediolani Archiepiſcopi Partes ambæ ſe ſubmiſêre; qui diligenti peracto examine rem omnem compoſuit poſtremo ſuæ vitæ Anno MDLXXXIV. Septennio autem poſt Gregorius XIV. Pontifex Maximus ſtatutam a Sancto Archipræſule utriuſque Partis conventionem expedito Diplomate, Apoſtolica auctoritate confirmavit Anno MDXCI., IV. Calendas Junii. Refert hoc Diploma integrum Puricellus *in Diſſertat. Nazarian.* Cap. CLX.

Neque Religioſis tantùm Viris Divino cultui mancipatis, in hanc Metropolim ad ſecuriorem Gregis ſui cuſtodiam inducendis propitiam manum porrexit Eſtenſis Archipræſul: Enaſcens quoque in Mediolanenſi Urbe nobile Illuſtrium Fœminarum Inſtitutum, quæ generosè contempto domuum ſuarum luxu ac deliciis, Crucis aſperitatem, in eaque confixi cœleſtis Animarum Sponſi admirabilem ignominiam amplexæ fuerant, benigno patrocinio ſuo fovit. Cùm enim Matrona piiſſima Ludovica Taurella Guaſtalli Comitiſſa, amplum Cœnobium ære proprio extruxiſſet, Hyppolitus Archiepiſcopus in mandatis dedit Joanni Mariæ de Tonſis Archidiacono Eccleſiæ appellatæ *de Scala* Mediolani, ſuoque Generali Vicario electo, ut quovis favore poſſet, Moniales iſtas pro-

Digitized by Google

ſequeretur, eaque omnia peрageret, quæ ad rectam novæ hujus Congregationis inſtitutionem exigebantur. Implevit iſte vota & præcepta Eſtenſis ſui Antiſtitis, publicaſque Tabulas donationis, ùt ajunt, inter vivos prædiorum ac cenſuum, quibus condito a ſe Cœnobio divitem Dotem conſtituebat Comitiſſa Taurella, confici juſſit, eæque legali more firmatæ ſunt die II. Martii, Anno MDXXXVI. Acceſsêre poſtmodum Breves confirmationis Literæ Pauli III. Pontificis Maximi, datæ Romæ die VI. Auguſti, Anno MDXLIX., quibus etiam approbavit veſtium & ornamentorum peculiarium hujuſce Inſtituti normam, nempe Tunicam, & ùt vulgò dicitur, *Patientiam* albas, pallium nigrum a capite ad talos protenſum, in memoriam Paſſionis Domini Noſtri Jeſu Chriſti, funem circa collum, adinſtar torquis, & annulum aureum inſculptâ Cruce ſignatum, nomenque *Angelicæ* cuilibet Moniali ibidem degenti. Eas autem ſubeſſe voluit curæ ac Viſitationi Archiepiſcopi Mediolanenſis, cui etiam facultatem impertitus eſt addendi Regulæ Sancti Auguſtini quam profitentur *Statuta & Ordinationes*, illaſque immutandi, quemadmodum expediens viſum fuerit pro temporum varietate. Sanè Sanctus Carolus Borromeus nonnullas Conſtitutiones iiſdem præſcripſit, quæ adhuc vigent. Plura de Angelicis hiſce Monialibus, quas idem Sanctus Carolus *deli ias ſuas* vocabat, nos adnotavimus in V. Volumine ejus *Homiliarum*, edito Mediolani Anno MDCCXLVIII.

Adſuit Ambroſiano Gregi favorabilis etiam occaſio, ob quam reſpirare aliquantulum valuit pace tranquilliori; cùm enim Joannes Angelus Arcimboldus (de quo infra loquemur) ultrò

ultrò cedente Hyppolito II. Eſtenſi, Paſtoralem virgam aſſumpſiſſet, data ſaltem Eccleſiæ noſtræ libertas eſt, videndi alloquendique Paſtorem ſuum, quo per tot annos caruerat; hoc ſolùm contenta quòd vidua non eſſet, quamvis Sponſi ſui præſentiam continuò deſiderare debuiſſet. Quia tamen collata fuerat Joanni Angelo Arcimboldo in hanc Diœceſim poteſtas, aſperâ eâ conditione, donec viveret, hac etiam calamitate afflicta eſt Metropolis noſtra, cùm citò ſibi morte abreptum Præſulem hunc viderit. Rediit itaque Archiepiſcopalis Dignitas ad Hyppolitum; ſed bono omine poſt annum ſubſtitutus eſt in Archipræſulem, eâdem conditione Philippus Archintus. Nihilominus, quamvis èt ipſe deceſſerit ante mortem Hyppolyti, ideſt Anno MDLVIII., detrimenta omnia, quæ paſſa eſt Eccleſia noſtra, ſummo cum fœnore reparavit Præſul ille admirabilis Sanctus Carolus, biennio poſt obitum Philippi Archinti, ejuſdem conditionis vinculo inſtitutus Archiepiſcopus Mediolani.

Supervixit adhuc Hyppolitus II. Eſtenſis uſque ad Annum MDLXXII.; ſed poſt Sancti Caroli inaugurationem jure omni in hanc Eccleſiam dimiſſo. Naturæ autem conceſſit Romæ IV. Nonas Decembris anni memorati; ejuſque Corpus translatum ad Urbem Tiburtinam jacet in Eccleſia Sancti Franciſci.

Digitized by Google

JOANNES ANGELUS ARCIMBOLDUS.

SEcunda Inſignium Virorum in quovis Ordine Eccleſiaſtico, Civili, & Militari Arcimbolda Familia, quatuor Mediolanenſi Eccleſiæ Archiepiſcopos hæreditariâ propemodum ſucceſſione dedit. Poſtremus fuit Joannes Angelus Arcimboldus, qui cùm per XXIV. annos Novarienſem Epiſcopatum geſſiſſet, a Julio III. Summo Pontifice, conſentiente Hyppolito II. Eſtenſi, a Sede Novarienſi ad Mediolanenſem translatus eſt Anno MDL, die V. Februarii, illâ tamen conditione adjectâ, quam ſuperiùs memoravimus, quòd nempe, erepto e vivis Arcimboldo, Archiepiſcopalis Infulæ Mediolanenſis decus ad Hyppolitum Eſtenſem rediret.

Quanto non tam humaniorum Literarum, ſed etiam utriuſque Juris ſtudio ſibi eximiæ doctrinæ famam comparaſſet Joannes Angelus, teſtatur Carolus a Baſilica-Petri, qui eum ſcribit, ſtatim ac Romam conceſſit, fuiſſe a Leone X. Pontifice Maximo, ingeniorum legitimo æſtimatore, Referendarii honore exornatum; ac paulò poſt Legationem ipſi injunxiſſe in Germaniam, quo tempore turbulentiſſimis tumultibus, Hæreſum præſertim, regio illa concutiebatur. Subinde verò ab eodem Pontifice miſſus eſt Legatus in Sveciam, ut ex Aquilonaribus iis Regnis auri argentique ſubſidia colligeret, ad erigendum in Alma Urbe auguſtum Templum Principis Apoſtolorum Sancti Petri. Munus ſibi de-

Digitized by Google

demandatum egregiè adeò geſſit Arcimboldus, ut Elogium illud meruerit, quod *in Hiſtoria Metropolitanæ Eccleſiæ Upſalenſis*, a Joanne Magno Gotho, Romæ Anno MDLX. typis vulgatâ legitur poſt Vitam Jacobi Ulfonis Archiepiſcopi Upſalenſis, his verbis contextum: *Inter Legatos a Leone Papa X. miſſos* (Anno MDXVIII.) *ad omnes partes Europæ, unus erat Joannes Angelus Arcimboldus in Sueciam miſſus, Indulgentiam plenariam offerens omnibus, manus adjutrices porrigentibus pro Fabrica Baſilicæ Beati Petri de Urbe, eratque ſæpiùs cum Archiepiſcopo Jacobo in Arnoë, aſſerens poſtea aliis quibuſcumque, ſeſe numquam in toto itinere, a Roma in Aquilonem proficiſcendo, inſigniorem eo Prælatum, more Romanæ Dignitatis viventem inveniſſe. Erat etiam idem Legatus acceptus Principi Regni, Sereniſſimo Domino Stenoni Stur Juniori, qui pluries eum honeſtavit inſignibus conviviis ſuis, deditque illi liberaliſſima dona pellium pretioſarum* &c. Recenſentur poſtmodum pretioſiſſima donaria, eidem oblata ob extruendam Sacram Ædem Sancto Petro, ùt proximè innuimus. Dum autem ibidem moram duceret Arcimboldus Legatus, Jacobus Archiepiſcopus Upſalenſis ſenio confectus, conſilium cepit ſeſe ab ea Dignitate abdicandi, utpote viribus imparem eidem dignè adminiſtrandæ: Succeſſorem autem ſuum deſignavit Goſtavum Trolle; atque huic electioni aſſenſit Steno Stur Junior, Regni illius Gubernator, cùm electus Archiepiſcopus eidem affinis foret. Imo ad Leonem X. Summum Pontificem Jacobus Archiepiſcopus Nuncios miſit, ut ſubſtitutio novi Archiepiſcopi confirmaretur auctoritate Apoſtolicâ, idemque egerunt etiam Upſalenſes Canonici.

Romæ

Digitized by Google

Romæ tunc opportunè degebat Goſtavus Trolle ; quamobrem nullâ morâ interpoſitâ Pontificiam confirmationem & conſecrationem accepit . Iter illico aggreſſus eſt Goſtavus , atque in Sveciam delatus Upſalenſis Eccleſiæ Solium conſcendit . Interea gravis exorta eſt controverſia , quæ Stenonis animum, quamvis aliàs propitium , a Goſtavo Archiepiſcopo prorſus abalienavit , ac Svecos nobiliores in duas partes diviſit . Miſſa eſt ad Leonem X. Legatio , ut diſcordiam hanc Apoſtolica definitione componeret . Propoſita eſt Cauſa coram Leone Pontifice , qui ipſam examinandam commiſit Joanni Angelo Arcimboldo , Viro prudentiſſimo , tunc Sedis Apoſtolicæ , cum poteſtate Legati a Latere , in Svecia Commiſſario . Verùm Steno memoratus , non expectato Pontificis Leonis decreto , in Archiepiſcopale Palatium irrupit , Arcem Eccleſiæ Upſalenſis expugnavit , ipſumque Goſtavum in captivitatem abduxit , incluſitque Aroſiæ in Cœnobio Patrum Prædicatorum . Non deſtitit tamen ab incœpto Arcimboldus ; verùm in Comitiis Arbogenſibus judicium ſuum protulit , & ad Summum Hierarcham illud remiſit . Quid deinde actum ſit Romæ , & apud Svecos , non eſt hujus loci referre .

Reverſum in Italiam Arcimboldum Franciſcus II. Sfortia Dux Mediolani , in arduis expediendis negotiis , a Conſiliis adhibuit , atque Anno MDXXII. Legatum ad Adrianum VI. in Hiſpaniam miſit , ut eidem , nomine Ducis , de accepto Pontificatu Maximo gratularetur . Mortuo Adriano poſt annum , Clemens VII. illius Succeſſor , ad quem pariter miſſus fuerat Legatus a Franciſco II. prædicto , ſpectati tanti Viri prudentiâ , dexteritate , animique præſtantiâ , Novarienſi

tunc

tunc vacuæ Eccleſiæ eum in Epiſcopum præfecit Anno MD-XXIII. Triennio poſt conſecratus eſt Romæ in Eccleſia Sanctæ Praxedis, die XXII. Martii a Cardinali de Monte, Archiepiſcopo Sipontino. Quàm præclara reliquerit probatiſſimi ſui regiminis veſtigia in ea ditione, refectis ubique Epiſcopalibus Palatiis, præſcriptis in Riparia æquiſſimis Statutis, novâque veterum honorum ac Privilegiorum confirmatione a Carolo V. Imperatore in favorem Novarienſium Antiſtitum obtentâ Anno MDXXIX., ſicuti etiam juriſdictione, quam bellorum licentia & rapinæ vaſtaverant, ab ipſo vindicatâ, fuſè narrat laudatus Carolus a Baſilica-Petri *in ſua Novaria Sacra* num. LXXXIII., neque hìc vacat minutim referre.

Promotus ad Archiepiſcopalem Mediolanenſem Infulam, ingreſſus eſt hanc Metropolim ſolemni pompâ exceptus Anno MDL., Calendis Junii, ac ſtatim in Eccleſiam Sponſam ſuam oculos injecit; cùmque eam ſquallentem deformatamque adeò cerneret, ut vix aliqua ſpecioſiſſimæ olim formæ veſtigia ſupereſſent, dolore ſimul ac miſeratione tactus, deſiderio exarſit eidem opitulandi, nullâque morâ interpoſitâ, medelæ manum adjecit. Imo, ut ſecuriùs promptiùſque voti compos fieret, a Clero qui nobilior Eccleſiæ pars eſt, curæ Paſtoralis ſumpſit initium, adhibitiſque in conſilium Viris, Legum peritiâ, maturitate judicii, & rerum experientiâ præſtantibus, Conſtitutiones & Decreta edidit, quibus ab Eccleſiaſtico imprimis Cœtu corruptelas quæ in eum irrepſerant exſcindere, dein Laicos ad caſtigatioris vitæ normam reducere eſt conatus. Extant in Bibliotheca Metropolitanæ Baſilicæ hujuſmodi Conſtitutiones & Decreta typis impreſſa, quæ

quæ hic referre neceſſarium duximus, ut poſteris commendetur paterni amoris ſolicitudo, qua in ipſo Pontificatus ſui limine, Gregis ſibi commiſſi ſalutem curavit; id etiam exigente raritate Exemplarium, cujus causâ nullum alterum nobis videre, aut inſpectum ab aliis audire umquam contigit.

„ Joannes Angelus Arcimboldus Juris Utriuſque Doctor, „ miſeratione Divina Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepi- „ ſcopus &c. Univerſis & ſingulis tam Clericis quàm Laicis „ cujuſcumque ordinis, dignitatis, ſtatus, gradus, conditio- „ nis & præeminentiæ exiſtant in Civitate & Diœceſi noſtra „ Mediolanenſi commorantibus ſalutem in Domino ſempiter- „ nam, & Edictorum noſtrorum hujuſmodi ac Conſtitutio- „ num & monitionum noſtrarum obſervantiam. Sacra reli- „ gio Chriſtiana nuſquam meliùs plantatur, aut plantata fo- „ vetur, quàm ſi nutrire ea quæ recta ſunt, & quæ profe- „ ctum virtutis impediunt, corrigere ſtudeamus. Ea propter „ plura & plura mala Chriſtifidelium animas a recta viven- „ di via multùm diſtrahentia, quæ in Clero & populo no- „ bis commiſſo, humani generis cooperante Iuimico, jam- „ dudum invenimus pullulaſſe & coaluiſſe, quantum cum „ Deo poſſumus, extirpare cupientes, ùt debemus, quaſdam „ Conſtitutiones, Edicta, & Monitiones, aliquorum etiam „ Jnriſperitorum, & Prælatorum, ac conſummatorum Viro- „ rum, & in ſimilibus expertorum habitâ participatione, „ facere propoſuimus & facimus; quæ volumus diligenter & „ inconcuſsè obſervari, ſub pœnis & modis infraſcriptis. Et „ primò quòd omnes prædicti obſervent omnia mandata

„ & or-

„ & ordinata a Sacris Canonibus, modo & forma, prout „ in eis continetur: Et ultra, quia plerumque magis timeri „ ſolent pœnæ perſonales aut pecuniariæ, quàm pœnæ & „ cenſuræ Eccleſiaſticæ, ſub pœnis perſonalibus & pecuniariis, mirabili Fabricæ Eccleſiæ & Templi Majoris Mediolani applicandis.

„ Quòd Sacerdotes, & aliàs in Sacris Ordinibus conſtituti, vel Beneficia Eccleſiaſtica, aut penſiones annuas, „ vel reſervationes fructuum obtinentes, non teneant in eorum domibus vel alibi Concubinas, nec mulieres ſuſpectas; & ſi quas habent, termino ſex dierum eas expellant, itaut ad eas, nec alias publicas vel privatas meretrices ipſi non accedant, nec ad eos illas ſeu illam admittant in eorum domos in quocumque caſu, ſub pœna „ ſcutorum decem auri, quotiens in aliquo contrafecerint, „ quorum tertia pars accuſatori, qui ſecretus tenebitur, & „ reliquæ partes Fabricæ præfatæ Eccleſiæ Majoris Mediolani „ applicantur. Et ſi ultra duas vices contrafecerint, incurrent in pœnam ſcutorum vigintiquinque pro qualibet vice, „ applicandorum ut ſupra. Et ſi forſan perſeveraverint in „ concubinatu, habentes Beneficia, illis privabuntur, & non „ habentes, carceri perpetuo mancipabuntur.

„ Clericis, qui impudenti temeritate non erubuerint in „ locis publicis, vel domibus, ubi numeroſus populus convenerit, choreas ducere, aut ludere ad ludum prohibitum „ præſumpſerint, & luſerint, pœnam indicimus aureorum „ decem pro prima vice, applicandorum ut ſupra; pro ſecunda viginti; pro tertia arbitrio noſtro: Et ſi non ha-

„ buerint modum ſolvendi, luent in corpore arbitrio no-
„ ſtro.

„ Conſtituti in Ordinibus Sacris portent Clericam ſive
„ Coronam; ſi Presbyteri fuerint, latam quantum eſt Ho-
„ ſtia quæ immolatur in Miſſis; alii verò, ſicut eſt parva
„ Hoſtia quæ datur Laicis, infra quindecim dies proximos
„ ſub pœna excommunicationis latæ ſententiæ, trinâ Cano-
„ nica monitione præmiſsâ, & ulteriùs ſub pœna ſcutorum
„ decem pro qualibet vice, applicandorum ut ſupra, &
„ prout ſupra.

„ Sacerdotes & aliàs in Sacris Ordinibus conſtituti, ſive
„ Beneficia Eccleſiaſtica, aut annuas penſiones, vel reſerva-
„ tiones fructuum obtinentes, termino decem dierum induan-
„ tur veſtibus ſuperioribus uſque ad talos, & Curati addant
„ Caputium, & omnes Clerici beneficiati, aut penſiones ſive
„ reſervationes fructuum obtinentes portent biretum, ùt com-
„ muniter defertur ab omnibus Beneficiatis reſidentibus in
„ Eccleſiis; & per Civitatem, Suburbia, Terras, & Op-
„ pida ſine enſe & pugione eant, nec deferant annulos in
„ digitis, neque induantur veſtibus coloris alterius quàm ni-
„ gri, aut taneti, aut aliàs a jure permiſſi, & non ſint
„ veſtes ſericeæ, niſi ſint Prælati, aut Doctores, vel Ca-
„ nonici Eccleſiæ Majoris Mediolani, aut qui (detractis one-
„ ribus) habeant redditus annuos ſaltem ſcutorum ducen-
„ tum; qui dumtaxat deferre poſſint ſuperiores veſtes Or-
„ meſini, vel tabeti; Et veſtes interiores ſint longæ uſque
„ ad genua, & poſſint eſſe ſericeæ, dummodo non habeant
„ aliqua ornamenta; neque deferant Calzonos aliquo modo
„ or-

„ ornatos, ſed de puro & proprio panno exiſtant. Aliter „ in quolibet caſu prædicti omnes cadant ipſo jure in pœnam ſcutorum viginti, & eo modo quo ſupra applicandam, quotiens aliter fecerint tam in Civitate, quàm in tota Diœceſi noſtra; pluviarum & nivium tempore excepto, in quo poſſint deferre gabanos honeſtos; & calceos „ non habeant ſtrictos, neque per laſciviam inciſos, ſub „ pœna ſimili. Nolumus tamen in hoc noſtro Edicto comprehendi Dominos Senatores. Sed ut pauperum Clericorum rationem habere videamur, indulgemus pauperibus ipſis terminum menſium trium pro veſtibus ſuperioribus & „ inferioribus, & ſubtaneis tantùm faciendis; intereaque liceat ſolitos ſagulos, non tamen bigaratos, & ſubtanas, „ & veſtes ſuperiores deferre, & pœnam pro dicto tempore non incurrere. Ceterùm dicto tempore elapſo fiet „ inquiſitio, & procedetur contra eos, & irremiſſibiliter puniantur.

„ Domus Canonicarum, & quæ Eccleſiis contiguæ ſunt, „ ſeu ad uſum Beneficiatorum ſunt deputatæ, in Feſto Sancti Michaëlis proximè futuro, & abinde in antea locentur Reſidentibus in dictis Eccleſiis; & illis deficientibus, „ aliis Sacerdotibus; quibus etiam non exiſtentibus, dentur „ Clericis honeſtæ vitæ, itaut a Laicis habitari omnino non „ permittantur, ſub pœna ammiſſionis Ficti, pro una tertia accuſatori, qui ſecretus tenebitur, & aliis Fabricæ Eccleſiæ Majoris Mediolani, applicand... pro prima vice; pro „ ſecunda autem ammiſſionis Ficti duorum annorum, applicandi ut ſupra, & nihilominus Laici expellentur; exceptis

„ tamen Cancellario, & aliis ad ſervitutem noſtram exiſten-
„ tibus, quo ad Domos Palatio noſtro contiguas tantùm.

„ Quilibet habens Beneficia tam Curata, quàm non Cu-
„ rata, Capellas & Altaria, termino menſium duorum in
„ eis reſideat, ſeu eis deſerviat per ſeipſum, & non per
„ alium, niſi quoad incompatibilia, & tunc deſerviat per
„ perſonas idoneas, nobis tamen præſentatas, & per nos in
„ ſcriptis approbatas, ſub pœna ſcutorum vigintiquinque,
„ pro tertia accuſatori, & reliquis præfatæ Fabricæ appli-
„ candorum, & alia graviori arbitrio noſtro. Volumuſque,
„ ut illi qui plura Beneficia obtinent diſpenſationem requi-
„ rentia, debeant infra menſes duos proximos dictas diſpen-
„ ſationes præſentaſſe in manibus noſtri Cancellarii, per nos
„ ſeu Vicarium noſtrum Generalem videndas, ſub pœna am-
„ miſſionis Beneficiorum, a quibus expellentur, & de eis
„ aliis providebitur.

„ Nullus Presbyter admittatur ad celebrandum in Eccle-
„ ſiis Civitatis & Diœceſis Mediolanenſis, qui ſit incognitus,
„ ſine noſtra in ſcriptis ſpeciali licentia, ſub pœna ſic per-
„ mittenti ſcutorum trium applicandorum ut ſupra & prout
„ ſupra, & talis celebrans cadat in pœnam ſtandi in car-
„ ceribus, tribus diebus in pane & aqua alendus.

„ Nullus Sacerdos celebret niſi unam Miſſam ſingula
„ die, excepto Nativitatis Domini; aliàs a Divinis ſuſpen-
„ datur pro prima vice per menſem unum, & in ſcutis de-
„ cem auri applicandis ut ſupra condemnetur: Pro ſecunda
„ verò, ultra ſuſpenſionem, ſolvat ſcuta viginti, ſcilicet
„ tertiam partem accuſatori qui ſecretus tenebitur, & reli-

„ quas

„ quas præfatæ Fabricæ Eccleſiæ Majoris Mediolani ; pro tertia puniatur eadem pœnâ , & etiam corporali , arbitrio „ noſtro .

„ Fratres , Monachi , & Moniales , qui & quæ a propriis locis & Monaſteriis receſſerunt , compareant , & termino viginti dierum doceant nos , quo jure prætendunt , poſſe ſtare extra eorum loca , aut tenere Eccleſias Seculares , præcipuè Curatas ; aliàs capientur , & ſpoliabuntur habitu Seculari Presbyterorum , & non relaxabuntur , donec fuerit cognitum de eorum receſſu , & punientur pœna corporali , & pecuniaria , Fabricæ Eccleſiæ Mediolani applicanda arbitrio noſtro . Moniales verò repertæ extra Monaſteria , cujuſcumque Ordinis & Religionis exiſtant , exceptis Converſis , capientur , & detrudentur in carceribus & compedibus in ſuis Monaſteriis , ſub pœnitentia ibi ſtandi in pane & aqua , ad noſtrî beneplacitum ; & aureos duos ſolvent accuſatori , & ſeu Barueriis .

„ Clericus ſi quis reperiatur in quocumque Ordine conſtitutus & Dignitate , qui ſe audeat executionibus & aliis mandatis noſtris , ſeu Vicariorum noſtrorum , aut quovis modo attemptet impedire , quominus ea exequantur , plectatur pœnâ ſcutorum vigintiquinque , pro tertia accuſatori , & reliquis Fabricæ præfatæ applicandorum ; & ſi non habebit in ære , tradetur carceri per dies quinquaginta in pane & aqua alendus , vel ſuſpendetur per annum a Divinis . Si verò fuerit Laicus , punietur pœnis , a Novis Sanctionibus per Majeſtatem Cæſaream , ejuſque Excellentiſſimum Senatum editis . “

„ Pro-

„ Prohibemus inſuper Presbyteris & aliis Beneficiatis, ne „ audeant præſtare, & ſeu aliquo modo facere Duodenam „ Laicis: Contrafacientes in pœnam ſcutorum quindecim auri „ applicandorum ut ſupra, pro qualibet vice incurrent. Eâ- „ dem pœnâ etiam punientur illi, qui artes & exercitia „ laicalia, ſeu Religioſis non convenientia reperientur exer- „ cere.

„ Volumuſque, ut omnes Sacerdotes Miſſas celebrantes, „ termino quatridui rondere faciant partem barbæ ſupra os, „ ita quòd labium ſuperius non attingat, ſub pœna ſcuto- „ rum ſex auri, applicandorum ut ſupra pro qualibet vice, „ qua reperti fuerint contraveniſſe.

„ Si quis Clericus, & qualificatus ut ſupra, falſum te- „ ſtimonium dixerit, ut aliquis condemnetur in Cauſa cri- „ minali, puniatur eâ pœnâ qua puniendus eſſet ille, con- „ tra quem falſum teſtimonium dixerit, ſi delictum, pro „ quo imputatus erat, commiſiſſet. Ubi verò pecuniariâ pœ- „ nâ mulctandus eſſet, is teſtis condemnetur in quadruplum „ illius rei, pro qua falſum depoſuiſſet, & aliàs arbitrio „ noſtro. E converſo ſi quis in Cauſa criminali falſum di- „ xerit, ut quis nocens abſolvatur, puniatur illâ pœnâ qua „ puniendus erat ille, pro quo depoſuiſſet, ſi nocens eſſe „ convictus fuiſſet. Si verò in pecuniaria falſum ad abſol- „ vendum reum depoſuerit, puniatur in quadruplum, appli- „ candum ut ſupra. Qui verò ſcienter & doloſè in Cauſa „ criminali falſum vel falſos teſtes produxerint, vel produci „ fecerint, vel eis ſcienter & doloſè uſi fuerint; & inter- „ rogati, ſi velint uti dictis teſtium, vel teſtibus, ad ter-

„ mi-

„ minum per Judicem ſtatuendum reſponderint, ſe velle
„ uti, puniantur pœnâ falſi, a Canonibus & Legibus infli-
„ ctâ. Quòdque ſi interrogati, clarè reſpondere teneantur
„ ad dictum terminum; quòd ſi non reſponderint, ha-
„ beantur perinde ac ſi nollent uti. Ulteriùs teſtis falſum
„ deponens, & eum ſcienter ùt ſupra producens, in ſoli-
„ dum teneantur (unica tamen ſolutione ſufficiente, realique
„ & perſonali actione) ad reſarciendum damnum & inte-
„ reſſe cauſatum ex præmiſſa cauſa. Si quis verò falſum di-
„ xerit, ut quis abſolvatur vel condemnetur in Cauſa Ci-
„ vili, condemnetur ùt eſt dictum, & ulteriùs in Scutis
„ decem auri, applicandis ut ſupra; eâdemque pœnâ tene-
„ bitur producens, & ut ſupra, & quilibet eorum in ſo-
„ lidum ad ſatisfactionem damni. Punientur etiam iiſdem
„ pœnis qui ſolicitaverint aut operam dederint vel conſilium,
„ ut quis teſtimonium falſum dicat. Si verò fuerit Laicus
„ qui teſtimonium falſum depoſuerit, vel falſa depoſitione
„ uſus fuerit contra Clericum ùt ſupra, condemnetur &
„ punietur pœnis, a dictis Novis Conſtitutionibus commi-
„ natis.

„ Si quis autem Clericus, Sacerdos, vel Beneficiatus,
„ aut Laicus in præjudicium Clerici in judicio falſum, vel
„ non verum juraverit, in quadruplum condemnetur ejus
„ pro quo juratum extiterit, pro dimidia Parti offenſæ, &
„ altera dimidia Fabricæ Eccleſiæ Majoris Mediolani appli-
„ candum; modò dicatur ipſum juramentum falſum, ſeu non
„ verum, intra bimeſtre continuum a die præſtiti jura-
„ menti.

„ Si

Digitized by Google

„ Si quis etiam Clericus vel Sacerdos auſus fuerit alium „ Clericum ſeu Sacerdotem verbis contumelioſis afficere, aut „ provocare ad rixam, pœna ſit illi aureorum decem, ap- „ plicandorum ut ſupra, & graviori etiam corporali, arbi- „ trio noſtro, inſpectâ perſonarum & facti qualitate. Quòd „ ſi in Eccleſia id factum fuerit, vel extra Eccleſiam in „ locum publicum, pœna duplicabitur.

„ Clerici vel Sacerdotes, aut Beneficiati ut ſupra, blaſ- „ phemantes nomen Domini Noſtri Jeſu Chriſti, ſeu Beatæ „ Virginis Mariæ, carceri mancipabuntur per menſem con- „ tinuum in pane & aqua alendi, & in Scutis decem con- „ demnabuntur, applicandis ut ſupra, & prout ſupra. Pro „ ſecunda autem vice pœna triplicabitur. Pro tertia verò „ punientur eâdem pœna, qua Laici ex forma allegatarum „ Novarum Conſtitutionum puniri mandantur. Et ſi fuerit „ atrox blaſphemia, punientur ultra præmiſſas pœnas etiam „ corporali pœna arbitrio noſtro, & tradentur Curiæ Secu- „ lari puniendi, inſpectâ ſemper qualitate perſonæ & blaſ- „ phemiæ, & in loco in quo blaſphemaverit, & quibus „ præſentibus. Admittentur hæ notificationes & querelæ blaſ- „ phemiarum dumtaxat intra menſem a die patrati delicti.

„ Si quis Clericus & ùt ſupra, fecerit robariam pecu- „ niæ vel rei Eccleſiæ, valoris non excedentis dimidiam „ unius auri, condemnetur pro prima vice in quadruplum, „ & per dies octo maneat in carceribus; pro ſecunda vice „ condemnetur in Scutis decem auri, applicandis pro tertia „ accuſatori, & reliquis partibus præfatæ Fabricæ, & per „ dies quindecim maneat in carceribus in pane & aqua alen- „ dus;

„ dus ; & pro tertia vice Beneficiis privetur ; & ſi non „ habuerit Beneficia, ſuſpendatur a Divinis per annum, & „ condemnetur in Scutis vigintiquinque applicandis ùt ſupra. „ Et ſi non habuerit in ære, per trimeſtre maneat in carceribus, alendus ùt ſupra. Pro quarta verò vice con„ demnetur in pœna pecuniaria, & etiam corporali, arbitrio „ noſtro. Si verò exceſſerit ſummam dimidiæ unius auri, „ ad ratam & pro rata duplicentur pœnæ ſupraſcriptæ, de„ bitè referendo. Si verò robariam fecerit de pecuniis & „ rebus profanis, condemnetur in dimidia pœnarum ſupra„ ſcriptarum, debitè & congruè referendo, & aliàs arbi„ trio noſtro. Si verò Laicus fecerit furtum vel robariam „ de bonis & rebus Eccleſiæ, causâ per nos cognitâ pu„ nietur juxta diſpoſitionem Novarum Conſtitutionum, edita„ rum a' Majeſtate Cæſarea, ejuſque Excellentiſſimo Senatu, „ & aliàs arbitrio noſtro.

„ Si Clericus & ùt ſupra, aut Laicus amodo moleſta„ verit vel turbaverit, aut inquietaverit, vel moleſtari, tur„ bari, ſeu inquietari fecerit aliquem vel aliquam perſonam, „ Eccleſiam, Scholam, Monaſterium, Capitulum, ſeu Uni„ verſitatem, vel Secularem in aliqua ejus poſſeſſione vel „ quaſi rei immobilis, vel juris inhærentis alicui rei immo„ bili, vel fructibus Decimæ, vel jure Decimationis, vel in „ quacumque re immobili, puniatur & condemnetur, ultra „ pœnas a Canonibus inflictas, in libris centum Imperiali„ bus pro quolibet eorum, & minus arbitrio noſtro, vel „ Vicarii noſtri Cauſarum Criminalium, ſecundùm qualitatem „ delicti, & perſonæ delinquentis, pro dimidia Parti offen-

Digitized by Google

„ ſæ, & altera prædictæ Fabricæ applicandis. Et nihilominus teneatur & debeat dimittere moleſtatum, inquietatum, vel turbatum in pacifica ejus poſſeſſione vel quaſi; & inſuper condemnetur, quòd in futurum non debeat ipſum moleſtare, inquietare, nec turbare ſub pœna arbitrio noſtro, vel Vicarii noſtri Cauſarum Criminalium, condemneturque, ſi in judicio indebitè ſe oppoſuerit, etiam in omnibus expenſis per querelantem factis.

„ Ordinamus inſuper, quòd nullus Sacerdos, neque alius in habitu Eccleſiaſtico incedens audeat ſub quocumque titulo, etiam paupertatis, aſſociare Matronas, neque alias mulieres, licèt illuſtres, in Locis publicis, neque in Eccleſiis, ſub pœna decem aureorum pro qualibet vice, applicandorum ut ſupra & prout ſupra, & ſuſpenſionis a Divinis per bimeſtre, & capi poterit ubique locorum reperietur in actu.

„ Clericus & ut ſupra, carnali copulâ cognoſcens Monialem profeſſam, incedentem tamen in habitu, in Monaſterio, ſive extra Monaſterium, privabitur Beneficiis, & ulteriùs degradabitur, & Curiæ Seculari tradetur, juxta Canonicas & Civiles Conſtitutiones puniendus, & ita per nos privabitur, degradabitur, & tradetur.

„ Omnes Notarii quærant inter eorum Inſtrumenta hinc ad menſes ſex omnia Legata pia, & dent de eis Notam nobis, ut poſſit ſatisfieri animabus Defunctorum, & exonerari conſcientiæ gravatorum: Et ſatisfiet ipſis Notariis de eorum mercede, ſub pœna excommunicationis, quam trina admonitione præmiſſa in iis ſcriptis ferimus, & ul-

„ terius

„ terius pœna damni, quod ipſa Pia Loca propterea pa-
„ tientur.

„ Uſurarii publici, & qui contractus uſurarios & illici-
„ tos ſoliti ſunt exercere, de cetero abſtineant; aliàs con-
„ tra eos etiam pro præteritis ex officio procedetur; non
„ derogantes tamen Tertio intereſſe prætendenti, in utroque
„ examini Vicarii noſtri hæc omnia ſubmittentes.

„ Laici concubinarii uxorati, intra octo dies proximos
„ recedant a concubinatu, & adhæreant uxoribus ſuis, &
„ Concubinæ viris earum, ſub pœna excommunicationis latæ
„ ſententiæ, trina monitione præmiſſa, & ulterius ſub pœ-
„ na Scutorum vigintiquinque auri applicandorum pro tertia
„ accuſatori, & reliquis partibus Fabricæ Eccleſiæ Majoris
„ Mediolani. Et ſi non habuerint in ære, luent in corpo-
„ re arbitrio noſtro, & dehinc graviori pœna, ſecundùm
„ perſeverantiam eorum in Concubinatu, & qualitates per-
„ ſonarum.

„ Feſtivitates obſerventur juxta ordinata in Conſtitutioni-
„ bus Cæſareis, & ultra ſub pœna excommunicationis latæ
„ ſententiæ, trina monitione præmiſſa, ac etiam ſub pœna
„ arbitrio noſtro infligenda.

„ Et quoniam in Concilio Lateranenſi determinatum eſt,
„ quòd Monaſteria Sanctimonialium, ſi quiſquam Clericus ſine
„ manifeſta & rationabili cauſa frequentare præſumpſerit, per
„ Epiſcopum arceatur; & ſi non deſierit, ab Officio Eccle-
„ ſiaſtico reddatur immunis; ſi Laici excommunicationi ſub-
„ dantur, & a Cœtu fidelium penitus alieni: Et nos, cui
„ præcipua cura eſſe debet, Sanctimoniales nedum a commit-

Digitized by Google

„ tendis exceſſibus compeſcere, verùm etiam omnem penitus
„ ſuſpicionem talia committendi a mentibus omnium averte-
„ re; & cogitantes, quantis humani generis Hoſtis ſubtili-
„ tatibus armetur ad vias fallendi, & mentes (præcipuè ſe-
„ xus fœminei) illaqueandi; & quòd quos Dei timor non
„ movet, & a malo non avertit, ſaltem coërceat timor,
„ & ſeveritas diſciplinæ: Et quia pœnæ Canonum plerum-
„ que negliguntur, perſonales verò & pecuniariæ magis ti-
„ mentur: Igitur auctoritate noſtra officii Archiepiſcopalis a
„ Deo, & Sancta Sede Apoſtolica nobis commiſſi, & eo
„ meliori modo, jure, via, cauſa, & forma, quibus ma-
„ gis & meliùs ſecundùm Deum & Sacros Canones poſſu-
„ mus & debemus, edicimus & hoc noſtro perpetuo Decre-
„ to cenſemus, quòd prædictus Canon de cetero ad un-
„ guem ſervetur, ſub pœna in eo appoſita tam in Civitate,
„ quàm in tota Diœceſi noſtra. Et ulterius, ſi Clericus Re-
„ ligioſus cujuſcumque Ordinis, ſeu Secularis fuerit, cadat
„ in pœnam Scutorum quindecim, & in carceribus maneat
„ per menſem pro prima vice, qua ſine manifeſta cauſa
„ iverit ad Monaſteria; pro ſecunda verò vice privetur Be-
„ neficio, ſi quod habuerit; & ulteriùs & ipſe & quilibet
„ Clericus, qui Beneficium non habuerit, ultra pœnas dicti
„ Canonis condemnabitur in Scutis vigintiquinque, & in car-
„ ceribus per bimeſtre manebit. Et ſi non habuerit in ære,
„ luet in corpore, ſtando in carceribus in pane & aqua
„ aliis diebus quinquaginta, aut alia graviori pœna, arbitrio
„ noſtro imponenda. Pro tertia verò vice pœna duplicabi-
„ tur, & alia, arbitrio ut ſupra. Si verò fuerit Laicus,
„ ultra

„ ultra dictam pœnam Canonis, condemnabitur pro qualibet „ vice in Scutis quinquaginta auri; & ſi non habuerit in „ ære, luet in corpore tribus ictibus equulei in publico; „ nec abſolvatur ab excommunicatione prædicta, niſi in for- „ ma Eccleſiæ conſueta. Et ut quantum fieri poteſt, hæc „ forma ſervetur, ad obviandum diſputationibus ſuper dicta „ manifeſta & rationabili cauſa, volumus & ordinamus, quòd „ nulla perſona etiam a jure permiſſa præſumat accedere ad „ aliquod Monaſterium ùt præfertur, niſi expreſsâ nobis cau- „ sâ, propter quam prætendat ad hujuſmodi Monaſteria poſ- „ ſe accedere. Et propterea etiam monemus omnia Mona- „ ſteria, quatenus termino trium dierum in Civitate, & ex- „ tra Civitatem dierum quindecim, dent in ſcriptis omnia „ nomina eorum, qui habent eis neceſſariò inſervire, ùt „ ſunt Medici tam Phyſici, quàm Chirurgici, Aromatarii, „ laborantes in Monaſterio circa penum, ligna, & his ſimi- „ lia, & portantes blada in Solario, & conducentes vi- „ ctualia, & Mercatores, qui dant eis ad laborandum ve- „ rè, & afferentes de more & conſuetudine munera pro Mo- „ nialibus etiam ſingularibus, quoniam Monaſterio dabitur „ & non dabitur licentia pro prædictis perſonis, de quibus „ aſſumentur informationes, prout nobis videbitur. Dabitur „ etiam licentia aliis, intellectâ causâ: quæ omnes licentiæ „ omnibus gratis dabuntur.

„ Si autem prædicta, vel aliqua ex eis non fuerint ob- „ ſervata, monentur omnes, quòd capientur & punientur „ irremiſſibiliter, ùt eſt dictum, & accuſatori dabitur ter- „ tia pars pœnæ pecuniariæ, & ſecretus tenebitur; reliquæ

„ verò

„ verò partes ſolventur Fabricæ Eccleſiæ Majoris Mediolani.

„ Revocantes inſuper, dignis reſpectibus animum noſtrum „ moventibus, omnes & quaſcumque licentias ad Monaſteria eundi, hinc inde quomodolibet quibuſcumque conceſſas.

„ Si verò mulieres fuerint, cujuſcumque ſtatus, gradus, „ & conditionis exiſtant, non præſumant intrare aliquod Monaſterium, ſed dumtaxat poſſint mulieres honeſtæ accedere „ ad Parlatoria, & Moniales alloqui, in præſentia tamen „ Superioris, ſeu Diſcretarum ipſius Monaſterii, ſub pœna „ excommunicationis latæ ſententiæ, quam canonica admonitione præmiſſa in his ſcriptis ferimus, & tam contra ipſas Moniales recipientes, quàm mulieres intrantes, exceptis „ dumtaxat Avia, Matre, & Sororibus, quibus, ſine tamen „ pediſſequis nec aliis perſonis, indulgetur, ut tantùm bis „ in anno Monaſteria volentia ipſas recipere, ingredi poſſint; „ a qua excommunicatione non poterunt abſolvi, niſi in forma Eccleſiæ conſueta.

„ Nullæ Moniales præſumant accipere in earum Monaſteriis aliquas mulieres in Duodena, quæ exceſſerint duodecimum annum ſuæ ætatis, niſi expreſsâ nobis causâ, „ propter quam velint eas accipere; quæ ſi juſta videbitur, „ licentia in ſcriptis gratìs concedetur; ſine qua incurrant „ pœnam Scutorum decem, & excommunicationis ſententiam „ tam recipientes, quàm intrantes, ùt præfertur; a qua non „ abſolventur, niſi in forma Eccleſiæ conſueta. Ordinantes „ inſuper, quòd Mulieres Seculares de præſenti in quibuſcumque Monaſteriis, cujuſcumque Ordinis & Religionis ſint,

„ exi-

„ exiſtentes, ut termino decem dierum proximorum excludantur a Monaſteriis ipſis, ſub pœna Monaſteriis mulieres ipſas non excludentibus, excommunicationis ut ſupra, & Scutorum decem auri, pro tertia accuſatori qui ſecretus tenebitur, & pro aliis duabus partibus Fabricæ Eccleſiæ Majoris Mediolani applicandorum; & mulieres ipſæ a Monaſteriis ipſis per vim expellentur, & ſpoliabuntur.

„ Et quia in multis Monaſteriis in Civitate & Diœceſi noſtra conſiſtentibus inolevit quædam corruptela in quibuſdam anni Solemnitatibus, & præcipuè Sancti vel Sanctæ, ſub cujus invocatione ſunt ipſa Monaſteria, & pro Miſſis Defunctorum, ut convocent Presbyteros & Laicos, ac Cantatores in diſcantu qui appellatur cantus effiguratus, cum tubis Corneis, ſeu Cornetis, & fiunt magna convivia & commeſſationes in talibus Monaſteriis ſeu Foreſtariis eorum, ex quibus non modica ſcandala & ſuſpiciones oriuntur, & Monaſteria depauperantur; ſtatuimus, quòd de cetero prædicta non fiant, & pro talibus Solemnitatibus, aut Miſſis pro mortuis celebrandis, non invitent ultra Presbyteros ſeu Fratres duodecim, cum tribus aut quatuor Clericis; & quòd eis & aliis non detur aliquo modo ad comedendum, ſed dentur pecuniæ pro eleemoſyna, & eorum labore. Quòd ſi danda fuerit refectio propter venientes a longè, detur in aliqua domo remotâ & totaliter ſeparatâ a Monaſterio, quòd non poſſint voces eorum audiri a Monialibus. Et ſi contra factum fuerit, Monaſterium cadat in pœnam Scutorum vigintiquinque, applicandorum pro tertia parte accuſatori, & ſecretò tenebitur,

„ & pro

„ & pro aliis præfatæ Fabricæ. Presbyteris autem, aut Fra-
„ tribus & Laicis imponetur pœna expreſſa in Superioribus
„ Decretis noſtris, ubi ſancitum eſt de prohibitione eundi
„ ad Monaſteria: Et Abbatiſſa quæ ſupremum gradum in
„ eo Monaſterio obtinebit, privabitur loco ſuo, & voce
„ activa & paſſiva.

„ Nulla mulier Religioſa cujuſcumque Ordinis egrediatur
„ Monaſterium ſuum, ſine noſtra in ſcriptis ſpeciali licen-
„ tia, exceptis Converſis, ſub pœna excommunicationis ut
„ præfertur, & ſtandi in compedibus per menſem & plus
„ arbitrio noſtro: Monentes eas omnes, quòd ſi fuerint in-
„ ventæ, capientur & carcerabuntur; & accuſator ſeu Ba-
„ ruerii habebunt aureos duos pro qualibet notificatione ſeu
„ detentione, ſolvendos per contrafacientes.

„ Ducentes Moniales extra earum Monaſteria ſine noſtra
„ in ſcriptis ſpeciali licentia punientur pœna Scutorum cen-
„ tum, præfatæ Fabricæ pro duabus partibus, & pro ter-
„ tia accuſatori, qui non propalabitur, applicandorum, & ul-
„ teriori pœna etiam corporali, arbitrio noſtro.

„ Nullus Servitor ſeu Famulus retineatur intra clauſu-
„ ras Monaſteriorum, & præcipuè non pernoctet, ſub pœ-
„ na Abbatiſſæ ſuſpenſionis ipſo jure & facto; & famulo
„ ictuum duorum equulei in publico, aut flagellabitur pu-
„ blicè.

„ Nemo ingrediatur Monaſteria ad laborandum in penu
„ aut Solario, aut pro lignis incidendis & aliis ſimilibus,
„ niſi excedat ætatem annorum quadragintaquinque, & ibi
„ permaneat, niſi pro neceſſitate ejus quod opus fuerit; &
„ ſi in-

Digitized by Google

„ ſi inventus fuerit in aliis locis Monaſterii, præterquam ubi „ neceſſe habet operari, ponatur ad catenam, aut in berlina per quatuor horas; & credetur fideliter referenti cum „ juramento.

„ Nulli Fratres aut Presbyteri cujuſcumque præeminentiæ & conditionis exiſtant, præſumant intrare Clauſuras „ Monaſteriorum; ſed ſolùm Confeſſor cum ſocio, & Viſitator cum ſocio, & non ultra, qui ſaltem exceſſerint „ quinquageſimum annum eorum ætatis, poſſit ire ad Parlatoria tantùm, ſub pœna ſtandi in carcere per dies quindecim in pane & aqua, & ultra arbitrio noſtro, etiamſi „ quomodocumque habeant Sorores, aut alias perſonas eis „ conjunctas in ipſis Monaſteriis; & hoc, niſi Moniales ipſæ „ jacerent infirmæ, adeò quòd non poſſent ire ad loca deputata pro Confeſſionibus audiendis.

„ Nulli Fratres, exceptis præfatis Confeſſoribus & Viſitatoribus, aliquo tempore comedant in Foreſtariis, aut „ aliis locis intra primam Portam Monaſteriorum, ſub pœna „ carceris, & ut ſupra, & ulteriori, arbitrio noſtro. Et „ monentur, quòd ſi inventi fuerint, capientur & carcerabuntur; & ſi equos habebunt, tradentur pro tertia accuſatori, & reliquis partibus, Officialibus, non obſtante „ aliquo privilegio, præcipuè quia privilegia ad hæc ſe non „ extendunt, & ita ſe non extendere tenore præſentium „ decernimus & declaramus. Item dicitur de Presbyteris & „ aliis ſuppoſitis noſtræ Juriſdictioni, tam Clericis Secularibus, quàm Regularibus, & aliis Laicis quibuſcumque.

„ Si inventa fuerit aliqua perſona cujuſcumque ſtatus aut

Digitized by Google

„ conditionis, præcipuè de Converſis, aut aliis, deferentes „ Literas in Monaſteriis, capientur & flagellabuntur etiam „ publicè, prout viſum fuerit opportunum.

„ Omnia mala facta in Monaſteriis, imputabuntur Abba- „ tiſſæ, ſeu Matri, ſeu Prioriſſæ, aut Vicariæ, & Supe- „ rioribus, & propter hoc deponentur ab eorum officio, & „ privabuntur voce activa & paſſiva, & aliæ deputabun- „ tur earum loco, niſi præmiſſa Nobis aut Vicario noſtro „ denunciaverint; Et hoc non attenta aliqua earum exem- „ ptione ſeu privilegio, qua & eo reddentur indignæ pro- „ pter reatum, & accuſatori cum teſte fide digno, & ju- „ ramento dabitur fides; & ſi fuerit accuſatrix ſeu denun- „ ciatrix de Monaſterio, tenebitur ſecreta, & habebitur ra- „ tio ſuæ diligentiæ & caritatis.

„ Non negabuntur opportunæ licentiæ gratìs, re tamen „ honeſta cognita per Nos; ſed advertant impetrantes licen- „ tiam, quòd per exploratores obſervabuntur, & malè im- „ petrantes, etiam licentiis conceſſis non attentis, capientur „ & punientur, ùt prædictum eſt.

„ Officiales aliquem delinquentem detinentes, teneantur „ ſtatim illum conſignare in carceribus; & quamprimùm Vi- „ cario noſtro Cauſarum Criminalium, ſeu Generali, aut ſal- „ tem Cancellario noſtro notitiam dare, nec audeant deten- „ tum ſub aliquo prætextu relaxare abſque noſtrî, ſeu Vicarii „ noſtri ſpeciali licentia, ſub pœna Scutorum decem aureorum „ pro dimidia accuſatori, cui cum juramento & uno teſte „ credetur, & altera dimidia præfatæ Fabricæ applicandorum, „ necnon èt duorum ictuum equulei in publico pro quali-

„ bet

„ bet vice, & alia graviori pœna etiam corporali, arbi-
„ trio noſtro. Et ſi notificator erit unus ex ipſis Officiali-
„ bus, qui detentum relaxaviſſent; vel ipſe relaxatus, ipſo
„ jure ſit liberatus, & pœna pecuniaria per complices &
„ Officiales ſolvenda, ei tradetur.

„ Si quis calumnioſè detulerit aut notificaverit aliquem,
„ condemnetur in expenſis in duplum, Parti reſarciendis eà-
„ dem ſententiâ qua reus abſolvetur, ultra pœnas a jure
„ inflictas.

„ In prædictis omnibus & ſingulis capitibus criminali-
„ ter tam ad denunciationem, quàm ex officio, & aliàs om-
„ nibus modo &c. procedetur per detentionem perſonæ, vel
„ per inquiſitionem ac præcepta pœnalia, & alia juris reme-
„ dia, arbitrio noſtro, ſeu Vicarii noſtri Cauſarum Crimi-
„ nalium, vel Generalis, ſummariè, ſimpliciter, & de plano,
„ ac ſola facti veritate inſpecta, & quibuſcumque frivolis
„ ac calumnioſis exceptionibus non attentis, ac nullo dato
„ Aſſeſſore, omnique appellatione, reviſione, reclamatione,
„ & nullitate remota, ac ſublata; punienturque delinquen-
„ tes irremiſſibiliter nedum recitatis pœnis, debitè referendo,
„ ſed aliis gravioribus etiam corporalibus arbitrio noſtro, ſe-
„ cundùm qualitatem caſuum & perſonarum.

„ Et ne videamur conceſſionibus Apoſtolicis generalibus
„ aut ſpecialibus contravenire, mandamus omnibus & ſingu-
„ lis tam Clericis, quàm in Prælaturæ Dignitate conſtitutis,
„ quàm Religioſis, Monachis, & Monialibus cujuſcumque
„ Ordinis, ſtatus, dignitatis, Religionis, & conditionis exi-
„ ſtant, qui ſe prætendant aliqua privilegia & exemptiones

Digitized by Google

„ a Sede Apoſtolica, aut a Sanctiſſimo Domino Noſtro habere contra Nos, & noſtram juriſdictionem, ut termino „ novem dierum, quos pro monitione canonica eis damus, „ debeant verè & realiter coram Nobis, aut Vicario noſtro „ Generali, ſeu in Criminalibus ſpeciali, & in manu Cancellarii noſtri, & dictæ Curiæ infraſcripti, exhibuiſſe, „ edidiſſe, & præſentaſſe dicta eorum privilegia, & jura „ dictam eorum exemptionem tangentia, ut poſſimus videre „ & conſiderare, quid Nobis incumbat circa talia, quia parati erimus mandata Apoſtolica exequi, & eis parêre. „ Ceterùm non comparentibus & non exhibentibus dicta jura, privilegia, & exemptiones, aut ubi illa non obſtent, „ noſtram Ordinariam auctoritatem juxta Sacrorum Canonum „ diſpoſitionem exercebimus in quoſcumque, qui in contrarium „ aliquid non oſtenderint; quoniam noſtra juriſdictio generalis a Deo eſt & Sancta Matre Eccleſia, & a Sacris „ Conciliis & Canonibus inſtituta.

„ Placet etiam ſervari ſacrum Inſtitutum circa obſervationem Sacramenti, & Orationum hactenus inſtitutarum „ & obſervatarum, mandantes ſic ſervari, ùt adhuc ſervatum eſt, & non ceſſari. Ceterùm impedientes, aut non „ obſervantes, aut ſcandalum in prædictis facientes excommunicamus ipſo jure, trina Canonica monitione præmiſsâ; „ reſervata nobis facultate etiam eos puniendi pœna pecuniaria, aut perſonali, prout nobis viſum fuerit.

„ Scholæ omnes Diſciplinatorum, & aliorum Conſortiûm, „ & Piorum Locorum Civitatis & Diœceſis noſtræ Mediolanenſis a quinquaginta annis citra erectorum ſeu inſtitu-

„ to-

Digitized by Google

„ torum, intra trimeſtre proximum ad Nos in manibus noſtri Cancellarii infraſcripti deferant eorum fundamenta Scholarum & Congregationum, ut poſſimus cognoſcere, quid confirmandum tollendumque ſit; alioquin omnia abrogabuntur.

„ Scituri, quòd nos & auctoritate ordinaria, & ex mandatis Apoſtolicis deſcenſuri ſumus ad videndum & rimandum, quid & quantum ad nos ſpectet circa præmiſſa, ne negligentiæ aut deſidiæ arguamur, & ſanguis pauperum a Nobis & manibus noſtris exquiratur.

„ Sciant etiam omnes Religioſi cujuſcumque ſexus, & Scholæ, & Pia Loca, & alia Nobis ſuppoſita mediatè vel immediatè, vel aliquo quocumque jure devolutivo aut ſuppletivo, quòd Nos pro munere noſtro & officio Nobis incumbenti veniemus, quando nobis viſum fuerit, ad viſitandum omnia Monaſteria, Scholas, & Loca cujuſcumque ſexus & conditionis exiſtant, & quod viſum fuerit ſecundùm Deum & Sacros Canones expedire, faciemus & proficiemus. Quòd ſi quis interim prætendat, hæc per Nos fieri non poſſe, adducat jura ſua in manibus Cancellarii noſtri; & eis cognitis, nemini ùt præfertur faciemus injuriam; verùm omnibus præſto erimus & favebimus pro juſtitia, æquitate, & honeſtate, omnia ſecundùm Deum & caritatem proximi ex corde diſpenſantes.

„ Et ſuper hæc omnia ſciant cuncti, Nos non pro Nobis, ſed pro Deo, & benè beatèque vivendi neceſſitate, pro omnibus Nobis & vobis hanc Dignitatem & opus aſſumpſiſſe, & ad id feſtinare, quod Deo Optimo & Ma-

„ ximo,

Digitized by Google

„ ximo, & populo noſtro in viſceribus caritatis Nobis di-
„ lecto, gratum & utile eſſe poſſit & habeatur.

„ In quorum teſtimonium præſentes fieri juſſimus, & ſi-
„ gilli noſtri impreſſione communiri. Et ut hæ noſtræ ad
„ omnium notitiam veriſimiliter pervenire habeant, valvis Ec-
„ cleſiæ Majoris noſtræ Mediolanenſis, & in aliis Locis pu-
„ blicis & conſuetis apponi juſſimus per quemlibet Servito-
„ rem Curiæ Archiepiſcopalis noſtræ Mediolani, vel alium
„ Nuncium noſtrum cum juramento, cui plenam dabimus
„ fidem. Dat. Mediolani, in Palatio Archiepiſcopatus noſtri,
„ die Jovis tertia Julii, milleſimo quingenteſimo quinquage-
„ ſimo, octava Indictione, Pontificatus Sanctiſſimi in Chri-
„ ſto Patris, & Domini Noſtri, Domini Julii Papæ Ter-
„ tii, anno primo.

Nondum tamen ſatis ſe peregiſſe arbitratus Præſul Arcimboldus, ut traditam curæ ſuæ hanc myſticam Vineam, evulſis ſentibus, vitiis nempe quæ altas radices jam egerant, florentem redderet, ſacros alios Cultores vocare in partem laboris ſtuduit, ut eam Concionibus & piis exemplis expurgarent, ac bonorum operum fœcunditate donarent. Hi fuere Sancti Franciſci Aſſiſiatis ſtrictioris Obſervantiæ Fratres, quos, cùm incenſo extra Urbem ampliſſimo eorumdem Cœnobio, ob vitæ ſanctimoniam ibidem ab iiſdem ductam celeberrimo, vagi diſperſique aberrarent hoſpitia quæſituri, in novum Ædificium intra mœnia colligere curavit, opem ferentibus Ferdinando Gonzaga Inſubrum Moderatore, ejuſque Uxore, primariiſque Civibus, piâ eleemoſynarum largitione: primum lapidem Archipræſule Arcimboldo deponente die XXI. Februa-

bruarii, Anni MDLII. ad extruenda fundamenta Templi *Sancto Angelo* dicati, quod in hunc uſque diem, Altarium frequentiâ & ornamentorum ſplendore, non tam honeſtam oculis voluptatem exhibet, verùm etiam commodum Civibus præſtat ad pietatis opera exercenda, gratiiſque cœleſtibus animas locupletandas.

Sequenti Anno MDLIII. pium opus aggreſſus eſt Archiepiſcopus Arcimboldus, nempe translationem Sodalitatis, quæ inſtituta fuerat in Templo Æſtivo Metropolitano Sanctæ Theclæ, ſub patrocinio Sanctæ Catharinæ Senenſis; cùm enim antiqua hæc Eccleſia jam ſenio fatiſcens, ad ampliorem reddendam aream, quæ jacet e regione Metropolitanæ auguſtæ Baſilicæ, ſolo æquata fuiſſet, ac proinde ſexaginta illi Viri ex mage religioſis, honeſtique patrimonii Civibus qui eam Sodalitatem implebant, Sacra Æde in qua reciperentur carerent, Archiepiſcopus iiſdem locum in Templo Maximo aſſignavit, expedito Diplomate die XX. Junii, ejuſdem Anni; translato etiam Altari, memoratæ Sanctæ Virgini dicato, quod nunc quoque viſitur. Aggregata poſtmodum fuit a Sancto Carolo Borromeo hæc Sodalitas alteri ab ipſo inſtitutæ Sanctiſſimi Corporis Chriſti.

Novis hiſce Cultoribus auctâ Metropolitanâ Baſilicâ, progreſſus eſt Joannes Angelus Arcimboldus ad reliqua omnia Templi Maximi, juxta veterem diſciplinam componenda, Paſtoralem Viſitationem ſuſcipiens; cùmque Statuta illius Collegii perlegi juſſiſſet, inutilia quædam, alia obſoleta, confuſa, aut obſcura in meliorem methodum redegit, conſentientibus ipſis Canonicis Ordinariis, ſuâque auctoritate approbavit

Digitized by Google

bavit menſe Julio Anni memorati MDLIII., quemadmodum ex Tabulis publicis, eomet tempore confectis conſtat, earumque Exemplar adhuc apud ipſos ſervatur in hæc verba:

Reverendiſſimus Joannes Angelus Arcimboldus Dei & Apoſtolicæ Sedis gratia Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus &c. *ſedens pro Tribunali in Sacriſtia Meridionali Eccleſiæ Metropolitanæ, clara voce Capitulo ejuſdem Eccleſiæ expoſuit, quòd nihil umquam magis cordi habuit, quàm Eccleſias ſuas viſitare, Prælatoſque ac alias Eccleſiaſticas perſonas ad bonos mores reducere, diruta ob longam Archiepiſcoporum abſentiam reficere & inſtaurare, aliaque facere, ad quæ tenetur bonus Paſtor* &c. Cetera quæ ibidem longo ordine deſcripta leguntur, cùm ad peculiare Venerandi illius Collegii regimen, cultumque Baſilicæ pertineant, minimè congruum Inſtituto noſtro cenſuimus, hoc loco referre; ſatis namque habuimus, ex Proœmio hujuſmodi Tabularum palam facere paternum amorem, quo Eccleſiam ſibi commiſſam proſequebatur, ſolicitamque diligentiam, qua priſtinum decorem ſplendoremque antiquæ diſciplinæ eidem reſtituere contendebat.

Citò nobis eripuit hunc dignum longiore vitâ Præſulem Deus; paulò poſt daturus Sanctum Carolum, qui inceptum ab ipſo Opus redintegrandæ Eccleſiæ Mediolanenſis conſummaret. Deceſſit Archiepiſcopus Arcimboldus VIII. Idus Aprilis, Anni MDLV., ætatis ſuæ LXX., poſt annos quinque, & menſes duos regiminis; conditus in Urna Sepulcrali Avi ſui, & Magni Patrui, quæ extat in Templo Maximo, cum Inſcriptione ſuperiùs relata.

PHI-

Digitized by Google

PHILIPPUS II. ARCHINTUS.

ALterum nobis Archiepiſcopum indulſerat Paulus IV. Pontifex Maximus, delectum ex tribus, quos Philippus II. Rex Hiſpaniarum propoſuerat Summo Hierarchæ ad vacuam Mediolanenſem Sedem implendam, nempe Philippum Archintum, nemini ſapientia, probitate, rerumque agendarum experientiâ ſecundum. Verùm, Deo reſervante gloriam omnem Sancto Carolo Borromeo, ùt proximè innuimus, nequiſſima unius Viri vafrities id effecit; ut numquam, conſentiente licèt, imo jubente Hiſpaniarum Monarcha, Civibuſque Mediolanenſibus anxiè illum opperientibus, Mediolanenſis Eccleſiæ poſſeſſionem iniret, quemadmodum infra dicemus.

Præſtat nihilominùs referre, qualem bono ſuo omine hæc Metropolis ſortita fuiſſet Paſtorem & Patrem, ut ejuſdem ſaltem meritorum recordatio in ævum omne perennet. Præter indolem ad virtutum omnium rudimenta facilè percipienda aptiſſimam, addiſcendæ etiam Oratoriæ arti ac reliquis nobilioribus Scientiis juveniles annos Philippus impenderat; quamobrem in ipſo limine florentis ætatis principem inter æquales ſuos locum obtinuit; idque teſtimonio ſuo comprobavit Civitas ipſa Mediolanenſis. Siquidem Philippum delegit, vix annum vigeſimumſeptimum agentem, ut ad Carolum V. Cæſarem & Regem Legatus publico nomine mitteretur Anno MDXXVII.; tantumque valuit apud Auguſtum

Digitized by Google

Principem Philippi prudentia dexteritas & eloquium, ut, cùm aliàs Mediolanenſes Oratores inauditos dimiſiſſet, Philippi Archinti petitionibus omnibus indulgenter Cæſar annuerit. Imo cùm iterum poſt biennium Barcinonem, ubi Imperator degebat, ob gravia hujus Metropolis expedienda negotia Orator profectus eſſet, adeò in ejuſdem gratiam intimè penetravit, ut eum in Aula ſecum a Conſiliis voluerit; cùmque deficientibus Liberis Marchionum Montisferrati, graviſſima inter Principes contentio agitaretur, jamque armis Cauſa hæc abſolvenda eſſet, eumdem Cæſar delegit in Judicem ad eam definiendam. Profectus illuc Archintus, in re tanti momenti tantæque arduitatis, ſuavitate eloquii, & præſtantiâ judicii quo eximiè pollebat, ita ſe proſperè geſſit, ut tumultus omnes ſedaverit, & bellici ignis jam in flammas erumpentis incendium prorſus extinxerit, pacatamque omnem Provinciam ſumma cum laude reliquerit.

Decedente e vivis Franciſco II. Mediolani Duce Anno MDXXXV. Stirps Sfortiadum omnino exaruerat; proinde a Mediolanenſium Metropoli nova mitti debuit Legatio ad Carolum V. jam Germaniæ reſtitutum; eaque demandata eſt Philippo Archinto, qui pro voto Civium noſtrorum illam feliciſſimè implevit. Imo ab Imperatore ipſo, ex omnibus Aulæ ſuæ Proceribus delectus eſt Archintus ad obeundam Legationem Cæſareo nomine ad Paulum III. Pontificem Maximum Neapoli commorantem, reque de qua agebatur expeditâ, cùm plurimùm placuiſſent Summo Hierarchæ ingenium animuſque Philippi, Paulus III. a Cæſare petiit, ut benignâ ipſius veniâ in alma Urbe tantæ præſtantiæ Vir conſidêre

ſidêre valeret, quemadmodum etiam obtinuit. Itaque nihil moratus eſt, ad Philippum Eccleſiaſticis honoribus cumulandum, Protonotariis Apoſtolicis illum adſcribens, ac ſubinde Romanæ Urbis Moderatorem inſtituens. In Romana ea mora, atque obeundis ſibi injunctis muneribus, quod Philippo Archinto immortale nomen peperit, fuit patrocinium conſtans, quo Sanctum Ignatium Loyolam adjuvit ad extricandas difficultates, quæ objiciebantur, & perducendum ad felicem exitum præclariſſimum illud Opus inſtitutionis Societatis Jeſu, quod poſtmodum tantâ Catholicæ Fidei propagatione, tantoque animarum proventu per univerſum terrarum Orbem diffuſum eſt, quodque ipſa Metropolis noſtra experta eſt beneficentiſſimum magiſterio doctrinæ, Concionibus & Catechiſmis, Societatis Patribus a Sancto Carolo Borromeo in eamdem inductis.

Ut verò ad receptas a Philippo Archinto Dignitates redeamus, Paulus III. illum ad Infulam Epiſcopalem Burgi Sancti Sepulcri promovit, atque in Vicarium Generalem Apoſtolici ſui muneris in Urbe creavit; necnon ſecum comitem duxit ad Niceam Provinciæ, ut intereſſet Conventui ibidem agendo cum Carolo Imperatore, & Franciſco Rege Galliarum.

Cùm Romam reverſus Pontifex Maximus Concilium Tridentinum Bononiam tranſtuliſſet, ob luem quæ Tridenti regionem invaſerat, Philippum Archintum ad Bononienſe Concilium inter ceteros præſtantiſſimos Præſules miſit, eumque nobiliori Epiſcopatu donavit, nempe Salutienſi. Mortuo Paulo III. Anno MDXLIX. menſe Novembri, Succeſſor ejuſ-

Digitized by Google

dem Julius III. ſequenti anno, die VII. Februarii electus, Philippo Archinto Romæ degenti Dignitates omnes ac munera, quibus Deceſſor ſuus illum ornaverat, confirmavit, atque inſuper Legatum a Latere ad Venetam Rempublicam eumdem expedivit Anno MDLIV., ibique gratiſſimus omnibus, munus ſuum geſſit Philippus, donec a Paulo IV. Summo Pontifice renunciatus eſt Archiepiſcopus Mediolanenſis, loco Joannis Angeli Arcimboldi Anno MDLVI.

Acceptum fuit hoc nuncium Mediolani peculiari Magiſtratuum omnium ac Civium plauſu, cùm fama egregiarum virtutum rerumque ab Archinto geſtarum Urbem totam jamdiu pervaſiſſet. In irritum tamen cecidit hæc communis lætitia; unius enim hominis vaferrimum ingenium tanta effingere valuit, ut anxia univerſæ hujus Metropolis expectatio caſſa evanuerit. Erat iſte natione Calaber, ad Œconomi Regii provinciam adminiſtrandam promotus. Cùm igitur quæſitum ab Urbis Decurionibus Regium (quod vocant) Placitum foret; religioſiſſimus autem Hiſpaniarum Monarcha Philippus II., expeditis ad Inſubrum Moderatorem Regiis Literis, non ſolùm ſe benignè annuiſſe declararet, ſed etiam juberet, ut in poſſeſſionem Archiepiſcopalis Dignitatis Archintus immitteretur, Calaber ille verſutiſſimus, ut alieno damno accurati Miniſtri laudem ſibi vindicaret, junctis conſiliis cum Vicario Generali, ab Hyppolito II Eſtenſi, vice ſuî abſentis, Mediolani inſtituto, cui plurimùm diſplicebat, ab hoc auctoritatis & lucri gradu decidere, tot calumnias in Archintum contexuit, coram Senatu & Inſubrum Moderatore, videlicet illum eſſe pervicacis ingenii, facilè violaturum Re-

Regiam Juriſdictionem &c, ut executionis ſententiam in ſuſpenſo detineri obtinuerit, donec iterum ſcriberetur ad Regem, ejuſque voluntas in comperto foret. Supremus autem Inſubrum Moderator, metuens, ne occaſione hujus controverſiæ, quæ ſine ſtrepitu agi non poterat, tumultus aliquis excitaretur, per Magiſtratûs Præſidem Archinto indixit, ut ab hac Urbe recederet, quouſque Regis Hiſpaniarum mandata Mediolanum deferrentur. Excepit Archiepiſcopus Philippus hilari fronte ac manſuetiſſimis verbis hanc exilii denunciationem, ſeque ad Bergomenſem Urbem recepit, ubi, cùm Eccleſia illa Epiſcopo ſuo careret, Paſtoralia munera ipſe peregit tamquam Metropolita. Trimeſtre effluxerat, ex quo miſſæ in Hiſpanias fuerant Literæ ab Urbe Mediolanenſi; cùm ecce laureata Epiſtola Catholici Regis huc affertur, qua, ut ab exilio revocaretur Philippus Archintus, atque in Archiepiſcopali Sede collocaretur, expreſſo mandato Gubernatori injungebatur. Verùm ſerò nimis Mediolanum pervênit dignum hoc piiſſimo Rege Decretum. Siquidem paulò poſt exactum proximè memoratum trimeſtre, ad æternam requiem in eâdem Bergomi Urbe migravit Archintus Anno MDLVIII, die XXI. Junii, poſt biennium ſui Præſulatus.

Ejuſdem Corpus Pontificia auctoritate Mediolanum tranſlatum ad Alexandri Fratris preces, Sepulcro datum eſt in Sacello Sanctæ Catharinæ Senenſis Metropolitanæ Baſilicæ, quod poſtea Archintea Familia gentilitium fecit. Supra Tumulum Philippi Archinti aſſurgit effictum in marmore ejuſdem Buſtum, inſculpta ſubtus Inſcriptione, ab ipſo dum viveret ſibi paratâ his verbis:

HIC

HIC EST TITULUS MONUMENTI
PHILIPPI ARCHINTI ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI.

Additus eſt annus & dies mortis:

VIXIT ANNOS LXII. MENSES XI. DIES XII.
OBIIT XI. CALEND. JULII MDLVIII.

Alexander Archintus Frater hæc carmina ſubdidit:

ORE GRAVIS LINGUAQ; POTENS JURISQUE PERITUS
TRAXIT AB ANTIQUA NOBILITATE GENUS;
PONTIFICISQUE VICES ROMANA GESSIT IN AULA
LEGATI HINC VENETA MUNUS IN URBE OBIIT.
ALEXANDER ARCHINTUS J. C. C.
FRATRI B. M. P.

Liceat nobis Appendicis loco hic referre duo a Philippo Archinto Romæ acta, cùm Juſtitiæ adminiſtrandæ Civibus in ea Urbe præeſſet, quæ capacem illius mentem, promptamque in rebus arduis judicii ſagacitatem non ſine admiratione omnibus compertam tunc fecere, dignaque ſunt quæ ad poſterorum memoriam tranſmittantur. Narrat ea Ripamontius *Hiſtor. Eccleſ. Mediol.* Libr. XVII his verbis: „ Peregrini duo homines in Urbe, Hiſpanus quidem alter, „ alter verò Germanus, cùm eidem Mulieri aſſueviſſent, ea- „ que neutrius fortaſſe ſatu pepeiiſſet, quod natum erat am-

bo

„ bo vindicabant ſibi, & ejus incertæ prolis uterque dici
„ ſeſe parentem volebat. Cùm cedere invicem nollent, ad
„ Præfectum Urbis in jus iêre, ut alterutri partum ille
„ adjudicaret. Archintus, Scorto interrogato, menſibuſque
„ computatis, nihil tamen ad ejus judicii veritatem aliquam-
„ diu extricabat. Demum circa Patriam eorum qui prolem
„ ſibi eam aſſerere vellent, callidè philoſophatus, rationem
„ iniit, qua naturam quodammodo ipſam interrogaret. Re-
„ lictus ob eam litem in materno tecto Infans jam pede
„ certo ſignabat humum, poteratque voces & nutus intelli-
„ gere quoſdam, elementa quotidiani ſermonis. Ubi adfuit,
„ mandat dari ſalſamenta nonnulla puerulo, atque ſic irri-
„ tatâ ſiti, pocula duo admoventur, ut tam ex vini quàm
„ ex aquæ capedine bibere poſſet. Ille contracto ad Bacchi
„ liquorem vultu, vinumque adſpernatus, avidè lambebat
„ aquam. Tunc verò Germanus (aderat enim uterque liti-
„ gator) ſublato incondito clamore, negat ultro ſuam eſſe
„ prolem, atque is controverſiæ exitus fuit. Severiore mox
„ alia ſubtilitate nobilitata eſt Præfectura Archinti - - - - -
„ Vir princeps Romæ teſtamentum in hæc verba fecerat:
„ *Ex duobus Gentilibus meis Lucio & Cajo, uter eorum ma-*
„ *jor natu erit, mihi ex aſſe hæres eſto*. Cùm autem eſſent
„ iſti Lucius & Cajus eodem die nati, alter quidem Vien-
„ næ in Germania, alter verò Cordubæ in Hiſpania, inde
„ lites, &, ùt in magna hæreditate, tota Cauſidicorum ra-
„ bularumque turba occupata concurſationibus & jurgiis &
„ quæſtu; principeſque ipſi Urbis ſtudio & favore in hunc
„ aut illum rabulis & Cauſidicis tumultuoſi immiſcebantur;
neque

„ neque contentioni finis erat. Archintus, uti totam Mathe-
„ maticorum artem jam inde ab adoleſcentia egregiè percal-
„ luerat, ab Scientiæ ſtudioque illo petiit, argumenta diju-
„ dicandæ liti, quam nulla Juriſperitorum reſponſa dijudica-
„ re potuiſſent. Inſpectâ namque poſitione Cœli plagarum,
„ exortivoque puncto, qua in parte Sol priùs oriretur, in
„ ea natum hominem, majorem eſſe natu demonſtravit, quàm
„ qui eodem die in parte altera natus, diei lumen poſte-
„ rior occupaſſet. Subtilis & vera ratio viſa Judicibus eſt;
„ atque Teſtatoris voluntati ita ſatisfactum.

SAN-

Digitized by Google

SANCTUS CAROLUS BORROMEUS.

ILluxit tamdem Inſubrico Cœlo fauſtiſſimum Sidus, quod anteactam omnem ignorantiæ ac vitiorum caliginem diſpulit, errantibus inter ſyrtes & procellas hujus pelagi navibus viam ad ſalutis portum ſignavit, virtuteſque omnes longo veluti poſtliminio abhinc remotas, pacatâ redditâ hiſce plagis ſerenitate, in priſtinam ſedem ſuam revocavit, Sanctus Carolus Borromeus. Fuit ille a nobiliſſima Stirpe progenitus, ſed nobilior factus eſt vitæ integerrimæ innocentiâ, cum aſperrima corporis caſtigatione ad rigidiorum Pœnitentium invidiam conjunctâ; incredibili laborum patientiâ in procuranda animarum ſalute uſque ad obitum conſervatâ; demiſſione animi demum inter Dignitatum ſplendorem, paupertatis amore inter opum affluentiam, conſtantiſſimâ in perſecutionibus arduiſque rebus Paſtoralis ſui muneris vigilantiâ, & firmitate planè admirabili. Romam a Pio IV. Avunculo ſuo obedientiæ vinculo potiùs tractus, quàm vocatus, nihil magis cordi habuit, quàm ut amplitudinem honorum quibus cumulatus fuit, creatus etiam Archiepiſcopus Mediolani Anno MDLX. (juri ſuo de more ad tempus, poſtmodum autem omnino cedente Hyppolito II. Eſtenſe) in Eccleſiæ univerſæ beneficium impenderet. Quamobrem de Tridentino Concilio, quod plurium Summorum Pontificum accuratiſſimam diligentiam eluſerat, abſolvendo feriò cogitavit; tantâque prudentiâ, dexte-

Digitized by Google

ritate, ac curâ indefeſsâ magnum hoc Opus pertractavit, ut demum ad feliciſſimum exitum fuerit perductum. Ex hoc autem id emolumenti manavit, quòd dirutis omnibus Hæreſum fulcimentis, inconcuſſus Catholicæ Fidei thronus ſit ſolidatus, ablegatiſque corruptelis quæ irrepſerant pudendâ laxioris vitæ licentiâ, in univerſa Chriſtiana Republica morum ſanctimonia effloruerit Anno MDLXIV.

Acceptâ poſtmodum facultate ab Avunculo Pontifice Maximo, licèt ægrè ferente, advolandi in amplexus Sponſæ ſuæ Mediolanenſis, ingreſſus eſt Mediolanum die XXIII. Septembris Anni MDLXV., fremente in obſeſſis corporibus Dæmone, veluti præſcio extremæ ruinæ, quam everſo in hiſce oris principatu ſuo pati debebat. Et ſanè, cùm primùm regiminis ſui habenas Carolus ſuſcepit, quid non egit, quid non molitus eſt, quid precibus vigiliis jejuniis a Deo deprecatus non eſt, ut abſterſis veteribus maculis, depulsâque macie, quæ Sponſæ ſuæ Eccleſiæ vultum deturpaverat, cultam eamdem ornatamque, antiquæ diſciplinæ decori reſtitueret, ac dignam efficeret, cujus ſpeciem Cœleſtis Rex concupiſceret? Id unum aſſerere ſat eſt, continuâ ſudorum effuſione, Viſitationum frequentiâ, Concionum aſſiduitate obtinuiſſe Carolum quod optabat, ut Metropolis Mediolanenſis ceteris Eccleſiis, doctrinæ, moderationis, Divinique cultûs exemplar & ſpeculum fieret.

Nihil tamen a ſe actum arbitrabatur Archiepiſcopus Borromeus, inductâ in hanc Eccleſiam tam eximia pulchritudine ac nitore, niſi etiam firma adjumenta pararet, quibus perpetuò conſervaretur. Itaque celebrandis Diœceſanis Synodis

dis animum adjecit, eaſque ferme quotannis uſque ad XI. perduxit; opportuniſque Decretis cavit, ne impoſterum Clerus ab Eccleſiaſtica diſciplina quidquam deficeret, imo exemplum fieret aberranti populo ad virtutum tramitem capeſſendum. Leges inſuper ſtatuit ſalutares, quibus reverentia Sacris Aris, Feſtis diebus cultus, mandatorum denique Supremi Numinis obſervantia ſemper incolumis inviolataque ſervaretur.

Hiſce in univerſum compoſitis, ad peculiares Gregis ſui claſſes deſcendit, ſubſidia ac munimenta præſtiturus, ut perpetuò ſarta tecta vigerent, quæ ipſe cœleſti lumine afflatus ſtatuerat ad augmentum Religionis, & Chriſtianæ pietatis, in Mediolanenſis populi ad meliorem ſanctamque frugem traducti jugem proventum. Patribusfamilias peculiari Libello normam præſcripſit, qua educare filios, & inſerere teneris eorumdem cordibus ſemina virtutum, obedientiæ præſertim Divinis mandatis, valerent; imo ut faciliùs per incœptam ſemitam progrederentur, meditationem rerum æternarum, ſaltem per modicum tempus habendam a Domeſticis in unum collectis, in ſingulis privatis Familiis, ad ſonitum æris Campani, edendum cùm Sacri Miniſtri perſoluturi Matutinas Horas ad Chorum accedunt, indixit. Hoc autem Signum Orationis publicæ nunc quoque datur e Turre Templi Maximi aliarumque Eccleſiarum hujus Metropolis, pariterque renovatur ſub finem diei. Sodalitatem Nobilium Matronarum ſub patrocinio Sanctæ Mariæ Magdalenæ, alteram Viduarum ſub titulo Sanctæ Annæ, ac tertiam Virginum Sanctæ Urſulæ ſeorſim inſtituit; eaſque omnes Regulis munivit; aſſignatis

Bb 2 etiam

Digitized by Google

etiam Sacris Miniſtris, qui earumdem regimini præeſſent, atque in Oratoriis, aut Eccleſiis præſcriptis in unum collectas inſtruerent, incitarentque ad vividiùs ſemper in viis Domini procedendum. Aliis verò Virginibus, quæ ferventiori ſpiritu ductæ Regulam Seraphici Sancti Franciſci amplecti cupiebant, locum conſtituit, exſtructâ Eccleſiâ ac Cœnobio, cui titulum dedit *Sanctæ Praxedis*. Demum quas collocare ibidem nequivit, in Monaſterium dictum olim *Oronæ* induxit, mutato antiquo nomine, in illud *Sanctæ Barbaræ Cappuccinarum*. Nec defuit etiam Fœminis jam lapſis, vel publicè expoſitis, pias Domos aut de novo erigens, aut jam paratas novis Conſtitutionibus dirigens, ut & pudicitiam impoſterum tutari, & pœnitentiam admiſſorum criminum agere commodiùs poſſent; eæque in hunc diem patent, non ſine peculiaris ſanctimoniæ ſuaviſſimo odore. Ut autem reliquorum Civium firmitati in æternæ ſalutis negotio conſuleret, Equitum Nobiliumque Societatem in Eccleſia Sancto Joanni Baptiſtæ Decollato dicata, *ad Domos ruptas* appellata, auxit privilegiis, eoſque unicè deſignavit, ut Reis ad ſupplicium ducendis comites fierent, ac piis exhortationibus illos ad Cæleſtem gloriam conſequendam diſponerent. Quin etiam quamplures ex clarioris ſanguinis Proceribus adſcribendos eidem curavit, tam felici exitu, ut nunc eorum frequentia in publicis Supplicationibus, incitamentum populo fiat exemplo ſuo, religioſi cultûs rerum Sacrarum; & ipſi Urbis Moderatores Regiique Miniſtri ambiant in eorum numerum cooptari. Confratrum quoque antiquorum Societates, in quas abuſus irrepſerant, novis ſtatutis Legibus ad verum tra-

Digitized by Google

tramitem reduxit, pias exercitationes iiſdem indicens, quibus horas omnes diei Feſti cum animæ proventu tranſigerent. Imo plures alias adjunxit diverſo habitu indutas, ut ſeſe invicem ad pietatem accenderent. Ad venerationem pariter ac cultum Sacroſancto Chriſti Corpori conſervandum promovendumque Sodalitates in ſingulis Parœciis fundavit, injuncto iiſdem onere accurrendi, cùm ad Infirmos Sacrum defertur Viaticum, præſtandique ea omnia, quæ tum in die ſolemnis ejus Feſtivitatis, tum in ſingulis menſibus cùm in Eccleſiis exponitur, reverentiam ſplendoremque valeant amplificare. Demum nihil prorſus omiſit, quod ad perpetuum animarum hujus Metropolis profectum firmis radicibus ſanciendum capaci mente excogitare potuiſſet, adeò ut tam ſolicito Archiepiſcopo tribui meritò illud encomium debeat Eccleſiaſtici Cap. XXXIII. *Non mihi ſoli laboravi, ſed omnibus exquirentibus diſciplinam*.

Deeſſe videbantur proxima ſubſidia iis, qui aut caſu aut inveterati habitûs malignitate, ob lethalem culpam a Dei gratia excidiſſent. Verùm huic etiam extremi luctuoſiſſimi lapsûs calamitati providit vigilantiſſimus Paſtor, augens in Baſilicæ Metropolitanæ Collegio Ordinariorum numerum, novo inſtituto Canonicatu, ſub titulo *Pœnitentiarii Majoris*, qui unà cum aliis quatuor Minoribus, dum Divina Officia a reliquis Canonicis celebrantur manè & veſpere, præſto ſemper eſſet excipiendis Confeſſionibus reorum, cum facultateque abſolvendi a reſervatis criminibus, ut commodum lapſis ſemper foret, ad adoptionem filiorum Dei iterum recipiendam. Ubique etiam per Urbis regiones frequenter aperiri

riri Tribunalia Pœnitentiæ, in Eccleſiis præſertim Regularium curavit: Copiam quoque Evangelicorum Præconum in hanc Metropolim advocavit, præcipuè ſtatuens, ut in Templo Maximo Sacri Oratores ſuggeſtum conſcenderent per ſingulos anni totius Feſtos dies, contra vitia declamaturi; a prandio verò Divina Scripturarum eloquia populo explanaturi; eo prorſus fine, ut a lubricis ac fallacibus Mundi ſemitis illum avertentes, ad vera Chriſtianarum virtutum paſcua capienda reducerent, viaſque mandatorum Domini impigrè arripiendas: Quamvis in hoc munere exercendo uſque ad extremum vitæ Carolus ipſe conſtantiſſimo labore perſtiterit, diuturnis ferme Concionibus verbum Dei Gregi ſuo porrigens in Eccleſiis, in privatis Conventibus Magiſtratuum, Artificum, Sodalitatum, uno verbo, ubicumque ſeſe illi offerebat occaſio Sacramenta miniſtrandi, aut peragendi Paſtoralis ſui officii Functiones. Longum eſſet, ſingillatim recenſere indefeſſam Caroli curam, quam habuit in paſcendis ore proprio Ovibus ſuis ſalutari hoc pabulo. Id unum aſſerere ſat eſt, ſingulari ipſius gloriæ tributum eſſe, teſtimonio plurium illius ævi Scriptorum, nempe primum eum fuiſſe inter Italiæ Epiſcopos, qui in morem revocaverit ſanctam veterum Patrum conſuetudinem concionandi populo; quam poſtea imitati ſunt recentinm temporum Antiſtites, tamquam præſentiſſimum remedium ſanctificandi populos ſuos. Plura de hac re diſſeruimus in Præfatione *ad Homilias Sancti Caroli Borromei*, typis in noſtra Metropoli nuper commiſſas; quamobrem hìc non vacat huic prærogativæ, quæ propria & admiranda in Carolo tot negotiis ac curis implicito

cito

cito fuit, diutiùs enucleandæ immorari.

Refectis ornatiſque myſticis Dei Templis, animabus nempe Gregis ſui, mentem convertit ad externas Divino Regi ſacras Ædes, quæ præteriti temporis negligentiâ ſquallentes jacebant, eas aut expoliens, aut etiam de novo condens, ut illarum ſplendore ac majeſtate populum alliceret ad eaſdem frequentandas. Imo, ut validius incitamentum fieret Civibus propoſitum præmium, ab Apoſtolica Sede quamplures impetravit Indulgentiarum theſauros; præſertim verò ſingulare illud privilegium Septem Stationalium Eccleſiarum, cum iiſdem gratiis, quibus in Romana principe Urbe fruuntur Chriſtifideles; idque tanto fructu Mediolanenſis populi ad illas concurrentis excogitatum eſt a Sancto Carolo, ut quamplures quotidianâ acceſſione, alii verò ſacratioribus quibuſdam per annum diebus, turmatim, veluti indictâ Supplicatione, haſce Eccleſias adire etiamnum conſpiciantur, ibique religioſas preces ad Deum effundere, ſummo pietatis exemplo, ac penè invidiâ Exterorum, qui in Metropolim noſtram ſæpiùs ſe conferunt.

Quandoquidem autem detersâ ſterilitate ab hoc Divini Patrisfamilias Campo, jactiſque ſeminibus omnium Chriſtianarum virtutum, florentem ac fœcundam plurimâ meſſe illum reddiderat Sanctus Carolus; nec ſatis erant in hac Metropoli Sacri Miniſtri, quos ipſe ad tantum Opus perficiendum inſtruxerat, plures alios Regularium Ordinum Operarios ad ejuſdem culturam perpetuò exercendam advocavit. Primò enim Patribus Societatis Jeſu domicilium Mediolani ſtatuit, atque extructâ ſubinde Domo, Temploque capaci for-

formæque elegantiſſimæ, ſub Titulo *Sancti Fidelis*, a celebri Peregrino Peregrinio ad omnia Architectonicæ artis, qua ille ſupra alios eximiè pollebat, delineamenta diſpoſito, tamquam in propria Sede illos fixit, ut augendis bonis frugibus in hoc campo adlaborarent ac continuò inſudarent; quemadmodum etiam maximo cum animarum fructu uſque in hunc diem iidem peregêre. Induxit quoque in hanc arenam egregios pugiles, Sancti Cajetani Filios, Clericos Regulares *Theatinos* vulgò appellatos, inter quos Andream Avellinum, ſanctimoniæ peculiaris famâ percelebrem, quem Pontificia auctoritas Sacris poſtmodum Aris donavit, albo Sanctorum adſcriptum; novaque hæc illuſtris Colonia, ad Ædes Abbatiales *Sancti Antonii* locata, quantum profecerit, artuleritque, animabus in viam ſalutis dirigendis, adjumentum experientia Civium ad eos confluentium, quos allicit odor ſuaviſſimus eorumdem vitæ caſtigatiſſimæ & indefeſſa animarum cultura, ſatìs ſuperque teſtatur.

Removere hinc calamum minimè congruum ducimus, quin aliquid proferamus *de Fratribus Antonianis*, qui diu in hac Metropoli, atque in memoratis Ædibus Sancti Antonii moram traxêre. Teſtimonium patens oculis adhuc conſpicitur in Turri Campani æris ejuſdem Eccleſiæ, in cujus apice erectum viſitur Antoniani Ordinis ſignum, nempe T magnæ molis, ex ferro auro illito. Originem habuit hic Ordo ſub exitum Seculi XI., ideſt Anno MXCIII ſub Pontificatu Urbani II., ut ægris *igne* quem vocant *Sancti Antonii* curandis operam darent illius Alumni. Bonifacius VIII. Anno MCCXCVII. iiſdem aſſignavit decretoriâ ſententiâ Eccleſiam Sancti Antonii

nii Viennæ in Gallia, quò e Conſtantinopolis Urbe translatum fuerat ejuſdem Corpus, cùm illa olim juris eſſet Monachorum Sancti Benedicti; novos autem hoſce hoſpites Canonicis Regularibus Sancti Auguſtini adſcripſit. Reliqua ad hunc Ordinem ſpectantia accuratè recenſuit ſæpiùs laudatus Auctor Gallicus *in Hiſtoria Ordinum Regularium* &c. Tom. II. Cap. XVI. Poſtquam propagata fuiſſet per Gallias hæc ſacra Soboles Regularium Miniſtrorum, etiam in Italiam & Mediolanum uſque penetravit: Verùm ſub quo Archiepiſcopo noſtro in hac Metropoli fundamenta incolatûs ſui jecerint, in obſcuro latet. Si conjecturæ locum dare liceat, Antonio de Salutio Mediolani Archipræſuli laudem hanc eſſe tribuendam, veroſimiliùs exiſtimamus. Siquidem Aymarius Falco *in Hiſtoria Antoniana*, relatâ a Bollando ad diem XVII. Januarii, pag. CLVI., afferit Mediolani Dominos ac Duces addictiſſimos fuiſſe obſequiis Sancti Antonii, qui Viennæ colitur; inquit enim, cùm extractum fuiſſet ex Arca, ubi jacebant pretioſa hujus Sancti Lypſana, brachium, ut faciliùs peregrinorum cultui exponeretur: *Hoc brachium ſanctum, poſtea Illuſtriſſimorum Mediolanenſium Ducum liberalitate atque devotione, auro gemmiſque incluſum, magnificoque & ſumptuoſo opere exornatum eſt.* Narrat etiam Capite ſequenti, in Solemni Supplicatione, die Aſcenſionis Domini quotannis inſtituta, ad circumferenda per eam Urbem Sancti Antonii Oſſa, *annis propemodum ducentis, Mediolani Duces id ſibi juris vendicaſſe, ut humiliter & devotè hujus ſubeundi muneris locum* (deferendi nempe Sacram Arcam) *per ſe, vel Deputatos exequantur, exoptatiſſimâque hujuſce muneris functione perfruantur.*

tur. Prætereà Joannes Galeatius Vicecomes, ut religionem ſuam erga Sanctum Antonium palam faceret (quemadmodum Corius tradit ad Annum MCCCCII.) poſtremis Tabulis juſſit, ut poſt ejus obitum, ad Viennenſem illius Eccleſiam delata viſcera ſepulcro inferrentur, cui inſculpta eſſent ejuſdem Inſignia, & Imago Antoniani Ordinis habitu induta. De his fusè egimus *in Hiſtoria Literario-Typographica Mediolanenſ.* ad Annum MCDXCIII. Itaque ut Hiſtoriæ ſeriem retexamus, ſatis dilucidè hinc colligi poſſe arbitramur, adminiſtrante Eccleſiam Ambroſianam memorato Archiepiſcopo, Antonianos Fratres a Joanne Galeatio Vicecomite evocatos e Galliis fuiſſe, ut in proximo Noſocomio Mediolanenſi, perculſis ſacro igne (quo morbo laborabat Italia) ægrotis, conſuetâ ipſis caritate inſervirent; præſertim cùm in Turri ſuperiùs memorata in hunc uſque diem perſeveret Stemma Vicecomitum, albo marmore inſculptum, Aquilâ auctum, cujus Inſigni donatus fuit Joannes Galeatius a Venceslao Imperatore, unà cum nomine & abſoluta auctoritate Ducis Mediolanenſis. Faciliùs eſt aſſignare tempus, quo ab hac Metropoli exceſſerint. Cùm enim Franciſcus Sfortia Dux Mediolani, magno animo ac Regio ſumptu meditaretur novum ægris excipiendis domicilium, atque a Pio II. Pontifice Maximo Diploma recepiſſet, ut reliqua omnia hujus noſtræ Urbis Noſocomia etiam Regularium, in unum hoc, *Majus* appellatum, coaleſcerent, Ædes proximas Sancti Antonii Eccleſiæ magnificentiſſimum hoc ædificium abſumpſit. Quapropter circa Annum MCDLVIII. in Galliam Antoniani Fratres ſeſe recipere debuere.

Sanctum quoque Philippum Nerium, cum quo Romæ de-

degens intimam ſpiritûs neceſſitudinem contraxerat, enixis precibus Carolus rogavit, ut aliquos e Congregatione ab ipſo Romæ inſtituta Diſcipulos, in eo omnium virtutum gymnaſio inſtructiſſimos, ad propagandam Dei gloriam atque animarum ſalutem curandam, Mediolanum mitteret, futuros in hac Eccleſia tamquam valida propugnacula propulſandis longè vitiis, conciliandoque plebi adhuc lacte indigenti Chriſtianæ perfectionis amori. Nec abnuit Philippus juſtiſſimis Sancti Caroli votis ſatisfacere, nonnullos ex iis huc transmittens, qnos hilariter exceptos proprio domicilio Borromeus donavit. Verùm poſt exactam per aliquod tempus in hac Metropoli moram maximo animarum proventu, ex inopinato mandatum Sancti Philippi ad Patrum Oratorii manus pervênit, quo jubebantur confeſtim Romam redire; admonitus namque cœlitus fuerat (ùt credere fas eſt) ſuperventuram quamprimum luem teterrimam in Urbem Mediolanenſem. Itaque receſsêre; nec multò poſt, grave hoc flagellum horrore ac ſtragibus illam implevit, afflixitque miſerrima vaſtatione.

Redditâ aëri ſalubritate Sanctus Carolus iterum preces dedit ad Nerium, ut quæ abſtulerat indigæ huic Metropoli Sacerdotum ſuorum auxilia reſtitueret; præſertim cùm recenti calamitate concuſſa, poſtularet majora ſubſidia, ut profectum ex ærumnis ſuis caperet, atque ad novam veluti meliorem vitam renaſceretur. Aures tamen ſuas ſemper occluſas Philippus præbuit precanti Archiepiſcopo Carolo; tam vehementi iſtius dolore, ut ſcribens ad Tarugium Philippi Diſcipulum, hoc aſſerere non dubitaverit, videlicet *ſe ne-*

Digitized by Google

ſcire, qua conſcientia Nerius recuſaret manus dare Operi, quod ad tantam Dei gloriam redundabat. Nihilominus flecti ſe minimè paſſus eſt Philippus; fortaſſe enim Divino inſtinctu præſenſerat, quod in Dei arcanis ſuo tempore futurum, adhuc latebat.

Deſtitutus igitur hac ſpe Sanctus Carolus, conſilium cepit alteram inſtituendi Congregationem in Mediolanenſi Urbe, quæ ſi non æquaret Romanam Oratorii ſimilitudine Regularum, apta tamen omnino eſſet meditamentis ſuis ad proſperum finem perducendis, quibus & Civitatem & Diœceſim ſemper florentem reddere cogitabat. Aderant Ædes Sancti Sepulcri in Urbis meditullio, quæ domicilium fuerant Sacerdotum aliquot, inter Cleri Populique Paſtoribus carentis corruptelas & laxioris vitæ licentiam, peculiaris religionis & ſanctimoniæ ſplendore enitentium. Hoc itaque in Loco Congregationem ſuam fixit Anno MDLXXVIII. Sanctus Carolus, eidem adſcribens Sacerdotes tum ex Canonicis Ordinariis, tum ex Clero, quos ſingularis doctrina ac probitas excellentiùs decorabat. Hiſce novis Colonis, Archiepiſcopo obſtrictis voto obedientiæ, uſus eſt veluti Coadjutoribus ſuis & ſuccedentium Antiſtitum, ad ea peragenda, quæ ad Dei gloriam amplificandam ſpectabant, atque incolumem Ovium ſuarum ſalutem ſervandam neceſſaria cenſebantur: Proinde ſublatis morte aut in hac Metropoli, aut in Diœceſi Eccleſiarum Paſtoribus, aliquem ex iſtis ſufficiebat ad reparandam hujuſmodi jacturam, ac munera omnia obeunda Rectorum, donec Dux novus ac pater orphanis Plebibus ſeu Civibus aſſignaretur. Regulas quoque ad perpe-

petuum hujus Congregationis regimen condidit; idque admirandum hac in re contigit, quòd, cùm Sanctus Carolus Romam profectus, præ animi ſui demiſſione eas obtuliſſet Sancto Philippo Nerio, ut votum ſuum de iis proferret, eaſdem Philippus ſubmiſit judicio Sancti Felicis de Cantalicio, Ordinis Cappuccinorum Converſo. Iſte literarum ignarus, cùm ſibi ab altero perlegendas curaſſet, admirante Sancto Carolo, nonnulla expunxit, quæ Sanctus iſte Archiepiſcopus noſter, cùm eadem ſcriberet, non omnino ſibi ſatisfeciſſe faſſus eſt poſtmodum: Quamobrem raro exemplo ad eas ſtatuendas tres inſignes ſanctimoniâ Viri, poſt obitum Altaribus donati, conſilio ſuo conſpirarunt. Legitur hoc *in* poſtrema *Sancti Philippi Nerii Vita*, Venetiis edita; atque expreſſum in Tabula fuit in Vaticano Templo, cùm a Summo Pontifice Clemente XI. cooptatio in album Sanctorum Beati Felicis de Cantalicio ſolemni pompâ celebraretur. Non eſt hujus loci referre, quæ emolumenta pepererit, & nunc quoque pariat hæc Congregatio, quam Sanctus Carolus dicatam voluit Sancto Ambroſio, ſub nomine *Oblatorum*, ampliſſimæ huic Diœceſi, in muneribus peculiariter ipſi injunctis, præſertim ſpiritualium Exercitationum Cleri ad Sacros Ordines promovendi, in *Canonicæ* Seminario cellulis religioſè modeſtèque ibidem extructis ab eodem Sancto Archiepiſcopo, ut animus a mundanis tumultibus remotus, in ea veluti ſolitudine faciliùs ac fructuoſiùs cœleſtia contemplaretur.

Supererat obſtruenda origo illa omnium vitiorum, & radix corruptelarum, quæ anteactâ ætate Cleri populique mentes

tes

tes denſâ caligine obruerat, ignorantia videlicet & ſtudiorum neglectus, quibus effectum erat, ut duces cæci cæcum populum ducerent, omneſque in foveam caderent. Itaque Seminaria duo in Urbe, tria alia in Diœceſi aperuit Carolus, in quibus & Scientiis & vitæ probitate Clerici inſtruerentur; ut in utroque optimè edocti diſtribui poſſent per Eccleſias, tamquam triarii milites, contra invadentium humani generis hoſtium tentamenta, Evangelicæ Legis dogmata propugnantes, ac ducentes populos ipſis commiſſos ad Cœleſte Regnum, triumphali coronâ præcinctos.

Collegium quoque Nobilium erexit, ut Equites in flore juventutis Literas addiſcerent, morumque ſimul, non ad mundanæ vanitatis præcepta, ſed ad Dei mandata componendorum, normam reciperent. Academicis autem tum Clericorum, tum Nobilium Congreſſibus ipſemet Carolus intererat, atque pro ea, qua pollebat in omni Scientiarum claſſe, doctrinâ aut ſegnes incitabat ad ferventiùs percurrendum ſtudiorum curriculum, aut eos qui jam profecerant, laudibus ac præmiis cumulabat. Hac verò induſtriâ id obtinuit, ut præcipuè Clerus Ambroſianus in omnium finitimarum Nationum exiſtimatione habeatur, tamquam excellentis doctrinæ ac probitatis ſpeculum. Braydenſes item Scholas Patrum Jeſuitarum inſtituit, quæ veluti Emporium ſunt omnium Scientiarum, cuilibet diſcendi cupido continuò parens: Auctorque fuit hoc exemplo Patribus Barnabitis, humiliores Scholas publicas, *Arcimboldas* ab Equite Arcimboldo Inſtitutore nuncupatas, augendi magiſterio ſuperiorum diſciplinarum; itaut præſenti ætate nobilium juvenum Civiumque frequen-

quentiâ ad eas confluentium floreant, maximâ Mediolanenſis Urbis gloriâ, atque incremento ſtudiorum. Collegium etiam in Aſconenſi Oppido condidit, ad humaniores literas a pueris addiſcendas; & alterum in Ticinenſi Urbe, appellatum *Borromeum*, magnificè exſtructum, ut ibidem nobiles Juvenes in utroque Jure commodè erudirentur. Denique in ſingulis Cononicorum Collegiis Theologalem Præbendam erigi voluit, injuncto iis, qui eâdem fruerentur, onere habendi bis per hebdomadas Lectiones de hac Scientia, adſtante ad illas audiendas Clero illius regionis, in qua poſita eſt Eccleſia, eo Collegio inſignita. Ubi autem Doctoralem aliam Præbendam jam inſtituerat, Canonicum illum Titulo Doctoris decoratum obſtrinxit ad differendum de Jure Canonico. Quolibet autem anno, Feſto die Sanctæ Catharinæ Virginis & Martyris, coram Archiepiſcopo, aut ejuſdem Generali Vicario, aliiſque Eccleſiaſticæ Diſciplinæ Præſidibus renovantur hæc Studia in Sacello Archiepiſcopali, aſſignanturque cuilibet ſive Doctori, ſive Theologo Tractatus, in quibus explanandis per annum incumbere debeant. Expletâ ſubinde hujuſmodi nomenclaturâ, ab aliquo utplurimùm e Congregatione Oblatorum habetur Oratio, Latino ſermone concepta, ad Eccleſiaſticos Viros inflammandos amore ſtudiorum. Adinventiones iſtæ fuere admirabiles Archiepiſcopi Caroli, ut Clerus erudiretur; quæ ejuſdem patrocinio adjuvante numquam obſolevere.

Inter haſce Paſtorales induſtrias ad rerum Divinarum cognitionem in ignarum populum inducendam, ea ſilentio prætereunda non eſt, quam adhibuit Sanctus Carolus, aperiens

in

Digitized by Google

in Eccleſiis Urbis & Diœceſis frequentia Fidei Catholicæ gymnaſia, in quibus Chriſtifideles edocerentur de arcanis Religionis noſtræ Myſteriis, & de Præceptis non tam Divinis, quàm Eccleſiaſticis, quorum exactâ obſervantiâ & dignam Chriſtiano nomine quod gererent vitam inſtruere, & ad æternam felicitatem promoveri faciliùs valerent. Siquidem Congregationem erexit hominum, pietatis laude inſignium, qui ſingulis diebus Feſtis in deſignata Templa ſeu Oratoria ſe conferrent, ac etiam Diœceſim peragrarent inviſuri, an munus iſtud non tam proficuum quàm neceſſarium juxta Regulas ab eodem Sanctiſſimo Paſtore præſcriptas ſeriò impleretur; incitarentque Magiſtros ad hoc opus impigrè peragendum, inſtruendi videlicet rudiorem plebem Evangelicis doctrinis ac mediis, quibus immortalem ſalutem conſequi poſſit. Hujus verò dirigendæ curam commiſit Sodalitio Oblatorum, ſtatuens, ut ex ipſis unus ſeligatur, qui *Præfecti Generalis* titulo omnibus Scholis præſideat, minimè aut ſudoribus, aut itinerum incommodis parcens, ob florentem continuò conſervandam ubique per Urbem ac Diœceſim laudatiſſimam hanc inſtitutionem. Sanè integra uſque ad hunc diem permanſit incredibili animarum lucro, ac etiam exterorum admiratione, qui participes illius fieri exoptavere, ac etiam enixis precibus obtinuerunt, ut nempe Regulæ a Sancto Conditore typis commiſſæ, & norma ab Operariis hujus Congregationis adhibita in ejuſdem regimine, ad ipſos tranſmitterentur. Nec vicinorum tantummodo deſiderium hoc fuit; ſed etiam Antiſtitum Siciliæ, ac remotiſſimæ quoque Americæ; extatque memoria in ejuſdem Archivo propagati

ultra

Digitized by Google

ultra mare atque Inſulas noſtras hujus ſalutaris Inſtituti, perſtrepentibus ubique gentium Conditoris Sancti Caroli laudibus ac præconiis, uſque ad invidiam Mediolanenſis Metropolis, in cujus ſinu feracem hanc cœleſtium theſaurorum aurifodinam tantus Præſul aperuit.

Inducto in Eccleſiaſticos Viros amore ac ſtudio Scientiarum, depulsâque a populis myſteriorum Fidei ignorantiâ, ad cultum Eccleſiarum reſtituendum, ſedulitatem ſuam Carolus revolvit, utque aliis per Urbem diſperſis exemplo eſſet, a Metropolitana Baſilica initium ſumpſit. Patebant ab utroque latere hujus Templi, ubi Crucis brachia extenduntur, duæ ingentes Januæ, per quas frequens hominum turba, breviorem initura viam, ex uno ad alterum locum pertranſibat; nec aberat inſolentior li entia, qua fiebat, ut etiam currus per Sacram hanc Ædem agerentur, eumdem tranſitum habituri, ſed intolerabili irreverentiâ ac perturbatione Civium ibidem religioſè Deum deprecantium. Illas extructo muro clauſit Antiſtes Carolus; utque ablato eo ſcandalo Mediolanenſium religionem excitaret, alliceretque ad frequentiùs colendam Primariam hanc Baſilicam, Odæum proprio ingenio delineatum conſtruxit, omni elegantiâ ornatum, Vitâ nempe Sancti Ambroſii, figuris e ligno artificioſiſſimè eductis circumdiſpoſitâ, & excellenti manu compactis duobus exquiſitiſſimis Organis, ad regendos Eccleſiaſticos muſicos Cantus hinc inde ſtipatum. Sacris quoque Miniſtris Templo Maximo inſervientibus, ut commodiùs ad Officia ſua peragenda ad illud accederent, aditum ſubterraneum aperuit; extruxitque de novo Canonicam Ædem, circumductis Porticibus ac

Digitized by Google

Domunculis pro ſingulorum inhabitatione; eaque ob magnificam ſpeciem quam refert, inter præclariora hujus Metropolis Ædificia ſpectanda non ſine admiratione ab Exteris numeratur. Subinde Carolus in Archiepiſcopale Palatium oculos injecit, viſumque illi eſt, aliquid eidem deeſſe non tam decorum, ſed etiam neceſſarium. Cùm enim, utpote Eccleſiaſticæ Hiſtoriæ peritiſſimus, antiquiſſimam Sanctorum Antiſtitum conſuetudinem noviſſet, Sacrorum etiam Canonum auctoritate firmatam, ut ſi qui Epiſcopi per alienas Urbes iter agerent, proprius illarum Antiſtes eos in Epiſcopali Domo fraternâ caritate reciperet, & ſi ibidem aliquam moram trahere vellent aut poſſent, ad habendam ad populum Concionem e ſuggeſtu Eccleſiæ, eoſdem invitaret, incongruum eſſe ampliſſimæ Dignitati Archiepiſcopi Mediolanenſis cenſebat, carêre hoſpitali Domicilio, a ceteris Ædibus ſejuncto, excipiendis Epiſcopis ad hanc Urbem adventantibus: Præſertim cùm in Conciliis Provincialibus ſe circumſeptum videat tot Suffraganeis Præſulibus, quot Ambroſiana Metropolis, quamvis erectis aliis Archiepiſcopalibus Eccleſiis plurimùm imminuta, in præſentia recenſet. Itaque hanc ſibi ſpartam adornandam ſuſcepit, proprioque ære Ædificium in ipſo Archiepiſcopali Palatio conſtruxit, quod commodè nobiliterque advenientes Epiſcopi incolerent; illud autem uſque in hunc diem ſolis iis inſervit.

Inter ſplendida ornamenta, quæ Eccleſiam Mediolanenſem ſummoperè illuſtrant, dilucidior pretioſiorque gemma in Archiepiſcopali Infula refulgens, conſenſu omnium, Ambroſianus eſt Ritus. Huic fideliſſimè cuſtodiendo Antiſtites

noſtri

noſtri ſolicitam curam quavis ætate impenderunt. Nemo tamen ſtudioſiùs enixiùſque adlaboravit, ut ſarta tecta ſervaretur Hæreditas iſta, a Sancto Patre & Patrono Ambroſio in nos derivata, quàm Sanctus Carolus Borromeus. Præter ea, quæ diligentiſſimus ejuſdem Vitæ Scriptor Gluſſianus Libr. VIII. Cap. IV. adnotavit, plura in autographis Sancti Caroli Epiſtolis, in Ambroſiana Bibliotheca religioſè cuſtoditis, teſtimonia ſuperſunt vehementiſſimi in ejus corde ſuccenſi deſiderii, ne quidquam vel minimum inveteratæ conſuetudinis Ritûſque antiquiſſimi in Eccleſiis deperiret; quinimo ſi aliquâ ſuî parte, temporum injuriâ vel Sacrorum Cuſtodum negligentiâ, imminutus foret, in integrum reſtitueretur. Unum proferimus, quod ſatis eſſe arbitramur, ut palam fiat, quanto in honore haberet Carolus Ambroſianum Ritum, cujus exacto cultui in Clerum ac populum inducendo penè ſe totum devoverat. Animadverterat Sanctus Præſul, plures in hac ſua Diœceſi Eccleſias Romano Ritu Sacra, & Divina Officia peragere. Cauſas, cur hæc diverſitas invaluerit, ſingillatim recenſet Joſeph Vicecomes *in ſuis Obſervationib. Eccleſiaſt.* Libr. II. de Miſſæ Ritibus Cap. XIV. Ægrè admodùm ferebat Carolus hanc in uno Corpore membrorum diſſenſionem, quamvis omnino innocentem. Itaque agitare animo cœpit, qua ratione difformem iſtam methodum ad Aras Cœleſtem Hoſtiam litandi, pſallendique in Choro abolêre valeret; & unius Ambroſiani Ritus leges, per XIII. ſaltem Secula, etiam in Regularium Clauſtris inviolatâ conſuetudine olim vigentes, in univerſas ditionis ſuæ Eccleſias revocaret. Ne tamen, ùt in more habebat, aliquid decerneret incon-

Digitized by Google

ſultâ Romana Sede, ad Gregorium XIII. Summum Hierarcham ſcripſit, concepta de hac re vota ſua, ejuſdem nutibus obſequentiſſimè ac indifferenter reſignans. Approbavit Pontifex ille Maximus prudentiſſima Sancti Antiſtitis deſideria; utque animos, ad perficiendum pium iſtud & Eccleſiæ Ambroſianæ decorum Opus, ipſi adderet, ſequens Diploma expedivit, quod *ex Miſcellaneis* Joannis Baptiſtæ Cornei, in Archiepiſcopali Archivo aſſervatis, Tom. XVI., nunc primò in lucem educimus.

Dilecto Filio noſtro Carolo, Tituli Sanctæ Praxedis Presbytero Cardinali, Borromeo nuncupato, Gregorius Papa XIII.

„ Dilecte Fili noſter ſalutem & Apoſtolicam benedictio-
„ nem. Eccleſiæ Mediolanenſis, cui ex diſpenſatione
„ Apoſtolica præes, peculiaris ac propria in Divinis Officiis
„ ac Ritibus ratio, cùm non modò ducentis abhinc annis
„ introducta, ſed uſque adeò antiqua ſit, ut jam inde ab
„ ipſo Beato Ambroſio Confeſſore & Doctore inſtituta atque
„ præſcripta, perpetuo ſit Catholicæ Romanæ Eccleſiæ fir-
„ mata conſenſu; Nos propterea, quoniam tu pro eo quod
„ debes, in eam curam incumbis, ut in iſta tua Eccleſia
„ non conſerventur ſolùm, ſed reſtituantur veteres Ritus &
„ antiqua illa Ambroſiani Officii inſtitutio, eaque ipſa jam-
„ diu probata, in Diœceſis tuæ Eccleſiis una eademque cer-
„ ta ſervetur; cùmque hoc par ſit, & Canonum jure ſan-
„ citum, ut in Horariis precum Officiis & in Eccleſiaſticis
„ Ri-

„ Ritibus, cum Metropolitana Cathedralique Eccleſia reliquæ „ inferiores omnino conſentiant; iſtud omne ſtudium tuum „ pietati ac æquitati conſentaneum, ſicut vehementer in Do- „ mino commendamus, ita libenter etiam adjuvamus. Quam- „ obrem, ubi in Diœceſis tuæ Eccleſias, Monaſteriave Ar- „ chiepiſcopali juriſdictioni tuæ ſubjecta, eam Ambroſiani „ Ritûs & Officii rationem introducendam aut reſtituendam „ eſſe cenſueris, id planè arbitratu tuo fieri licere volu- „ mus; utque id Apoſtolica etiam auctoritate præſtes, his „ Literis omnem tibi facultatem damus, impartimur, & con- „ cedimus; non obſtantibus aliò uſu, conſuetudine, ceteriſ- „ que contrariis quibuſcumque. Datum Romæ apud Sanctum „ Petrum ſub Annulo Piſcatoris die XXV. Januarii MD- „ LXXV., Pontificatus noſtri Anno tertio.

Apoſtolicis hiſce Literis validè obfirmatus Carolus in concepto propoſito, nihil intentatum reliquit, nec calamo, nec ſudoribus parcens, ut nobilis hæc cogitatio, pluribus etiam maturata conſiliis, tranquillum felicemque exitum conſequeretur; atque eò deducta res jam erat, ut Collegia omnia & Parœciæ Romano Ritu utentes, Ambroſianum ſe amplexuras ſponderent, dummodo Modoëtienſe Oppidum obedientiæ exemplo præiret. Conatus igitur omnes Sanctiſſimus Præſul illuc convertit, induſtriis quibuſcumque officioſæ ſuæ caritatis uſus, ut reluctantes Incolarum animos expugnaret. Beneficia quoque addidit, ut nobilibus hiſce vinculis Populum illum flecteret ſibique devinciret. Siquidem plenum ſplendoris & honorificentiæ munus a Sancta Sede impetravit, Inſulam nempe & Epiſcopalia indumenta, ab Archipresbyte-

ro

Digitized by Google

ro Modoëtienſis Eccleſiæ deferenda, cùm Solemniores Feſtì dies per annum recurrerent. Paratum inſuper ſe exhibuit ſtatuendo propriis impenſis cenſui, ad alendos educandoſque gratìs in Seminario decem ejuſdem Oppidi Alumnos. Sed omnia in caſſum abiere. Poterat quidem Carolus auctoritate Apoſtolica qua pollebat, Incolas illos ad obedientiam præceptis impellere; ſatiùs tamen duxit, ab omni vi abſtinere, ne dilectas eas Oves æternæ ſalutis periculo ob contumaciam exponeret. Leguntur iſta in archetypis Sancti hujus Archiepiſcopi Epiſtolis, quas ſervat Ambroſiana Bibliotheca.

Interea ſerpere cœpit rumor quidam (licèt inanis, ùt exitus poſtmodum comprobavit) velle videlicet Pontificem Maximum, ut Romanus tantùm Ritus in univerſa Eccleſia adhiberetur. Admonuit per Epiſtolam de hac re Sanctum Carolum Cæſar Specianus Romæ degens. Percu'it Antiſtitis noſtri animum inexſpectatum hoc nuncium; ſtatimque propria manu exaratum reſponſum ad eum remiſit, quod integrum hic dare, Italico idiomate prout jacet contextum, nonniſi gratum fore Lectoribus, & amplificandæ vividiùs gloriæ tanti Præſulis opportunum exiſtimamus: Inde enim reverentia erga Apoſtolicam Sedem, parendique facilitas Pontificis mandatis clariſſimè elucet; ſimulque edocemur, quàm altè in Caroli corde infixus amor eſſet erga Ambroſianam Eccleſiam, cujus antiquiſſima Privilegia ſe coram ipſo Summo Pontifice (uſque ad Aras) tutaturum pollicebatur. Epiſtola autem eſt hujuſmodi.

Al

Al Molto Reverendo Monſignor Ceſare Speciano Protonotario Apoſtolico.

„ MOlto Reverendo Signore. Io ormai non parlarò più „ oltre delle coſe di Monza, avendovene parlato ab„ baſtanza. Nel reſto poi, in che voi mi ricercate a ſcri„ vere a Noſtro Signore del ſenſo mio in queſta materia „ de' Riti, e mi dite del ſenſo del Signor Cardinale Mo„ rone, e del voſtro, anche ſopra di queſto, fatto più ga„ gliardo per occaſione della mia lettera ſcrittavi alli dì „ paſſati: torno a dirvi, che quando Noſtro Signore giu„ dicaſſe così maggior ſervizio di Dio, e comandaſſe uni„ formità de' Riti quì con quelli di Roma, non ſolamen„ te io eſeguirei prontamente, per tutto quello che foſſe „ in me, tutto ciò che mi foſſe comandato, ma, come „ devo, ſtimarei certamente che tutto foſſe dallo Spirito „ Santo, che governa e aſſiſte a quella Santa Sede. Con „ tutto queſto non vorrei già, che ſi deſſe a ciò tale in„ telligenza, ne anche al deſiderio e ſenſo, che hò avuto „ io ſempre così in univerſale di ſimili uniformità, riſpetto „ di tante eccezioni che ſi ſono fatte nell' obbligo dell' Of„ ficio nuovo Romano, non ſolo de' innumerabili Città al„ meno nei Paeſi tramontani, ma di quelle Congregazioni „ ancora, che pur avevano inſtituto di dire l'Officio Ro„ mano, e uſare i ſuoi Riti medeſimi, come S. Dominico, „ e i Carmelitani, e altri: Che dall' altra parte parlando „ in particolare dei Riti di Santo Ambroſio quì, io non

„ ſtimi

„ ſtimi un dei maggiori negozii di queſta Chieſa, ogni penſiero e trattazione che ſi faceſſe di abrogar e eſtinguere queſti Riti, e che però foſſe convenientiſſimo non trattar ſimile deliberazione prima che Noſtro Signore non vedeſſe minutamente la qualità, le ragioni, i fondamenti, e i Miſterii di queſti Riti; e per queſto io non foſſi obbligato a mandare a Roma perſone prattiche quì e inſtrutte di queſto, a rappreſentare ogni coſa al Vicario di Dio, per deliberare poi quello, che Dio le moſtraſſe, eſſer ſua volontà e ſervizio. Anzi è opinione di Perſona di molta dottrina, pietà, e anche rare qualità, e ſpecialmente lontana in ciò da ogni paſſione, perche vive e viverà ſempre nei Riti Romani, che io foſſi obbligato, come Arciveſcovo di queſta Chieſa, in ſimile caſo venire io ſteſſo a fare queſto Officio in perſona: Così per quello che tocca all' antichità ſingolare di queſti Riti, e alli Miſterii, di che ſi vedono pieni, e ai meriti e memoria e divozione di quell' Inſigne Santo Dottore della Santa Chieſa Romana, che li hà fondati, e alla riverenza e riſpetto che gli hà avuto, già paſſano piu di mille anni, l'iſteſſa Chieſa Romana, e al conto ch'ella ne hà fatto, valendoſi di tante parti di queſto Officio nelli ſuoi Officii; come ancora perche ha ſervito, e ſerve ognidì queſto Officio e Meſſa Ambroſiana con i ſuoi Riti ai Scrittori delle Coſe Sacre per non picciola arma in molte coſe contra gli Eretici, allegandoſi in varie occaſioni e Libri: Coſa che non ſi fà quaſi di niun altro Officio particolare, per antico ancor che ſia. Onde per

„ molti

„ molti riſpetti pare, che ſia differentiſſimo negozio ogni
„ mutazione di altri Riti particolari, in paragone di queſti;
„ ne ha che fare l'eſtinzione totale di uno Inſtituto accom-
„ pagnato da tante qualità, come queſto, col non intro-
„ dur intieramente in Monza ò altro Luogo particolare l'Of-
„ ficio Romano, ò anche levarlo con l'autorità di Noſtro
„ Signore, come ſi è fatto a Santa Barbara di Mantua, e
„ in altre ſimili occaſioni, ancora nei tempi preſenti; poiche
„ reſta ne più ne meno l'Officio Romano nella ſua digni-
„ tà, ſtato, e onore univerſalmente e particolarmente, co-
„ me prima. Oltre che non mi ſpaventa poco il ricordar-
„ mi, che pur varii Scrittori raccontano, che quì ſi ſia
„ conſervato queſto Rito per mezzo di quello inſigne mi-
„ racolo del Libro aperto, e l'altro sfogliato in la Chieſa
„ di S. Pietro in Roma, nella quale pur anche mi ricor-
„ do, che il Salterio ſi uſa conforme a queſto Ambroſia-
„ no. Aggiungo ora, che io vedo pochiſſima ſperanza,
„ che ſi foſſe mai per far queſta mutazione, e molto me-
„ no l'eſecuzione univerſalmente ne in tutti i Regolari, ne
„ in tutte le Provincie tramontane; onde ſi farebbe tanta
„ moſſa quì, ſenza quel frutto, che ſe ne pretendeſſe prin-
„ cipalmente: e pur quando anche ſono ſtati in queſte parti
„ i Sciſmati e diſobbedienzie, non hanno mai pur penſato
„ i Sommi Ponteſici a ſimile mutazione; molto meno pare,
„ che debba eſſere in conſiderazione, in tempo che queſta
„ Provincia avanza, Dio grazia, molte, e non cede ad al-
„ cuna in obbedienza a quella Santa Sede. Tutto queſto
„ ho voluto dirvi, perche ſappiate quello che mi occorre

Digitized by Google

„ in ogni occaſione che ſi trattaſſe di queſta materia, per
„ ragionarne voi con Noſtro Signore, ò con chi biſognaſ-
„ ſe; non laſciando di dirvi ancora, che quando Sua San-
„ tità aveſſe pur animo di trattar anche in generale di que-
„ ſta uniformità, farei di parere, che ſchiettamente ſcri-
„ veſſe per tutto, dove ſono Officii particolari, Brevi gra-
„ vi, e gli ordinaſſe a mandare informazioni piene delle
„ qualità e fondamenti de' loro Officii e Riti, e tutto quel-
„ lo che aveſſero loro a dir ſopra ciò, e così potrebbe
„ più intieramente deliberare quello che foſſe più ſecondo
„ Dio, e più facilmente eſeguirlo. Dio Noſtro Signore ſia
„ con voi. Di Milano il XXVIII. Luglio MDLXXVIII.

„ Al piacer ſuo Il Card. di Santa Praſſede.

Jam verò ad ea ſermonem convertamus, quæ in Paſtorali univerſæ ſuæ Diœceſis Viſitatione peregit Sanctus Carolus, reſtituendi cauſâ Altaribus ſplendorem, Eccleſiis venerationem, Clero antiquæ diſciplinæ obſervantiam, cunctis denique Ovibus ſuis integram Divinis mandatis obedientiam. Hoc autem feliciſſimè conſecutus eſt, productis ad feram noctem in Oratione vigiliis, indefeſsâ per diem diligentiâ in reſarciendis rebus, quæ deerant cultui Eccleſiarum ac recto Parœciarum regmini, publicis & ferme quotidianis Concionibus e ſuggeſtu, aſſiduâ myſteriorum Fidei explicatione in Scholis Doctrinæ Chriſtianæ ab ipſo inſtitutis, ùt paulò ſuperiùs narravimus, exemplis demum menſæ parciſſimæ vitæque aſperrimæ, quam ducebat in tanta virium defatiga-

tione

tione ac laborum tolerantiâ. Equidem quis exprimere verbis valeat, quantum inſudaverit Carolus, cùm aſſeri ſecurè queat, ſignata fuiſſe prodigiis potiùs paternæ caritatis, quàm greſſibus itinera omnia, quæ in hoc munere implendo per plures menſes continuatâ ſedulitate ſuſcepit? Sanè admirationem ingerit, Præſulem tam clari ſanguinis, opulentæ Domûs deliciis innutritum, Eccleſiaſticis cumulatum honoribus, aſſuetumque excipiendis obſequiis non Aulicorum modò, ſed etiam Principum, quibus deſignatus fuerat in Protectorem, in tantam proprii nominis & Dignitatum illuſtrium, quibus exornabatur, oblivionem ſe conjeciſſe, ut humeris ſuis ſarcinas ferret, nudoque pede per cautes rupeſque incederet, inviſurus ruſticum aliquod mapale, quod longè ab humano commercio incoleret agreſtis aliqua Familia; ſatis penſatam, exiſtimante ipſo emenſæ viæ aſperitatem laboremque in eâ percurrendâ, ſi erudire Incolas illos in præceptis Evangelicis aut in Fidei Dogmatis potuiſſet. Non illum rigidæ hyemes, aut operta nivibus glacieque montium juga, non profunda vallium obſcuritas deterrebant ab inchoata peregrinatione; trajiciebat enim impavida hilaritate flumina & torrentes qui objiciebantur, difficillima rupium culmina ſuperabat, & per inacceſſos calles in alpeſtria penetrabat tuguria, reptans quandoque inter virgulta & dumos, ac etiam delabens ſummo vitæ periculo; ne ullus vèl ex infimis paſtoribus ac pueris quereretur, ſe illius præſentiæ beneficio caruiſſe. Quàm autem proficuus verè foret omnibus Caroli adventus ad quævis Loca ſuæ Diœceſis, compertum abundè habuere quicumque in præterita rerum perturbatarum cala-

 mi-

mitate propriis oculis viderant defleverantque res Sacras neglectas, deſertas a Paſtoribus Parœcias, irreligioſo ferme contemptu adminiſtrata Sacramenta & celebrata Sacrificia, debaccantem per vicos abſque objurgatore licentiam vitiorum, ſuperfuſam denique Chriſtifidelium mentibus Fidei dogmatum ignorantiam. Siquidem brevi temporis intervallo commutatam in alteram, Diœceſim quam luſtraverat Carolus, novamque veluti Apocalypſis Jeruſalem de Cœlo deſcendiſſe ſunt admirati; adeò ut de Carolo dici poſſit, quòd non interrupto ſudorum impendio ſingillatim omnia reviſens atque in ordinem redigens, imitatus ſit Solem, qui viam ſuam percurrens, reviviſcere cuncta jubet, ac pertranſit benefaciendo.

Porro hæc magna ſunt & immortali laude digna, potuiſſe unum Carolum horridam Dominicæ hujus Vineæ ſterilitatem, in amœnam cœleſtium fructuum fœcunditatem commutare. Sed collatum tam citò inſigne adeò beneficium, minimè tamen æquabat amplitudinem ejus cordis. Ingenioſa illius Caritas modum excogitavit, quo fieret perenne. Neque enim ſatis habens, memoratam hanc myſticam Vineam veluti invictâ ſepe præcinxiſſe, ſaluberrimis nempe Conſtitutionibus ac Decretis, Vicarios, quos ipſe appellavit *Foraneos*, inſtituit, qui in qualibet Plebe Diœceſis, tamquam fidi Cuſtodes vigilias agerent, ne inimicus homo ſuperſeminaret zizania; & ſi quæ noxia excreſcerent germina, ſtatim evellerent. Inſuper Mediolani delectos Viſitatores ſex deſignavit, qui ſex Regionibus, in quas Diœceſim diſtinxit, præſiderent, ſimulque animadverterent, an a prædictis Cuſtodibus

onus

Digitized by Google

onus illis injunctum feriò impleretur. Demum diem præfixit, quo per ſingulos annos Vicarii omnes coram Viſitatoribus & Archiepiſcopo rationem adminiſtrati muneris ſui redderent; & ſi quæ contraria Chriſtianæ aut Eccleſiaſticæ diſciplinæ invaluiſſent, novis Legibus abolerentur. Hac methodo flos ille probitatis, quem vireſcere juſſit in ſua Diœceſi vivens Carolus, ſemper inviolatus viguit, atque impoſterum Deo opitulante ſemper vigebit.

Nimis tamen anguſtus erat limes Caroli deſiderio amplificandæ Divinæ gloriæ curandæque animarum ſalutis, ſola hæc Mediolanenſis Diœceſis. Paſtoralem amorem ſuum ad univerſam Provinciam Archiepiſcopalis ſuæ Dignitatis extendit. Primò Concilia Provincialia celebravit, uſque ad numerum ſextum iterata; dein ipſemet ad finitimas Epiſcopales Eccleſias ſe contulit, Cremonenſem nempe, Bergomenſem, Viglevanenſem, & Brixianam, eaſdem omnes viſitaturus, atque ubique relinquens præclariſſima monumenta Paſtoralis ſolicitudinis. Quinimo auctoritate Apoſtolica in Valles Tellinam, & Meſolcinam, aliaſque Helveticæ & Rheticæ ditionis penetravit, ibique quàm uberem animarum fructum retulerit in expurgandis a Dæmonum commercio populis atque etiam Clero, necnon exſtirpandis Hæreſum radicibus, longèque amovendis ab Italicis finibus hujus peſtis afflatibus, confiteri debuere ipſi pravitatis hæreticæ Sectatores, qui eidem in iis regionibus degenti ſpopondère, ſe ad Catholicæ Romanæ Matris gremium reſtituturos, ſi altera vice illuc Carolus profectus fuiſſet. Sed, Deo ita diſponente, feſtina mors hunc Sanctum Antiſtitem e Mundo ereptum,

ptum, ad cœleſte præmium æternæ gloriæ evexit; fortaſſe in pœnam neglectæ occaſionis, quam illi ſibi e manibus elabi paſſi fuerant, Hæreſis ejurandæ.

Reverſus inde ad hanc Urbem, ut firmam inconcuſſamque Catholicam Fidem morumque caſtimoniam, quam in Helveticas regiones induxerat, conſervaret, duo quæ capaci animo conceperat, executioni mandavit. Et primò Collegium Helveticum magnificè conſtruxit ac reditibus dotavit, ut Clerici illius Nationis gratis ibidem alerentur, donec inſtructi doctrina & pietate, ad Eccleſiaſtica miniſteria promoti, propugnatores Fidei & Chriſtianæ diſciplinæ fierent ac Magiſtri. Subinde Nuncium Apoſtolicum mitti in Helveticos a Gregorio XIII. curavit, ut præſens indigentiæ Catholicorum conſuleret, ſuâque auctoritate diſpelleret impedimenta, quæ objicere poſſet Hæreticorum protervia integritati Catholicæ Religionis, aut morum candori; primuſque Nuncius delectus eſt Joannes Franciſcus Bonomius, Præſul eximiæ doctrinæ, ac irreprehenſibilis vitæ laude conſpicuus Anno MDLXXIX.

Nondum tamen, tam copioſa meſſe undique collectâ, ſatis votis ſuis factum exiſtimans Carolus, modum excogitavit invênitque, quo remotis etiam gentibus Urbibuſque poſſet prodeſſe; iſque fuit, in unum Volumen congerere Concilia omnia, & Synodos Diœceſanas, quas ipſe celebraverat, necnon Paſtorales omnes Literas, Admonitiones, ac Decreta, quæ ad rectam inſtituendam diſciplinam ediderat, eaque typis commiſſa ſub hoc Titulo *Acta Mediolanenſis Eccleſiæ* ad cunctas regiones tranſmittere. Nec ſpe ſua fruſtratus eſt: Siquidem, delatis non tantùm ad omnes Europæ Pro-

Provincias, ſed etiam in Americam hujuſmodi aurei Libri exemplaribus, id obtinuit Carolus, ut ad normam inductæ in Mediolanenſem Urbem ac Diœceſim ab ipſo diſciplinæ, etiam reliquarum Eccleſiarum Antiſtites Ovium ſuarum regimen inſtituerent, glorioſo eo præconio Sanctum Carolum nuncupantes, videlicet eumdem datum a Deo fuiſſe, ut ſpeculum foret & Magiſter Epiſcoporum.

Vindicandæ Eccleſiaſticæ juriſdictionis atque immunitatis acerrimus propugnator fuit Archiepiſcopus Carolus. Verùm infracti animi atque imperterriti conſtantia turbulentiſſimas eidem peperit vexationes, præſertim a Regiis Miniſtris, qui querelas contra ipſum ad Pontificis Maximi Solium, atque ad Catholici Regis Aulam detulêre. Inſuper Archiepiſcopale Palatium militibus armiſque cinxêre; omnem quoque lapidem moventes, ut Præſul iſte, quem publicæ pacis perturbatorem vocabant, hinc aliò ablegaretur, non rediturus. Habuit etiam cum Clericis ſuis contentiones, Canonicis nempe Scalenſis Collegii; qui eumdem Paſtoralis viſitationis causâ ad eorum Eccleſiam progredientem, armatâ manu, nec ſine ejus vitæ periculo repulêre. Quin imo Apoſtata quidam Ordinis Humiliatorum, quos in præceps mundanæ licentiæ ac voluptatis abeuntes, ad rectum tramitem regularis obſervantiæ conditis Legibus Carolus ipſe revocaverat, inſtinctu Diabolico adactus in Sacellum Archiepiſcopale, dum Sanctus Præſul cum Familia veſpertinæ Orationi vacaret, penetravit, atque exploſis a tubo militari plumbeis glandibus eidem vitam eripere ſacrilego auſu contendit. Verùm defluentibus ad pedes innoxiis globulis, Divino miraculo incolumis

Digitized by Google

lumis Carolus ſtetit; atque in vindictæ locum altero manſuetiſſimæ caritatis miraculo tum ad Summum Mediolani Moderatorem, tum ad Pontificem Maximum preces dedit, ut reus tanti ſceleris, quod horrorem omnibus ingerebat, a publico ſupplicio eximeretur. Sed fruſtra; cùm & Senatûs decreto raptus fuerit ad infamem pœnam patrati criminis auctor, & Pii V. Summi Pontificis auctoritate extinctus fuerit Ordo univerſus Humiliatorum Anno MDLXX. Deo autem innocentiam Sancti Archiepiſcopi protegente, reliquæ etiam omnes inſectationes, quæ in eumdem concitatæ fuerant, deferbuere, agnitâ poſtmodum vigilantiſſimi Præſulis ſanctimoniâ eximiiſque virtutibus.

Et revera quis ambigere de ſingulari præclariſſimi noſtri Archiepiſcopi ſanctimonia potuiſſet, poſt editum in conſpectu univerſæ Civitatis heroicum illud experimentum candidi cordis ardentiſſimique amoris, quo unicè ſuccendebatur erga Deum & proximum; cùm nempe, graſſante per Urbem lue, Sanctiſſimus Antiſtes paſtoralium virtutum, quas humilitas in ejuſdem animo incluſas denſo hactenus velo contexerat, neceſſitate urgente nobile omnium oculis ſpectaculum fecit? Quæ enim Sanctorum Præſulum commendata in Hiſtoriis exempla legimus, quorum imitationem exactiſſimè expreſſam admirari in Sancto Carolo Archipræſule non debeamus? Quamvis ſi ad juſtam lancem expendamus res ab hoc incomparabili Viro actas in eo funeſto Mediolanenſis Urbis infortunio, quamplura occurrent, quæ a ſumma Caroli caritate inventa, ſupra ceteros præteritarum ætatum Sacros Heroës Paſtorem hunc noſtrum efferre videbuntur. Quid

enim

enim illuſtrius, quàm ſtatim a primo qui audiri cœpit rumore, geminas Domos luis morbo infectas eſſe repertas, intra ſui cordis penetralia ſe recepiſſe Carolum, Deoque obtuliſſe vitæ ſuæ ſacrificium, mori paratum, dummodo Gregi ſuo ſi non corporis, ſaltem animæ ſalutem afferret? Neque tantùm id verbis ſecretò expreſſit, ſed publico teſtimonio confirmare voluit, condens illico ultimas Tabulas, quibus, aliquibus ſolummodo Legatis relictis, Hæredem ex aſſe Magnum Mediolani Noſocomìum declaravit Anno MDLXXVI. Ab hoc autem propoſito ſubeundi omne vitæ periculum dimoveri numquam potuit ſive ab Amicis, ſive a Primoribus Urbis, de tam pretioſa vita ſolicitis; imo nec ab ipſo Summo Pontifice, qui Apoſtolica auctoritate parſimoniam ſuæ præſentiæ eidem injunxerat. Itaque terrenis omnibus abjectis curis, in hunc campum deſcendit, veluti impavidus Ductor uſque ad extremum ſanguinem pugnaturus. Utque feliciùs decertaret, ab imploranda a Supremo munerum omnium largitore Deo paterna miſeratione initium cepit, tres religioſiſſimas Supplicationes indicens ad celebriores Baſilicas. Cùm verò angulos ferme omnes noſtræ Urbis peſtis pervaſiſſet, jamque cadaveribus compita replerentur, pium aliud remedium adhibuit, ut Dei indignationem ſedaret, pacatumque illum redderet languenti afflictoque populo ſuo. Veſtibus itaque, quibus Eccleſia utitur ad pœnitentiam ſignificandam, indutus, ad collum rudi fune appenſo, ac denudatis pedibus, Sacrum Clavum Crucifixi Domini, in Metropolitano Templo repoſitum, manu geſtans, præcedente utriuſque Ordinis Clero per regiones Urbis inceſſit. Licèt

autem fortuitò accepto vulnere, in uno pedum ſanguinem funderet, ſuſceptum iter proſequens ad Eccleſiam quò tendebat, & ſuggeſtum conſcendens ita fervidè peroravit, ut fluentibus uberrimis lacrymis ab oculis populi adſtantis, omnia ſingultibus perſonarent. Cùm verò publico Edicto vetitus fuiſſet Civibus exitus a propriis domibus, metu amplioris ſtragis, ſæviente lue, ne detenti in iiſdem carerent fructu pretioſiſſimi illius Sacrificii, in quo Filius ipſe Divinus victimam ſe offert Æterno Patri, modum Carolus invênit caritate ſua dignum, iiſdem ſubſidium hoc, atque etiam ſpiritûs ſolatium impertiendi, Altaria in medio viarum conſtruendo, in quibus quotidie Sacra peragerentur, proſpectantibus e feneſtris religioſiſſimè Civibus. Eadem immota poſtmodum perſtare voluit, etiam amotâ lue, ac reſtituto huic Urbi ſalubri aëre Sanctus Carolus, ſed mutatâ ſpecie; ſuperinductis enim marmoreis columnis, aut baſibus eminentioribus, triumphale Crucis Signum publicè in ſingulis expoſuit. Imo Regulis ſuis inſtructam Societatem piorum hominum inſtituit, qui ſub veſperum cujuſque diei preces ante illud effunderent; aſſignato etiam Præſide ex Oblatorum Congregatione, qui in cunctis Civitatis regionibus vigilias ageret, ne ſalutaris hæc inſtitutio a primo flore umquam decideret: Idque adhuc perdurat, novum hoc pietatis exemplum admirantibus Exteris, qui Mediolanum commigrant.

Ut autem redeamus ad prodigia recenſenda paſtoralis Caritatis, edita a Sancto Carolo Archiepiſcopo, furente peſte; quænam Mater umquam fuit tenerioribus viſceribus prædita erga filios ſuos, quemadmodum Carolus erga languentes

Digitized by Google

tes ſuas Oves? Ipſe frequens in tentoriis, ubi jacebant morti proximi ægrotantes, patienter excipiebat Sacramentalem conſcientiæ expurgationem, propriâque manu Euchariſticum cibum ſubminiſtrabat, eos benigniſſimè adhortans ad vitam propriam libenter Deo offerendam, extremum mortis ictum impigrè recipiendum, promerendamque contrito animo immortalem mercedem: Ipſe in Noſocomiis, in privatis domibus, ac etiam in publicis viis eadem officia morientibus præſtans, omnibus ſe non Paſtorem ſolùm, ſed Patrem quoque amantiſſimum oſtendebat. Quin etiam, cùm pauci eſſent, qui in tanta Infirmorum copia ſimili officio fungerentur, atque opus tam pium intrepidè aggrederentur, Breves Literas a Pontifice Maximo impetravit, quibus facultas ei dabatur invitandi Regulares Viros, ſique illos alacres promptoſque inveniret, eos ad hanc provinciam explendam mitteret quòcumque expedire videret, etiam renuentibus atque contumaciter obſtantibus Superioribus Cœnobiorum. Ita planè obtinuit, ut per diem noctemque dilectis Ovibus ſuis numquam deeſſet tantæ Caritatis ſubſidium ad tolerandas morbi anguſtias, ſeque dignè parandos ad tremendum æterni Judicis Tribunal adeundum, ad quod brevi horarum ſpatio accedere debuiſſent. Porro in Concione ferventiſſima, quam habuit ad Regulares Sanctus Carolus, relatâ a Gluſſiano *in ejus Vita*, illico ſeſe obtulerunt XXVIII. ex iiſdem; quibus alii quoque quamplures ſeſe poſtmodum adjunxere.

Acceſſit ad cumulandam Mediolanenſis Metropolis calamitatem inopia rerum omnium, quæ non minùs quàm lues populum miſerrimè angebat; præſertim cùm Nobiles Equi-

Digitized by Google

reſque timor peſtis ad remota Loca adegiſſet, adeòque pauperum numerus ultra ſexaginta millia creviſſet, eodem Sancto Carolo teſtante, *in Memoriali ad populum* edito, inſertoque *Actis Eccleſiæ Mediolanenſis*. Deſtituta omni ope ac ſubſidio agmina hæc egenorum (quos Anno MDLXX. uſque ad tria millia fame eâdem oppreſſos, reſeratis horreis, ac dapibus ſub Palatii ſui porticibus quotidie ſubminiſtratis refecerat) ad Archiepiſcopales Ædes accurrêre, a Paſtore ſuo genibus flexis auxilium imploratura. Ad conſpectum tantæ multitudinis pauperum non deterrita Caritas Archiepiſcopi, ne minimùm quidem refriguit; quinimo vehementiùs ſuccenſa, ſtatim ad remedium parandum mentem convertit. Itaque eoſdem in varia Loca diſtributos, præcipuè verò in amplis Ædibus, a felici prælio Regis Galliarum acto *Victoriæ* nomine appellatis, extra Urbem quatuorcentum illorum collocatos, quotidianâ alimoniâ omnes providè ſuſtentavit; nec iiſdem paſſus eſt deeſſe proprias animæ dapes, illuc miſſis piiſſimis Viris, qui rudimenta præberent Chriſtianæ vitæ, precibuſque ſtaturis eos per diem piè detinerent. Cùm autem hyems ingrueret, miſeratus Carolus laceras illorum veſtes ac indumenta, quæ nec cutem totam velabant, ut eos a frigoris aſperitate illæſos ſervaret, inauditi exempli conſilium provida mente conceptum arripuit; idque fuit jubere domeſticis Miniſtris, ut Aulas omnes ac parietes portaſque Archiepiſcopalis ſuæ Ædis pannis denudarent, quæ ad Cardinalitiæ Dignitatis decorem ab iis pendebant, itemque arcas omnes atque angulos Domûs cunctis hujus generis aulæis, militari quadam deprædatione ſpolia-

liarent. Imo nec propriiſmet operimentis pepercit Sanctiſſimus Paſtor; exceptis namque neceſſariis, quidquid reliquum fuit diſcindi, atque in quamplurimas veſtes aptari ac conſui mandavit; cùmque adhuc parca eſſet ad tot pauperum indigentiam depellendam conferta hæc ſupellex, profuſo largo ære coëmpta indumenta omnibus eſt elargitus; incedentibus poſtea per Urbem hiſce egenorum copiis, verſicoloribus veſtibus opertis, ſpectaculo hominibus atque Angelis admirando.

Impares jam erant tanto ſuſtinendo paupertatis alendæ oneri Archiepiſcopalis Menſæ reditus, conſumptis quoque in egenorum levamen argenteis vaſis & lancibus, atque ipſo Cardinalitio Inſigni, ligneis ſuffectis, pictis & inauratis, quorum reliquiæ nonnullæ ad perennem tam induſtris caritatis memoriam in Pinacotheca Bibliothecæ Ambroſianæ ſervantur. Quapropter, ne deeſſent mendicis ſubſidia, partim adhortationibus ad Primarios, qui in Urbe perſtiterant, Civitatis Rectores, & Literis ad Supremum ipſum ejuſdem Moderatorem abſentem miſſis, partim etiam minis indignationis Divinæ tantum egit, ut pars aliqua publici ærarii in alimoniam pauperum ceſſerit. Neque ideo ab incœptis deſtitit Sanctus Paſtor, ut iiſdem ſubveniret: Imo revocatâ in Urbem turbâ illâ egentium, quam in Loco *Victoriæ* hactenus detinuerat, eamdem induxit in Domos quaſdam prope Eccleſiam Sanctæ Mariæ nuncupatæ *de Stella*, quas vacuas reliquerant Moniales Benedictinæ, ab ipſo Sancto Carolo aliò translatæ, ut faciliùs Civium eleemoſynis juvaretur; cùmque quamplures Puellas patre & conſanguineis orbatas ob peſtis de-

debaccantis inclementiam, inconditè vagari per compita conſpexiſſet manifeſto animarum periculo, eas quoque in memorato Hoſpitio collegit, ſejunctis tamen ſtationibus ab iis Virorum, eiſque pecunias omnes elargiens, quas ſuppeditare poterat ærarium penè exhauſtum, aſſignatis omnium cuſtodiæ XXX. Proceribus. Floruit poſtmodum pius iſte miſericordiæ Locus, tam vigili pietate ac cura XII. Equitum (ad quem numerum illos contraxerat Cardinalis Archiepiſcopus Federicus Borromeus) ut noſtro ævo ex orphanis ac mendicis pueris & puellis, qui ſoli nunc ibidem nutriuntur atque educantur, CCCLXXX. quotidie alantur.

Innumera alia omittimus, quæ abſolutiſſimam Caroli ſanctimoniam nitidiſſimo virtutum omnium ſplendore illuſtravêre; hæc enim luculentâ narratione comperta fecerunt *in ejuſdem Vita* Poſſevinus, Carolus a Baſilica-Petri, Gluſſianus, Ripamontius, ceterique Scriptores. Nos, pro Inſtituti noſtri ratione, illa ſolummodo recenſenda eſſe cenſuimus, quæ in Archiepiſcopali regimine Mediolanenſis Eccleſiæ ſanctiſſimè adminiſtraro, ſingulari Paſtoralis vigilantiæ, & Caritatis pluſquam paternæ laude Sanctum Carolum ſupra Prædeceſſores ſuos Antiſtites, poſt Sanctum Ambroſium, glorioſiſſimum reddidêre. Id unum ægerrimo animo, amariſque lacrymis, inſperſis omnium genis, tulit univerſa Civitas noſtra, feſtinaſſe Deum, e Mundo educere dilectiſſimum atque amantiſſimum Archiepiſcopum Carolum; in flore namque virilis ætatis, cùm annos ageret XLVI, ſibi raptum eum vidit, poſtquam hanc Mediolanenſis Eccleſiæ vineam abſque ſudorum parſimonia excoluiſſet annis XXIV., menſibus

bus VIII., diebus XXIII. Verùm acerbitatem doloris temperavere tum relicta a Sanctiſſimo Præſule tot inſignia pietatis veſtigia ad perpetuum animarum proventum gloriamque noſtræ Metropolis, tum miracula frequentiſſima, quibus coronare etiam in terris Deus voluit Servum hunc ſuum fideliſſimum; adeò ut in ejus aſſiduo apud Divinam clementiam patrocinio, ac fructu quem in dies percipimus ex ejuſdem præclaris meditamentis, facilè viventem adhuc bono hujus Eccleſiæ promovendo Carolum credere valeamus.

Sanè ad Caroli Tumulum, quem ipſe ſibi delegerat in Metropolitana Baſilica, ſuperaddita hac Inſcriptione, ab eodem confecta:

CAROLUS TIT. S. PRAXEDIS S. R. E. PRESB. CARD.
ARCHIEPISCOPUS MEDIOLANENSIS
FREQUENTIORIBUS CLERI, POPULI,
DEVOTIQUE FŒMINEI SEXUS PRECIBUS
SE COMMENDATUM CUPIENS,
HOC LOCO SIBI MONUMENTUM
VIVENS ELEGIT.
VIXIT ANN. XLVI. MENS. I. DIEM I.
PRÆFUIT ECCLESIÆ MEDIOLANENSI ANN. XXIV.
MENS. VIII. DIEBUS XXIII.
OBIIT III. NONAS NOVEMBRIS MDLXXXIV.

adeò

Digitized by Google

adeò frequens non tam Civium, quàm Exterorum copia confluxit, ut licèt Summorum Pontificum Decreta repugnarent, neceſſe fuerit (conſentiente Supremo ipſo Hierarcha) religionis immaturæ obſequia tolerare, atque admittere copioſa votiva anathemata, quæ undique appendebantur, necnon cerei luminaria, quæ a Civibus oblata diu noctuque circa Sepulcrum ardebant. Admirabilius aliquid narrat Marcus Aurelius Grattarola in Libro *de Canonizatione Sancti Caroli*, nempe, cùm data ab alma Urbe fuiſſet facultas Solemne Sacrum, prout occurrebat, feſtivo more peragendi, anniverſario die mortis Sancti Caroli, omiſſo eo Mortuorum, quod ipſemet quotannis celebrari ultimis Tabulis juſſerat pro animæ ſuæ remedio, antequam de eodem inter Sanctos referendo ageretur, Anno MDCIII., quo annua hæc memoria in Feriam II. incidebat, Artifices ac populum univerſum, nemine cogitationem ſuam alteri communicante, in hoc unum, Divino procul dubio instinctu, conveniſſe, ut clauſis omnino Officinis atque Apothecis, a ſervilibus operibus omnes abſtinerent, tamquam ſi dies ille præcepto Eccleſiæ ex ſolemnioribus foret: Tam altè nimirum inſederat Civium Mediolanenſium cordibus exiſtimatio inſignium virtutum Sancti Caroli, ac deſiderium eidem exhibendi publica teſtimonia amoris ſui ac venerationis, ut nullis coërceri limitibus poſſet.

Non ſera tamen fuit Cœleſtibus honoribus in Carolum conferendis Apoſtolica Sedes; cùm enim per omnes Italiæ ac etiam Europæ regiones perſtreperet fama miraculorum & gratiarum, quibus Deus teſtatam faciebat excellentem Ar-

chie-

Digitized by Google

chiepiſcopi noſtri ſanctimoniam, totque continuò affunderentur Solio Pontificio Principum, Regum, Ducum Sabaudiæ Mantuæ Parmæ, Civitatum, Mediolanenſis præſertim, & Congregationis Oblatorum, quæ prima fuit (teſte memorato Grattarola) ad procurandum hunc Inſtitutori ſuo honorem, fervidæ per ſupplices Literas preces, ut meritâ ille gloriâ Altarium donaretur, Paulus V. Pontifex Maximus, in hac adeò diffuſa per omnes ferè Catholici Mundi partes veneratione ac votis, Dei manum manifeſtè perſpiciens, exactis iis omnibus quæ tanti momenti Opus exigit, Anno MDCX. publicè in Vaticana Baſilica, extraordinario apparatu in Theatri auguſti ſpeciem adornatâ, liberali Mediolanenſis Civitatis impensâ, ſolemnioribus omnibus cæremoniis Beatum Carolum Catalogo Sanctorum adſcripſit. Quæ fuerit tunc exultatio anxiè expectantium populorum optatiſſimum hoc Pontificis Maximi Oraculum, non opus eſt exprimere. Certè Mediolanenſis Metropolis ſeſe ſupra ceteras gentes peculiari lætitiæ ſignificatione diſtinxit; impatiens namque Tabellariorum tarditatis, ut citiùs feliciſſimum hoc nuncium reciperet, diſpoſitis in via per ſingulos decem lapides tormentis majoribus bellicis, ac juſſis explodi ad primum actæ Solemnitatis rumorem, ex continuato eorumdem ſtrepitu expectatum nuncium ante Tabellariorum adventum intellexit. Peracta ſubinde fuit Celebritas actionis gratiarum ad Deum, ob excelſum hoc decus Sancto Carolo collatum, eâ magnificentia, quæ & conceptum publicum gaudium & Metropolis hujus dignitatem æquaret.

Nimis tamen ampla erat materies communis lætitiæ, ut parvo dierum intervallo inſolitum a Mediolanenſibus conceptum gaudium abſolvi poſſet atque exhauriri, cùm & præteritæ beneficentiæ memoria, & recens honor adoptati inter Cœlites Paſtoris ſui Caroli, ſpeſque firma patrocinii numquam defecturi novos ſemper ſtimulos adderent Civibus, ut & gauderent, & tam dignum amantemque Patrem venerarentur. Defoſsâ itaque humo, ubi ſepultus jacuerat Sanctus Carolus, excitatum eſt magnificentiſſimè ſubterraneum Sacellum, atque erecta ibidem Ara, expoſito in eadem Corpore, uſque ad id tempus incorrupto, intus Arcam affabre elaboratam, quam poſtmodum Rex Hiſpaniarum Philippus III. exciſis e monte miræ latitudinis Criſtallis locupletiſſimam reddidit; nec ſine interveniente Divina manu, cùm ex ea criſtallina fodina, nulla æqualis lamina excavati impoſterum potuerit. Defluentibus autem in omnem remotam etiam regionem beneficis influxibus tam grati Deo Archiepiſcopi noſtri, incredibile eſt, quanto fervore illius cultum arripuerint non modò Populi, ſed etiam Principes, Reges, Duces, atque Antiſtites nobilioris gradus; certatim namque votiva donaria auri argenti & gemmarum, Lampades argenteas magni ponderis, integra quoque argentea Simulacra ad Mediolanenſe Sancti Caroli Sepulcrum tranſmisêre. Neque vinci ſe paſſa eſt ab Exterorum largitate liberalis pietas Civium noſtrorum. Siquidem ſola Aurificum Univerſitas integram Sancti Caroli Pontificalibus induti effigiem, gemmis ornatam, ad juſtam humanam menſuram ex argento elaboratam dono obtu-

obtulit Eccleſiæ Metropolitanæ, ut ſimul cum altera Sancti Ambroſii, æqualis molis, publici ærarii expenſis conflatâ, Aræ Maximæ majeſtatem pretioſam redderet. Imo vividiùs ſuccenditur in Mediolanenſium pectoribus amor ac deſiderium amplificandæ venerationis erga admirabilem hunc Patronum excelſumque Præſulem ſuum; cùm enim ſuperiore Seculo auctum fuiſſet novo ſumptuoſo ornamento Subterraneum Sacellum, Tabellis nempe argenteis anaglyphe cœlatis per angulos diſpoſitis, metalli pretium longo intervallo ſuperante artis ingenio, agitatur hac ipſa noſtra ætate conſilium veſtiendi reliquos memorati Sacelli parietes, ab imo ſolo uſque ad culmen, fuſo argento ad elegantiam omnem elaborato; ſplendidum futurum monumentum fervidæ gratæque erga Sanctum Carolum Mediolanenſium religionis. Quotannis autem in octavum diem profertur Celebritas inſtituta ad Sancti hujus Antiſtitis honorem, nempe a die IV. Novembris uſque ad XI., quotidie e ſuggeſtu perorantibus in ejus laudem inſignioris eloquentiæ Concionatoribus, ac per vices ſolemni Sacro adſtantibus Urbis Magiſtratibus, ex mandato Catholici Regis Philippi IV., qui regiis expenſis ob ſummam erga Sanctum Carolum venerationem hoc obſequii ſui teſtimonium juſſit ſingulis annis iterari.

Demum ſubjungimus, adeò impreſſa eſſe in cordibus Mediolanenſium cultum ac dilectionem erga Sanctum Carolum, ut eum parem propemodum faciant Sancto Ambroſio Patrono, quemadmodum teſtantur duo illa Carmina, quæ adhuc ſub Arcu, jacente e conſpectu viæ, *Sancti Cle-*

Digitized by Google

mentis appellatæ, prope Archiepiſcopales Ædes uncialibus literis ſcripta leguntur:

AMBROSIUS REPARAT, REPARAT QUOQUE CAROLUS URBEM:
URBIS UTERQUE PARENS, ORBIS UTERQUE DECUS.

GAS-

Digitized by Google

GASPAR VICECOMES.

ARduum videri potuiſſet, Præſulem reperire, qui æquali laude humeros ſupponere valeret gerendo oneri Archiepiſcopatûs Mediolanenſis, quod tanto conſtantiæ & vigilantiæ aliarumque Paſtoralium virtutum ſplendore ſuſtinuerat immortalis memoriæ Sanctus Carolus Borromeus. Illum tamen invênit Pontifex Maximus Gregorius XIII., nempe Gaſparem Vicecomitem. Imo ne moram quidem temporis paſſus eſt, ad eumdem in Archiepiſcopum Mediolanenſis Eccleſiæ deligendum: Siquidem vix elapſis XXV. diebus ab obitu ejuſdem Sancti Caroli, Succeſſorem in Sede Ambroſiana Gaſparem prædictum conſtituit die XXIX. Novembris Anni MDLXXXIV. Neque mirum, cùm Summo Pontifici non modò nota, ſed etiam probata manifeſto experimento foret ejuſdem doctrina, probitas, & in pertractandis difficillimis negotiis infracti pectoris fortitudo.

Cooptatus Gaſpar in Collegium Juriſperitorum Equitum & Comitum Mediolani, atque in Patricium Ordinem Decurionum Civitatis relatus, ſubinde promotus fuit ad Cathedram Juris Primariam Ticinenſis Academiæ. Non multò autem poſt Romam profectus eſt, ut unà cum Auditoribus, quos vocant *Rotæ Romanæ*, in eo inſigni Sapientum Collegio conſidêret. Interim Anno MDLXXX. excitatæ graviſſimæ contentiones inter Equites Melitenſes eò proceſſerant,

ut

Digitized by Google

ut facilè timeri poſſet in Melitenſi Inſula Civile bellum; de exauthorando namque Supremo Equitum Magiſtro Joanne de la Caſſiere agebatur, aliis Equitum illius Ordinis incendio faces ſubdentibus, aliis verò Principem ſuum pro virili tuentibus. Admonitus de hoc infauſto diſſidio per Nuncios ab utraque Parte miſſos Summus Hierarcha, Gaſparem Vicecomitem in Inſulam Melitam legavit; qui ad eamdem progreſſus, ſtatim ac terram attigit, convocatis ſimul utriuſque Partis Equitibus, Breves Pontificis Literas obtulit, quibus Magiſter ipſe, & Romegas, adverſæ factionis Caput, Romam ſe conferre jubebantur. Eam igitur Urbem uterque adiit eo anno. Agitatâ poſtmodum exactiſſimè Causâ, favorabilis Sententia Magiſtri Equitum Parti ceſſit; ſed recepti honoris gloriâ frui modico admodum tempore Princeps iſte potuit, morte ſublatus die XXI. Decembris memorati met anni. Nec diu in vivis ſuperfuit adverſarius Romegas; rejectus enim a conſpectu & alloquio Summi Pontificis quod enixè expetierat, dolore perculſus ac dein febri correptus interiit.

Nondum tamen quietæ res erant in Melitæ Inſula; Equites namque ibidem collecti de ſubſtituendo Succeſſore Caſſierii conſilia inibant, non expectato Summi Pontificis placito. Qua de re conſcius factus Gregorius XIII. per Melitenſes Legatos, Breves Literas ad Gaſparem Vicecomitem Nuncium direxit, quibus animum ſuum eidem patefaciebat, velle ſe videlicet, ut tres Equites eximiæ virtutis, in iiſdem Literis deſcripti, proponerentur, unuſque tantùm ex illis a Concilio in Magiſtrum Militum deligeretur, ne diſtra-

ſtractis hinc inde votis, nova Equitum diſſenſio exoritur. Paruit mandatis Vicecomes; ſummâque pace declaratus eſt Princeps præclariſſimi illius Ordinis Hugo de Verdello, primo loco a Pontifice propoſitus, die XII. Januarii MDLXXXII. Itaque poſt triennii ferme laborem, tranquillâ relictâ eâ Inſulâ, Romam reverſus eſt Gaſpar Vicecomes, ſummâ non solùm Pontificis Maximi commendatione exceptus, ſed etiam Epiſcopatûs Novarienſis tunc vacui honore donatus. Ad hoc eidem conferendum decus plurimùm profuit teſtimonium Sancti Caroli Borromei, qui interrogatus a Gregorio XIII., an Vicecomes par eſſet dignè adminiſtrando illi muneri, prophetico quodam ſpiritu reſpondit, idoneum Gaſparem eſſe non regendæ Novarienſi tantùm Eccleſiæ, ſed etiam Mediolanenſi, teſte Petro Paulo Boſca *in hujus Præſulis Vita*. Hinc patet, erraſſe Ughellum, qui ait, reverſum fuiſſe Vicecomitem a Melitæ Inſula, *cùm Sanctus Carolus fato jam functus eſſet*; nec mirum, cùm Novarienſem Epiſcopatum, ante Mediolanenſem eidem collatum ignoraverit. Caruit tamen tanto hoc Antiſtite Novarienſis Civitas; vix enim electus, ſubſequente Sancti Caroli obitu, deſignatus eſt in hujus locum Archiepiſcopus Mediolanenſis, ac conſecratus Idibus Decembribus Anni MDLXXXIV.

Succedente Anno MDLXXXV., XI. Calendas Sextiles ſolemni pompâ ingreſſus eſt Mediolanum Gaſpar Vicecomes, exceptus eâ magnificentiâ, Magiſtratuum comitatu, Clerique utriuſque Ordinis religioſo occurſu, quæ propria ſunt Mediolanenſis Metropolis atque Eccleſiæ. Vix dum Ambroſiani regiminis habenas prehenderat novus hic Archiepiſcopus, cùm

ecce

ecce Romam miſſi e Japonia Legati, ut abſterſi Sacro lavacro, ab impuro Dæmonum cultu ii populi, & Romanæ Eccleſiæ reconciliati, operâ & immenſis laboribus Franciſci Xaverii illarum regionum Apoſtoli, Supremi Paſtoris Solio gentis illius Fidem & obſequia advolverent; in reditu ad patria littora, luſtratis ceteris Italiæ Urbibus, Mediolanum pervenêre. Quanto triumphalis veluti apparatûs ſplendore admiſſi in hanc Metropolim fuerint nobiliſſimi hi Proceres, ex remotiſſima ac ferme toto Orbe diſſita Japoniæ Inſula ad nos delati, quidve actum ſit a Civibus noſtris eo octidui ſpatio, quo in hac Urbe moram traxêre peregrini illi Juvenes, ſilentio præterire ex Inſtituto noſtro cogimur; præſertim cùm accuratam omnium quæ accidêre deſcriptionem, rhetoricâ elegantiâ contextam, *Vitæ* hujus Archiepiſcopi inſeruerit Petrus Paulus Boſca. Accepto nuncio adventûs illorum Archipræſul Vicecomes, Vicarium Generalem, Eccleſiaſticis Viris ſtipatum, ad ſecundum ab Urbe lapidem obviam miſit, gratulaturum de felici exacto eorum itinere, ſimulque invitaturum, ut Mediolanum deducti ad Archiepiſcopalium Ædium hoſpitium diverterent. Advenientes illos excepit humaniſſimis omnibus ſalutationis officiis Antiſtes Vicecomes, atque per integrum diem in Archiepiſcopali Palatio magnificè jucundèque detinuit. Quinimo cùm primùm in Eccleſia Metropolitana celebraret Pontificalibus omnibus indumentis ornatus, exteros hoſce Legatos Euchariſticæ Menſæ aſſidentes cœleſti alimoniâ refecit; diſcedentes verò ſacris magni pretii donariis cumulavit, ut in Patriam reverſi, accepti beneficii hoſpitii & munificæ comitatis ſigna coram ſuis Contribulibus oſtentarent. In-

Digitized by Google

Inter primas Pontificii ſui muneris curas ea fuit, perficiendi quæ Prædeceſſor ſuus Sanctus Carolus inchoaverat, ſed celeri morte præventus inexpleta reliquerat. Unum autem erat Cœnobium Sanctæ Barbaræ, quod ſuperiùs retulimus: Neque hoc abſque gravi diſſidio potuit abſolvi. Nobilis Matrona Joanna Veſtarina Monaſterium Oronæ, incolis vacuum, ab Auguſtinianis Monialibus coëmerat, atque in illud induxerat pias quaſdam Adoleſcentulas, quas poſtmodum auxerat Sanctus Carolus; cùmque religioſæ illæ Virgines votis omnibus expeterent, Regulis Sanctæ Claræ ſe ſubmittere, & diligenter perpenſum earumdem ſpiritum Sanctus Præſul approbaſſet, ac etiam validis argumentis pervicifſer animum Veſtarinæ, ut iiſdem annueret; erepto e vivis Carolo, ſive muliebri inconſtantiâ, ſive nimiâ opinionis ſuæ pertinaciâ, prædicta Matrona perfractè obſtitit Virginum deſiderio, quaſdam alias ab ipſa conditas Regulas illis acceptandas proponens. Imo eo obſtinatæ mentis pervênit, ut ingreſſa ſemel Cœnobium iiſdem indixerit, aut cogitationem mutarent, aut loco illo amoverentur. Non defuit hiſce Virginibus in hoc moleſtiſſimo diſcrimine patrocinium Sancti Caroli jam Cœlo fruentis; ſecreto enim ac miraculoſo inſtinctu accurrentibus Archiepiſcopalis Curiæ Miniſtris, concepti voti compotes factæ fuerunt Virgines, ultro manus dante Archiepiſcopo Vicecomite, qui, jubente poſtmodum Sixto V. Summo Pontifice, ut Moniales illæ alterius coloris veſtes, a primis aſſumptis diverſas induerent, cùm deficeret apud eaſdem emptionis pretium, proprio ære comparatas eſt elargitus; atque inſuper, poſt Sacrum ad illius Ec-

Hh clefiæ

cleſiæ Aram peractum, Cœnobii Abbatiſſæ XV. nummos aureos dono dedit, ad levandam aliquantulum inopiam qua laborabant, ſeſe obſtringens ad æqualem nummorum numerum per ſingulos menſes erogandum: Idque tam religiosè implevit, ut ultimas Tabulas condens juſſerit, per annum integrum poſt ejus obitum eamdem pecuniæ ſummam Cappuccinis Sanctæ Barbaræ perſolvi.

Hieronymus Æmilianus, nunc ab Apoſtolica Sede in Beatorum album relatus, Vir ſanctimoniæ eximiæ, amoriſque erga pauperes, præſertim orphanos pueros tenerrimi, Sectatores ſuos Mediolanum acciverat; eoſque ſub fornicibus Sancti Sepulcri primò degentes, in Ædes vacuas Noſocomii *Sancti Martini* tranſtulerat Franciſcus Sfortia II., Dux Mediolani, atque Anno MDLXIX. primum lapidem Eccleſiæ Sanctus Carolus Borromeus poſuerat, inſequenti verò eamdem conſecraverat. Diffuſo per hanc Metropolim ſuaviſſimo ardentis caritatis odore, quem ſpirabant Clerici Regulares, Æmiliani alumni, Congregationis *Somaſchæ* nuncupati, alterum Domicilium iiſdem fixum eſt in Ædibus, appellatis *Sancti Petri in Monte forte*. Gaſpar Vicecomes Archiepiſcopus noſter, captus religioſâ ſolicitudine, qua hi Patres promovendæ animarum culturæ inſudabant, novum ipſis Cœnobium aſſignavit, nempe quod nunc etiam incolunt in Urbis meditullio, apud Eccleſiam nuncupatam *Sanctæ Mariæ Secretæ*, injuncto ipſis onere Parœciæ, quam uſque ad id tempus, videlicet ad Annum MDLXXXVI. exercuerat Sacerdos e Clero aſſumptus. Nec ſua ſpe fruſtratus eſt Gaſpar Archipræſul, cùm etiam in præſentiarum & ſplendorem au-

augeant hujus Metropolis, & bono animarum egregiè inſerviant.

Æſtuabat Vicecomes Archiepiſcopus ferventi Catholicæ Religionis amore, & deſiderio, non ſecus ac Sanctus Carolus, longè a finibus hujus Diœceſis arcendi peſtiferam Hæreſis audaciam. Quamobrem in Valles Tellinam & Meſolcinam imm'ſerat doctrinæ ac pietatis laude conſpicuos Sacerdotes, qui vigiles cuſtodias agerent, ne in Helveticas regiones, quæ Romano Pontifici parebant & Archiepiſcopali imperio regebantur, maligna Hæreſum lues inveheretur. Opportunè adfuere Regis Hiſpaniarum Philippi II. Legati, ut fœdus perpetuum ferirent cum Helveticis Optimatibus; idque feliciter ſancitum eſt Mediolani Anno MDLXXXVIII. Gaſpare Vicecomite, Pontificalibus induto, operante ad Aram Maximam Metropolitanæ Baſilicæ; imo etiam e ſuggeſtu concionante, ut inviolata ſervaretur mutua Societas, qua ſe invicem obſtringebant non tam ad præſtandas ſuppetias ſi bellum occurreret, ſed etiam ad comprimendos auſus Catholicæ Fidei rebellium, ſi fortè arma expedire tentarent in ejuſdem detrimentum. Tactis itaque hinc inde Sacris Evangeliorum Codicibus, res ad vota Archipræſulis Vicecomitis proſperè ceſſit.

Sancti Caroli exemplo, ut non tam Diœceſi, quàm Provinciæ univerſæ ſalutaribus monitis provideret, ſi quæ fortè irrepſiſſent noxiæ moribus corruptelæ, conſilium ceperat vigilantiſſimus Paſtor Vicecomes Concilii Provincialis celebrandi; jamque encyclicas Literas ad Suffraganeos Antiſtites expediverat: Verùm, Deo diſponente, religioſiſſimum hoc Opus

Federico Borromeo Succeſſori ſuo adimplendum reſervabatur. Siquidem, cùm Suffraganei Epiſcopi, alii diſtenti Legationibus, alii aut morbo aut ſenectute impediti, Placentinus verò ad Archiepiſcopi Bononienſis provinciam translatus ſeſe ab hoc itinere ſuſcipiendo excuſaſſent, tres autem tantùm Vercellarum, Aſtæ, & Savonæ Præſules mandatis Archiepiſcopi ſe obtemperaturos profeſſi fuiſſent, minimè dignum tam venerabili Conſeſſu exilem adeò Patrum numerum Vicecomes exiſtimans, a propoſito deſtitit; nec de Concilio convocando, iiſmet argumentis quæ incœptis obſtiterant permotus, umquam amplius cogitavit.

Celebris erat apud univerſam regionem Inſubricam Imago Deiparæ extinctum Filium gremio complectentis, quæ picta in parva Cellula ſecus viam prope Rhaudium Oppidum, octavo lapide Mediolano diſtans, frequenti populorum accurſu colebatur, ob inſignia miracula, ibidem in Virginis Matris honorem a Deo patrata. Creverant adeò cœleſtes hæ gratiæ ſub finem vitæ Sancti Caroli, ut impar locus ille jam foret capiendis Oppidanis Exteriſque, turmatim confluentibus ad fervidas Immaculatæ Dominæ preces affundendas. Profectus illuc eſt Borromeus Antiſtes, ſeveroque inſtituto miraculorum examine, ipſoque etiam conſcio facto Pontifice Maximo, decrevit Templum a fundamentis extruere, quod mole ſua ſatis eſſet implendis adventantium votis, propiùs ad ſacram eam Virgineam effigiem venerabunda obſequia offerendi. Et ſanè capaciſſimo Caroli animo egregiè reſpondit celebratiſſimus Architectonices Magiſter Peregrinus Peregrinius, delineatâ Æde miræ amplitudinis, excelſi-

que

que faſtigii, de qua gloriari poſſet maxima quævis Metropolis. Igitur Nonis Martii Anni MDLXXXIV. propria manu Carolus primum lapidem poſuit, adjecitque Collegium Sacerdotum e Sodalitio Oblatorum, qui cultui magnifici illius Templi ſervando augendoque præſtò ſemper adeſſent. Non diu tamen in vivis ſuperfuit magnanimus ille ac ſanctiſſimus Archiepiſcopus; octavo enim poſt menſe ejuſdem anni, ad æternæ gloriæ præmio perfruendum eſt evocatus in Cœlum. Gaſpari Vicecomiti contigit præclarus honor apponendi ultimam manum Tabulæ jam incœptæ ab incomparabili eo Præſule. Abſolutâ namque immanibus piorum hominum ſumptibus arduâ illius Sacræ Ædis ſtructurâ, Archiepiſcopus Vicecomes, indictâ Solemni Supplicatione, Imaginem Deiparæ tot illuſtribus miraculorum ſignis decoratam, a veteri Sede translatam, in Ara Majori novi hujus Templi, ad commodam accurrentium populorum venerationem, ſtabili clementiæ & gratiarum veluti Solio collocavit. Adjacens Collegium incolunt nunc ſelecti e Congregatione Oblatorum Sacri Miniſtri, qui non modò in dies pretioſis ornamentis hujus Loci majeſtatem adaugent, ac pietatem advenientium in Pœnitentiæ tribunalibus, in Scholæ Chriſtianæ Exedris, atque in Suggeſtu uberrimè alunt excoluntque; ſed etiam peragrantes Sacris Miſſionibus univerſam Diœceſim, pingues collectæ meſſis manipulos in hoc cœleſtium munerum horreum exultantes reportant, Virginique Matri obſequentiſſimè conſecrant.

Beneficium aliud Mediolanenſi Metropoli præſtare meditabatur Sanctus Carolus Anno MDLXXXIV., nempe V le-

tu-

tudinarium aperire, ſaluti pauperum ægrotantium confirmandæ: Animadverterat enim, eos depulsâ febri e Majori Noſocomio diſcedentes, atque ad priſtina opificia infirmis adhuc viribus redeuntes, aut in morbum relabi, aut laboribus elumbatos morti ſuccumbere. Quapropter juxta morem Paſtoralis ſolicitudinis ſuæ Domum paraverat ponè Eccleſiam Sancti Rocchi, in Porta quæ Orientem ſpectat, ſimulque ſupellectile omni neceſſaria ad nobile hoc Opus perficiendum, & proprio ære coëmptâ, illam inſtruxerat, jamque de jaciendis fundamentis conſilium maturabat. Verùm etiam hunc paterni amoris, quo flagrabat erga pauperes Carolus, conatum perfregit mors importuna. Vigilantiſſimi hujus Paſtoris propoſitum implevit ejus Succeſſor Gaſpar Vicecomes: Exceptis enim benignè in hac Urbe Sociis quibuſdam Ordinis, inſtituti a Sancto Joanne de Deo, aperiendo Valetudinario Sedem delegit in regione Portæ, quam dicimus *Novam*, ubi clementior ac ſalubrior eſt aër; indictâque Cleri univerſi Supplicatione, X. Calendas Octobris Anni MDLXXXVIII., ibi adſtante Supremo Urbis Moderatore initium Ædificio dedit, primum lapidem in imo terræ deponens, extructâque ampla Æde, in illam intulit ſupellectilem a Sancto Carolo comparatam; adjectâ etiam ad latus Eccleſiâ, cui nomen inditum eſt *Sanctæ Mariæ in Ara Cœli*. Supervenientibus autem opulentis Mediolanenſium Legatis, Loco illi acceſſit Pharmacopolium, omni Medicinarum genere inſtructum, ac ſubinde excitatum eſt amplum Cœnobium memorati Ordinis Miniſtris, quos vulgari appellatione vocamus *Benfacite Fratres*; adeò ut in præſentiarum, non modicâ eorumdem Fratrum

ægris

ægris inſervientium laude, & noſtræ Metropolis gloriâ, pateat hic Locus non ſolùm pauperibus ut commodè convaleſcant, ſed etiam Sacerdotibus, qui illuc confluunt aut inopiâ adacti, aut allecti rerum ad ægros ſpectantium nitore, & comitate miniſtrantium Patrum, ſeorſim a ceteris amiſſæ ſalutis redintegrandæ beneficium patienter expectantes.

Hieronyma Mazenta, nobilis religioſa Matrona, legatis ex divite qua fruebatur hæreditate opulentis cenſibus, mandaverat ultimis Tabulis, ut antiqua Sancti Babylæ Eccleſia in Orientali Urbis regione, Collegio Canonicorum decoraretur; eâ lege ut Præpoſitus & octo Canonici inſtituti, ibidem quotidie Divinas laudes perſolverent. Implendæ poſtmodum voluntati illius Fœminæ curam ſuſcepit Archiepiſcopus noſter Vicecomes; cùmque Sixtus V. Pontifex Maximus, expedito Diplomate, Mazentæ Inſtitutum auctoritate ſuâ confirmaſſet, ad illud Sancti Babylæ Templum ſe conferens, ſolemni cæremoniâ Præpoſitum & Canonicos in poſſeſſionem induxit, atque Eccleſiaſticis Inſigniis, prout moris eſt, manu propriâ donavit Anno MDLXXXVIII.

Ad componendos poſtmodum Clericorum mores, Legeſque opportunas ſtatuendas animum revolvit Vicecomes; ideoque Diœceſanam Synodum Anno MDLXXXIX. indixit, eamque celebravit V. Calendas Maji, non tam ea ratione quam Sanctus Carolus præſcripſerat, ſed etiam eo ipſo animi fervore ac deſiderio conſervandæ intactæ Eccleſiaſticæ diſciplinæ, quo Præſul ille in habendis hujuſmodi Congreſſibus æſtuabat. Alteram etiam Diœceſanam Synodum coëgit, ſplendidis

didis Prædeceſſoris ſui veſtigiis inſiſtens, ſedulò cavens, ne facilè ſeſe inſinuantium corruptelarum nævus aliquis partum tot ſudoribus a Sancto Carolo in Eccleſiaſticis præſertim Viris integerrimæ vitæ candorem denigraret; & ſimul etiam obtemperans Decretis Tridentini Concilii, frequentiam hujuſmodi Synodorum Epiſcopis injungentis. Aggreſſus eſt ſubinde amplam hanc Diœceſim Paſtorali viſitatione luſtrare, ubique ſpargens Chriſtianarum virtutum ſemina, ſuique erga univerſum ſibi commiſſum Gregem manifeſta paterni amoris indicia relinquens.

Reverſus in Urbem amplificando Sacrarum Ædium cultui, augendæque Mediolanenſium Civium religioni ſe totum devovit. Collocaverat Sanctus Carolus Borromeus primum lapidem in fundamentis Eccleſiæ Monialium Humiliatarum, Sanctæ Mariæ Magdalenæ dicatæ, & *ad Circum* vocatæ, quem ibidem erexerat Romanorum Cæſarum magnificentia. Succeſſor ejuſdem Vicecomes Archiepiſcopus, quod ille incœperat, perfecit, peractâ memoratæ Eccleſiæ ſolemni Conſecratione. Seraphici Patris Franciſci Alumni, quos vocant *Tertii Ordinis*, ſecundo ab Urbe lapide, extra Portam Tonſam Cœnobium incolebant, ob inclementiam aëris admodum ſaluti infeſtum, nimiùmque patens bellicis incurſionibus; quamobrem ab Hyppolito II. Cardinali Archiepiſcopo Mediolani impetraverunt Anno MDL., ut in Portæ Romanæ Suburbiis conſiſtere poſſent, ibique Monaſterium & Eccleſiam conſtruere ſub Titulo *Sanctæ Mariæ Paradiſi*. Sacram hanc Ædem ad culmen perductam conſecravit Gaſpar Vicecomes die XXVI. Junii, Anni MDXC. Etiam extra

Urbis

Urbis hujus mœnia, propenſam erga Cœlites animi ſui pietatem extendit Archiepiſcopus noſter; Eccleſiam namque Sancto Bernardo dicatam, conſtructamque in Monte Brianteæ regionis, vulgò appellato *Monteveglio*, ſacro eodem Conſecrationis ritu expiavit.

In votis Sancti Caroli erat, Cappuccinis Fratribus Domicilium clementioris aëris in Orientalibus Portæ finibus ſtatuere, cùm Ædes quam incolebant & inamœna foret, & noxia ob circumfluentium aquarum frequentiam atque arborum denſitatem, vocata *Sancti Victoris ad Ulmum*. Id tamen ad optatum exitum, interrupto vitæ curriculo, perducere haud valuit. Piorum hominum liberali ope, poſt ejus obitum, excitatum eſt in loco a Sancto Carolo deſignato amplum Cœnobium & Sacra Ædes, quemadmodum prophetico quodam oraculo ſpopondiſſe traditur Borromeus Antiſtes. Hanc quoque Eccleſiam, Immaculatæ Virginis Conceptioni nunc dicatam, Gaſpar Vicecomes decoravit præſentiâ ſuâ, primum in ejus fundamentis lapidem ponens, univerſo Clero Mediolanenſi comitante VI. Nonas Maji Anni MDXCII.

Surgebat e conſpectu Arcis Jovis Templum, a Mediolani Ducibus erectum, & nuncupatum *Sanctæ Mariæ de Conſolatione*, Sancti Caroli adhuc adoleſcentis frequenti viſitatione atque precibus cultum. In illud Ludovicus Sfortia Auguſtinianos Fratres Eremitas Congregationis Lombardiæ induxerat Anno MCDXCVII. Ibidem colebatur Imago Deiparæ Virginis, ob miracula & gratias quæ a Deo impetrabantur, apud Mediolanenſes celebris. Hanc, cùm amplior Eccleſia exædificata fuiſſet, ſolo æquatâ veteri, Archiepiſcopus

Vicecomes Anno MDXCII., die Dominico in Albis depoſitis, ſolemni Supplicatione Metropolitanæ Baſilicæ Cleri, & diverſi Ordinis Cœnobitarum per Urbem circumtulit, atque in Ara Majore novi Templi, ad publicam venerationem, Civiumque in anguſtiis gementium ſolamen, patrocinio Virginis implorandum, collocavit.

Biennio poſt, Anno nempe MDXCIV., cùm Virgines ſacræ Monaſterii Sanctæ Mariæ Magdalenæ in Porta appellata *Ludovica*, preſſæ ab anguſtiis loci in Vico proximo, cui nomen eſt *Magdalenæ*, ad aliam Sedem non longè poſitam a primæva migraſſent, novamque Eccleſiam extruere meditarentur, die XXI. Januarii Archiepiſcopus Vicecomes primum in ea conſuetis cæremoniis lapidem poſuit.

Duobus etiam Religioſorum hominum Cœtibus Mediolanenſem Metropolim locupletavit vigilantiſſimus hic noſter Antiſtes. *Camaldulenſes* namque Monachos, quibus hæc Urbs carebat, quorumque contubernio apud nos ſummoperè Sanctus Carolus frui exoptabat, in hanc Civitatem accivit; iiſque Sedem fixit in Æde Sancti Viti, prope Carrubium Ticinenſis Portæ. Modico tamen tempore ibidem conſtitêre; ægrè enim ferentes tumultum perſtrepentis turbæ, inimicum ſolitudini & ſilentio, quæ potior eorumdem Inſtituti pars ſunt, extra mœnia ejuſdem Portæ, in Ædem Sancto Chriſtophoro Sacram ſe receperunt. Quamvis autem Succeſſor Vicecomitis Federicus Borromeus ampliorem Eremum aperuiſſet, alteramque extruendam prope Aronæ Oppidum polliceretur, Camaldulenſes e memorata Æde Sancti Chriſtophori aliò abierunt, neque amplius in hanc regionem redière.

Su-

Digitized by Google

Supererant *Infirmorum Miniſtri*, quorum opportuno ſubſidio hanc Metropolim ditavit Gaſpar Vicecomes. Eos inſtituerat Romæ Vir inſignis ſanctimoniæ Camillus de Lellis (nunc Pontificio oraculo Sanctis adnumeratus) ut languentibus atque in extremo vitæ poſitis ægris, ſpiritualium auxiliorum ope, dolorum acerbitatem lenirent, atque ad ultimum ſpiritum in oſculo Domini fundendum ſalutaria media ac monita ſuppeditarent. Domicilium primò habuere Sancti Camilli Sectatores in Portæ Romanæ regione; dein largitate piorum nobilium quorumdam Civium traducti ſunt ad Ædem Virgini Annunciatæ ſacram, prope Templum Sanctæ Mariæ Podonis in Vercellenſi Porta. Tranſiêre demum ad Ædem Sanctæ Euphemiæ, ferme omnino collapſam in Orientali regione, ubi ſubſequenti ætate Templum ac Cœnobium excitaverunt, eximiiſque indefeſſæ caritatis exemplis ad ægrotorum ſolatium, atque animarum poſtremo conflictu cum tenebrarum poteſtatibus colluctantium ſubſidium perpetuò inſudantes, Civium omnium gratiam amoremque ſibi quovis tempore devinxêre.

Inoleverat, præcipuè apud vulgus vino & popinis publicis deditum, peſſima conſuetudo, incontinentia videlicet linguæ, qua blaſphemas inhoneſtaſque voces paſſim edens, & Superûm reverentiæ injuriam, & innocentiæ puſillorum vulnus inferebat. Ad exſtirpandam noxiam hanc radicem amantiſſimus Paſtor Vicecomes Virorum pietate clariorum Societatem inſtituit ante Aram Sanctæ Agnetis Virginis & Martyris in Templo Maximo, quam ipſe impensè colebat; iiſdem injungens, ut ſi quos tam turpiter delinquentes of-

 ſen-.

ſendiſſent, partim ſuavi admonitione, partim ſeveris objurgationibus, ad eluendas a fœculento hoc toxico fauces, omni chriſtianæ caritatis induſtriâ compellere conarentur. Viguit in aliquod tempus pium hoc Opus; ſed poſtea ſolita humanarum rerum viciſſitudine prorſus obſolevit. Revixit tamen in Ædibus Sancti Sepulcri, in quibus hujuſmodi Conſortio adſcripti pii homines, feſtivis diebus Cauponas bini & bini circumeunr, non parvo emendationis pravè loquentium fructu. In eo autem munere peragendo, ſingulare aliquando religioſæ patientiæ experimentum dedêre; perculſi enim alapâ in vultu, juxta Evangelicum monitum alteram genam obtulerunt, ſimile probrum tolerare parati; atque ita confusâ percutientium audaciâ, plus illuſtris hæc manſuetudo, quàm officiorum omnium humanitas, ut reſipiſcerent apud illos profecit. Debetur Inſtitutori Archiepiſcopo Vicecomiti, qui primus hanc normam ſtatuit, familiaris prædicti vitii jam penè extincti proventus; cùm ævo noſtro caſtigatior ſit plebejorum hominum ſermo.

Omittenda minimè eſt invictæ conſtantiæ mentio, in propugnanda antiquæ Eccleſiæ diſciplina, quam Gaſpar Vicecomes palam oſtendit, dignamque immortali memoriâ cenſuerunt Carolus a Baſilica-Petri *in Vita Sancti Caroli*, & Boſca *in noſtri hujus Archiepiſcopi* pariter *Vita*; quamvis incaſſum abierit labor omnis. Vetaverant Sacri Canones, ne quis, licèt Dignitate inſignitus, ſed Sacris non initiatus, in area Sacerdotum conſiſteret, dum Divina Officia & Sacrificia celebrarentur. Inviolatum hunc morem ſervavit vigilantiſſimus Archipræſul Carolus, præſcribens Supremo Inſubrum

Mo-

Moderatori Sedem, extra primarii Sacerdotii cancellos. Evocato eo ad cœleſtem gloriam, acerrima exarſit contentio, ſtationem in ipſo Cleri Majoris Choro Gubernatori aſſignandam poſcentibus Regiis Miniſtris; quibus tamen infracto animo ſemper obſtitit Archiepiſcopus Vicecomes. Verùm delatâ ad Apoſtolicum Solium Causâ, Pontifex Maximus Sixtus V. Antiſtiti noſtro in mandatis dedit, ut reſeratis cancellis, Sedem tentoriolo tectam collocari ſineret, e regione Archiepiſcopalis, Principi gubernanti; circumſcripto tamen privilegio hoc iis limitibus, qui ſtatuti ab ipſo leguntur in archetypis Literis, quæ in Archiepiſcopalis Curiæ Archivo cuſtodiuntur. Itaque obtemperandum fuit Supremo Hierarchæ jubenti, & uſque in hunc diem inducta hæc conſuetudo perſeverat.

Plura aliarum virtutum exempla, quarum exercitatione emicuit Vicecomes, Vitæ ejus Scriptor Boſca commemorat. Inter ceteras ſingularem laudem merentur concionandi frequentia, quotieſcumque videlicet Paſtoralis ſui officii munus aliquod Infulâ ornatus perageret; Sacrorum Rituum cuſtodia, ob quam Liturgicum Librum, a Sancto Carolo inchoatum ſed mancum relictum, perfecit evulgavitque; effuſa in pauperes largitas, cujus luculentum teſtimonium præbuit, inſtituto ultimis Tabulis Hærede ex aſſe, Majore Noſocomio; peculiaris denique propenſio animi erga Studia Literarum Scientiarumque, in quorum gratia non modò ſæpiſſimè inviſebat Seminaria, ſed etiam Principes Viros huc adventantes (ſicuti cum Legatis Japponenſibus jam egerat) ad eadem invitabat, deducebatque tamquam ad Theatra nobilioris omnis oble-

Digitized by Google

oblectamenti, Loca illa delicias ſuas ſuaviſſimas nuncupans, atque glorioſè oſtentans.

Diuturnius regimen Mediolanenſis Eccleſiæ ab hoc digniſſimo Archiepiſcopo ſperabant Cives, cùm nondum ſexageſimum ætatis annum attigiſſet. Verùm inopinatus lapſus, altero crurum peſſimè afflicto, poſt paucos morbi dies, vitæ illius exitum maturavit. Deceſſit die XII. Januarii (Ughellus lapſu calami, ùt credi poteſt, ſcribit IV. Januarii, cùm tamen referat Epitaphium, quod clarè adnotat *Pridie Idus Januarii*) Anno MDXCV., exactis in adminiſtranda Eccleſia Ambroſiana annis decem, menſe uno, & diebus treſdecim. Sepulcrum ſibi delegit ante Sacellum Sanctæ Agnetis Virginis & Martyris in Baſilica Metropolitana, inſtituto etiam ad illius Aram quotidiano Sacerdotio: Hæredes autem inſculptam Lapidi Sepulcrali ſequentem Epigraphen appoſuêre.

GASPARI VICECOMITI

MEDIOLANENSI ARCHIEPISCOPO

QUI ADULTA VIX ÆTATE PUBLICIS PRÆCLARISQUE

MUNERIBUS

SUMMA CUM LAUDE PERFUNCTUS,

JAM MATURA NOVARIENSIS EPISCOPUS

A GREGORIO XIII. DESIGNATUS

MOX

MOX IN CAROLI CARDINALIS BORROMEI DEMORTUI
LOCUM SUFFECTUS
ECCLESIAM MEDIOLANENSEM ANNOS X.
PIE RECTEQUE ADMINISTRAVIT,
OBIIT ANNO ÆTATIS SUÆ LVII. PRID. IDUS JANUARII
MDXCV.
XENODOCHII MAJORIS HUJUS URBIS
PRÆFECTI HÆREDES
PP.

Digitized by Google

FEDERICUS I. BORROMEUS.

AMiſſo in terris amantiſſimo Patre, ſed acquiſito in Cœlis potentiore, ac ferventioris caritatis igne ſuccenſo Patrono Carolo Borromeo, cùm iterum vacua eſſet Archiepiſcopalis hæc Sedes ob Gaſparis Vicecomitis obitum, univerſa Civitas noſtra, finitimi Helvetii, Duxque Parmæ Alexander Farneſius in alterum Borromeum, nempe Federicum, oculos defixêre, votis omnibus exoptantes, ut in Mediolanenſem Archiepiſcopum ipſe deligeretur; atque ideo ſupplices Pontificio Solio preces affuderunt, ut benignâ indulgentiâ hanc illis gratiam impertiretur. Excepit benevolo animo juſtas haſce poſtulationes, Clemens VIII. Pontifex Maximus, cùm eidem comperta jam foret ſingularis caſtigatiſſimæ vitæ integritas, cum clari ſanguinis & Sacræ Purpuræ ſplendore conjuncta, qua Federicus Borromeus in principe Urbe jam effulgebat, nec aliud ipſi deeſſet ad hanc Dignitatem, niſi maturior ætas. Nec diu moratus eſt Supremus Hierarcha ad propoſitum hoc ſuum Borromeo patefaciendum. Inhorruit ille, veluti fulminis ictu perculſus, unuſque, bonis omnibus de hac re conſciis plaudentibus, dolens obſtitit, paratus generoſam venienti honori repulſam dare; cùm enim in eo virtutum omnium gymnaſio, quod eidem aperuerant duo illi ſanctimoniæ Magiſtri Carolus & Philippus Nerius, veræ humilitatis præcepta didiciſſet, ita de ſeipſo demiſsè ſentiebat,

bat,

bat, ut imbecillitatem ſuam non modò extolleret apud omnes, ſed etiam formidaret. Opus itaque fuit conſilio exhortantis Nerii, quem etiam viventem ſummoperè reverebatur, eo a Confeſſionibus utens, & cujus Vitam primus ipſe digeſſit, inter MStos Codices Bibliothecæ Ambroſianæ ſervatam. Acceſſit ſubinde etiam Pontificis Snmmi jnbentis auctoritas, ad repugnantem ipſius animum flectendum, ſeque in obedientiæ victimam Pontificiis præceptis offerendum. Peracto hoc acerbiſſimi doloris ſacrificio, Clemens VIII. Anno MDXCV., die XXIV. Aprilis in pnblico Conſiſtorio Federicum Borromeum, Mediolani Archiepiſcopum renunciavit; quinimo, ut ſplendidiùs altam, quam de Borromei merito opinionem conceperat, cunctis palam faceret, propriis manibus die XI. Junii ejuſdem anni, Sacri Chriſmatis unctionem eidem impendit.

Auctus hujuſmodi honore Federicus, a Romana Urbe digreſſus, veluti Dux imperterritus invictiſque armis munitus, ad indicendum vitiis bellum, promovendumque Gregem ſibi commiſſum ad ſecuram Cœleſtis Regni adeptionem, Mediolanum feſtinavit. Ingreſſus eſt hanc Metropolim die XXVIII. menſis Sextilis feſtivâ eâ tum Civium tum Exterorum acclamatione, quæ fervidis omnium deſideriis de ipſo in Antiſtitem recipiendo reſpondere valeret. Ampliſſimus hic nobis campus aperitur, tantâ inſignium operum fœcunditate redundans, ut ad meſſem omnem colligendam anguſta area ſit, etiam Volumen illud magnæ molis, in quo Franciſcus Rivola præclariſſimas ejuſdem Vitæ res geſtas digerere eſt conatus. Nos Inſtituti noſtri tramiti inſiſtentes, ex feraciſſi-

mo hoc campo manipulos tantùm aliquos reportabimus; eos videlicet, qui Archiepiſcopale munus ſanctiſſimè a Federico adminiſtratum illuſtrare vividiùs poſſunt. Porro non indiguit longo tyrocinio Borromeus, ut ad rectè pertractandas habenas hujus ampli regiminis erudiretur. Siquidem Mediolani degens, ab ore ipſo Sancti Caroli Archiepiſcopi, Patruelis ſui, hujus rei præcepta perceperat, atque ſanctiſſima exempla conſpexerat. Quin etiam, cùm Gaſpar Vicecomes in Eccleſia Mediolanenſi Sancto Carolo datus fuiſſet Succeſſor, Literas a novo hoc Antiſtite receperat Federicus, quibus ſignificabat, ſe diutiùs adhuc moram in alma Urbe tracturum, ob expedienda gravis momenti negotia, id jubente Summo Pontifice; adeòque Federicum deprecabatur, ut ſuo nomine Congregationibus præſideret, & univerſam Mediolanenſem Eccleſiam eo abſente moderaretur. Quamobrem quidquid ad conſervandum inſtitutam a Sancto Carolo morum diſciplinam exigebatur, experientiâ ipsâ magiſtrâ didicerat; atque ideo nihil moratus eſt, quo minus poſt primum Sacrum in Confeſſione Sancti Ambroſii celebratum, & alterum Solemne ad Aram Maximam Metropolitanæ Baſilicæ, dilecto Gregi ſuo ſolicitâ curâ conſulere inciperet, ſalutaria Edicta evulgans, nullumque diem præteriens, quem non ſignaret illuſtri aliquo opere, edito ad Ovium ſuarum amplificandum proventum, ac pietatem vividiùs iiſdem inſpirandam.

Verùm ſerenitatem hanc dierum ſtatim excitata a Regiis Miniſtris procella inopinato turbine obnubilavit. Siquidem perturbatam ab ipſo Regiam juriſdictionem conquerebantur, miſerantque ad Hiſpanicam Aulam Philippi II. Regis

gis Catholici querelas, pluribus etiam auctas calumniis; inde verò ad Summum Pontificem litis judicium devolutum fuerat: quocirca neceſſe fuit, ut Federicus Archiepiſcopus Cauſam ſuam propugnaturus apud Supremum Hierarcham, Romam illico properaret. Dum autem inter Pontificios Regioſque Miniſtros agitarentur conſilia de componenda in amicam concordiam hac controverſia, infauſtum nuncium mortis Philippi Regis ad almam Urbem delatum, ſpem vicinæ conciliandæ pacis prorſus abrupit; expectanda namque erant Philippi III. mandata, ut de ineundo hoc inter utrumque Forum fœdere conditiones proponerentur, atque invicem acceptatæ, Regio Hiſpaniarum Monarchæ conſenſu firmarentur. Novas interim faces ardenti huic igni ſubdentibus in dies Regis Miniſtris tam longè protracta ſunt hæc diſſidia, ut integros viginti annos abſumpſerint; cùm nonniſi Anno MDCXVIII., ſubſcriptione Philippi III. accedente, vulgari typis Concordia potuerit; ad quam ſtatuendam immanes centum mille aureorum nummûm ſumptus Federicus Borromeus Archiepiſcopus tolerare debuit, ut Succeſſoribus ſuis tranquillam hanc quietem pararet, quemadmodum ipſemet in alterò memoratæ Concordiæ impreſſo Exemplari, quod Ambroſiana Bibliotheca cuſtodit, propriâ manu adnotavit, ſeque in fidem ſubſcripſit.

Non tulit diuturnam moleſtamque deſiderio inviſendi ſui Gregis, hujuſmodi moram amantiſſimus Paſtor; adeòque Româ ſe proripuit Anno MDCI.; Sed in itinere ſubſiſtere debuit, vehementiſſimæ febris malignitate uſque ad extremum

vitæ perductus. Implorată tamen Sancti Caroli ope, illius præſentiſſimum auxilium perſenſit, atque ob conclamatam Medicorum judicio ſalutem a manifeſto mortis periculo fuit ereptus, tantâ virium integritate, ut citiſſimè ad hanc Metropolim advolare valuerit. Sedi ſuæ reſtitutus, poſt aliquot dierum breve intervallum ob recipiendas Optimatum & Civium gratulationes, laborioſiſſimum opus peragrandi Paſtorali viſitatione Diœceſim univerſam aggreſſus eſt. Quot incommoda in ardua hac peregrinatione perpeſſus ſit accuratiſſimus hic Antiſtes, pleno tractatu complexus eſt laudatus Rivola, *in ejus Vita*. Quamobrem ſupervacaneum cenſemus, res jam obvias oculis omnium hìc recudere, cùm ex ubertate fructûs quem retulit, compertum ſatis fiat, qua diligentia ac ſudore agros hoſce Dominicos excoluerit Federicus. Sanè aſſiduo Concionum labore, privatis exhortationibus, præſertim verò ſumma comitate, etiam cum Ruſticis, & infima plebe malè olente ac fœculenta (a qua cùm illum Familiares aliquando dimovere vellent, ait: *nonne animæ meæ ſunt iſti quoque? Cur illas vinculis caritatis ſinui meo non adſtringam?*) id aſſecutus eſt, ut depoſitis odiis quæ invaluerant, amotis inhoneſtæ licentiæ ſcandalis, caſtigatâ demum negligentiâ Paſtorum, & præmio donatis qui vigiles fidique Cuſtodes gregis inventi fuerant, tum Clerus tum populus ad Eccleſiaſticæ Chriſtianæque diſciplinæ leges, mores ſuos compoſuerint.

Opimis hiſce profligatæ pravitatis ſpoliis onuſtus Federicus, reverſus eſt Mediolanum, ſtatimque de extendendo in univerſam Provinciam proventu hoc animarum cogitavit;

atque

atque ideo rebus omnibus in ordinem redactis, Concilium Provinciale indixit, celebravitque die XIV. Maji, Anni MDCIX., adſtantibus Suffraganeis omnibus Epiſcopis, præter Savonenſem, qui tunc fungebatur Pontificia Legatione ad Ducem Sabaudiæ, adeò ut XVII. Antiſtites in Sacro eo Congreſſu numerarentur; vocatus enim fuerat Mediolanum Antonius Seneca Epiſcopus Anagninus, utpote olim Sancto Carolo familiaris, & Conciliorum quæ ille celebraverat intimus ſpectator atque director. Renovata ſunt Decreta, quæ ediderat ſanctiſſimus ille Archipræſul, aliaque addita, quæ ad Dei cultum, Cleri diſciplinam, bonamque animarum frugem parandam neceſſaria tum in hac, tum in ſingulis Provinciæ Diœceſibus videbantur. Decretum item fuit, ut nomine totius Concilii ſupplices Literæ darentur ad Paulum V. Summum Pontificem, ut Carolus Borromeus Archiepiſcopus in Sanctorum album referretur; atque ita Bonis omnibus exultantibus abſolutum eſt Concilium. Antequam tamen ad ſuas Eccleſias Epiſcopi Suffraganei proficiſcerentur, præſenti tunc occaſione uti voluit Federicus, ut ſacram majeſtatem adderet Translationi Sanctorum Corporum Calimerii, Auxani, Manſueti, & Martiniani Mediolanenſium Antiſtitum, aliarumque Reliquiarum, quas ipſe nobiliori tumulo donare meditabatur. Itaque die XXVIII. Maji inſtituta eſt ſolemnis Supplicatio, ad quam convenêre Epiſcopi omnes, qui ſuppoſitis humeris ad Sacra ea Lypſana deferenda, ipſo etiam Archiepiſcopo idem obſequium præſtante, Metropolitanam Baſilicam versùs proceſsêre, Senatu comitante, Magiſtratibus, Nobilium choro, immensâque populi turbâ. Illuc delati, in

Ara

Ara Maxima, aliiſque ornatiſſimis tabulatis depoſita fuêre pretioſiſſima hæc pignora: Federicus autem Archiepiſcopus ſuggeſtum aſcendit atque elegantiſſimam Orationem habuit, qua abſoluta omnes receſsêre. Ut verò non ſolùm religionis ſuæ, ſed etiam caritatis exemplum præberet Borromeus, duodecim pauperes ad opiparam menſam vocavit, cui Epiſcopi ſibi gloriæ adſcripſerunt demiſsè inſervire; atque ita, inſigni hujus rei memoriâ apud Cives manente, actiſque ab Archiepiſcopo gratiis, donati ſimul ab eodem aliquâ Reliquiarum Sacrarum portione, Suffraganei Antiſtites ad propria rediêre.

Non ſatìs tamen fuit Borromeo Archiepiſcopo, ſalutaribus Legibus conſuluiſſe bono Diœceſis Mediolanenſis, atque aliarum Provinciæ. Pr. piùs excolere voluit hanc noſtram, ut ſpeculum & exemplar perfectæ ſanctimoniæ ceteris foret; adeòque Diœceſanas Synodos indixit tantâ frequentiâ, ut Vitæ ipſius Scriptor Rivola aſſeruerit, uſque ad XIV. fuiſſe a Federico Archipræſule celebratas. Siquidem ferventiſſimâ ardens erga gregem ſuum dilectione, moras non patiebatur, ſemperque animo revolvebat conſilium ejuſdem adjuvandi ad præſtandum Deo cultum, ſibique promerendum gratiæ illius auxilium, ac cœleſtia paſcua conſequenda.

Animadverterat Federicus, adoleſcentiam & juventutem, eam eſſe vitæ partem, quæ veluti mollis cera, facilis eſt in vitium flecti: Quocirca ſex in hac Metropoli Oratoria erexit, quæ ipſe appellavit *Secreta*, ſub patrocinio ac Titulo Beatæ Mariæ Virginis, regimini eorum præſidente Generali Præfecto Doctrinæ Chriſtianæ. In iis autem collegit flo-

florem adoleſcentum & juvenum, aſſignatis Regulis perſolvendi Beatiſſimæ Virgini laudes, ſeque in aliis piis operibus exercendi ſingulis diebus Feſtis; ac datâ etiam facultate, ut in reliquis hebdomadæ Feriis, omnibus expletis quæ pietas & ſtudia exigerent, honeſtis ludis ſeſe recrearent, ne vagi per Urbem diſcurrerent, atque a Sociis vitæ laxioris depravarentur. Cùm verò ab hiſce Conſortiis ſecluderentur qui nuptias inirent, ut etiam iſtis non deeſſet caritatis ſuæ ſubſidium, alterum Oratorium conſtituit, in quo iſti quoque, legibus ſuis adſtricti, opera piæ converſationis exercere valerent.

Neque a Virginibus, quæ ſe Deo offerre peroptabant, deſiderari auxilium ſuum paſſus eſt Federicus. Cùm enim duodecim Adoleſcentulæ domum conduxiſſent, in qua ſimul degerent in Porta Comenſi, parvamque Eccleſiam conſtruxiſſent, earum vota benignè excipiens Archiepiſcopus Anno MDCXIX. Congregationem Virginum ibidem inſtituit, iiſdem injungens, ut ſingulis diebus Feſtis Doctrinæ Chriſtianæ rudimentis puellas inſtruerent, Locum illum appellans *Collegium Virginum Sanctæ Mariæ Angelorum*. Quia verò voti ſui erat, ut curam cuſtodiamque puellarum ſuſciperent, quæ ob inopiam periculis animæ patebant, poſt biennium facultatem iis præbuit Monialium veſtes induendi. Obſtabant deſiderio pii Paſtoris Collegii illius anguſtiæ; quapropter aliò puellas haſce transferendi conſilium cepit, ideoque locum delegit e regione Cœnobii Cappuccinorum in Porta Orientali, illumque vocavit titulo *Sanctæ Mariæ Roſarii* Anno MDCXXX., ac prædictas adoleſcentulas propriis ſumptibus aluit,

omnia

omnia quæ opus erant ſubminiſtrans. Imo ultimis Tabulis ſtatuit, ut iiſdem etiam poſt obitum ſuum, quod ipſe vivens largiebatur, ſubſidium præſtaretur.

Migraverant aliæ Virgines, ſub vexillo Sanctæ Urſulæ militantes, a Portæ Novæ confiniis, ubi nimiùm periculis patebant, utpote ab hominum commercio veluti ſejunctæ, in Ædes Portæ Vercellenſis, *Sanctæ Luciæ* dicatas. Cùm autem ſpiritu ferverent, ſeque Deo arctiùs obſtringere cuperent, atque ad Pontificium Pauli V. Solium preces dediſſent, ut omnino in clauſtris clauſæ Mundo valedicere poſſent, Federicus, annuente hiſce Virginum votis Pontifice Maximo, Anno MDCXXI., die Aſſumptioni Beatæ Virginis ſacro, ſolemni cæremoniâ, albo Sancti Benedicti indumento eas obtexit, Sanctiſſimi illius Patriarchæ Regulis eaſdem addicens. Incolebant domos quaſdam Eccleſiæ Sancti Barnabæ proximas geminæ Virgines ætate ſatis provectæ, quæ ſub diſciplina Patrum Congregationis Sancti Pauli adeò ſuccenſæ fuerant caritatis igne erga Deum ac proximum, ut alias etiam puellas colligerent, eodemque ſpiritu inflammatas in alia poſtmodum Civitatis Cœnobia eas diſtribuerent virginitatis ſuæ florem Cœleſti Sponſo conſecraturas. Cœpêre ſubinde animo cogitationem revolvere conſtruendi prope Locum in quo degebant, Collegium, ut in eo commodiùs poſſent puellas alias educare, quæ deſiderio ſe totas Deo devovendi urgerentur. Approbavit pia hæc vota Federicus Archiepiſcopus, adeòque quarumdam Matronarum largitate amplioribus coëmptis domibus, ædificari cœpta fuit Eccleſia & Collegium, primum lapidem in fundamentis deponente Archi-

præ-

Digitized by Google

præſule Borromeo Anno MDCXXII., Feriâ V. poſt Paſcha; tantâque ſolicitudine peractum eſt ædificium, ut Federicus die XXVI. Maji in eadem Eccleſia, dicata *Sancto Philippo Nerio*, circa ea tempora in Sanctorum album relato, Sacra celebrare potuerit, omneſque illas Virgines peculiaribus Monialium veſtibus induere, Regulis aſſignatis, quas memoratus Archiepiſcopus decerpſerat ex iis Congregationis Patrum Barnabitarum, a Sancto Carolo confirmatis, necnon aliis, quibus exactè obtemperant Angelicæ Virgines Sancti Pauli Mediolani. Aliud etiam Cœnobium inſtituit in regione Portæ, qua Vercellas itur, ſelectas Virgines in illud inducens, quæ ſpiritu ferventes Cappuccinorum Ordini adſcribi voluere. Temperavit tamen Federicus primævam Regulam Sanctæ Claræ, molliоremque reddidit peculiaribus Conſtitutionibus ab ipſo præſcriptis, quas pati poſſet declinans ab antiquo robore noſtrorum temporum infirmior ætas. Primum ipſe Sacrum in Eccleſia recenter ibidem extructa ac dicata *Sanctæ Mariæ Lauretanæ* celebravit Anno MDCXXVI., die XXVII. Decembris, & Cappuccinarum habitu illas induit; expletiſque duobus tyrocinii annis, eas ad vota emittenda, quibus Deo ſolemni ſacrificio ſe devoverent, admiſit; utque eaſdem muneris quod ſuſceperant admoneret, Eccleſiam, quæ albis ornata periſtromatis virginitatis candorem indicabat, aliis rubri coloris veſtiri juſſit; ut hac commutatione edoceret, eas non ad dulcem inter lilia quietem, ſed ad juge inter denſa Regularum ſuarum dumeta martyrium vocari. Cur autem tam frequens foret Borromeus Paſtor in novis ſemper Regularibus clauſtris condendis, ipſemet ſemel dixit his verbis: *ſa-*

cra ea Cœnobia, eſſe validiora Urbium propugnacula tum ad avertendas infeſtiores ærumnas, tum ad implorandam a Deo gratiam ſemper uberiorem.

Poſtquam juvenili ætati, ac etiam Conjugatorum cœtui munimenta quædam adversùs Inferorum inſidias paraviſſet, Virgines autem in tutis Cœnobiorum caſtris collocaſſet, præſtò eſſe Viduis quoque voluit Federicus; adeòque cùm religioſæ aliquæ Nobiles Matronæ illius ſubſidium imploraſſent, eas, quæ reliquo vitæ tempore Deo vacare cupiebant, primò in memorato Sancti Philippi Nerii Collegio prædictis Virginibus ſociavit. Verùm ſuccreſcente in dies Virginum numero, cùm pati ampliùs non poſſent Loci anguſtias, in Portæ Novæ fines Viduis transferre Borromeus decrevit. Collecto igitur ære ad ſumptus neceſſario, Collegium erectum eſt e latere Fratrum Seraphici Ordinis, quos *Sancti Angeli* appellant, ſimul cum Eccleſia adnexa, cui Titulum *Præſentationis Beatiſſimæ Virginis & Sanctæ Paulæ Matronæ* indidit Federicus; atque ibidem eis Sedem conſtituit Anno MDCXXXI.; Illudque in hunc diem viget, non modico religioſæ pietatis exemplo, tranquilloque commodo hujuſmodi Matronarum, laborioſos ſenectutis annos ad animæ ſalutem feliciter tranſigendi.

Diſtributis ita cuilibet fœminei ſexûs ordini idoneis Sedibus, ut veluti in concluſis Hortis degentes, longè a fæculentis viis mundanæ licentiæ dicatum Cœleſti Sponſo animæ candorem intactum ſervarent, ad locupletandam Eccleſiam ſuam præclarâ Regularium Virorum ſobole paſtoralem curam revolvit Archiepiſcopus Federicus. Opportunè ſeſe ob-

obtulêre Magnæ illius Matris Sanctæ Thereſiæ Filii, Carmelitæ ſcilicet Diſcalceati, quos in Hiſpaniis generoſa ea Virgo ad omnem ſanctimoniæ laudem inſtruxerat atque educaverat. Diu expectandum fuit, ut illa amplæ hujus Metropolis pars deligeretur, quæ peculiaribus ejus Inſtituti legibus obſervandis aptior foret. Reperto tamdem remoto a vulgi rumoribus Loco in confiniis Portæ, quam *Novam* vocamus, Religioſum hunc Cœtum paterno amore complexus eſt Borromeus Antiſtes, poteſtatem faciens ibidem conſtruendi Cœnobium ſub Titulo *Sancti Caroli*, expeditis Literis, quas hìc integras ex ejuſdem Monaſterii MSto Codice recitare non incongruum exiſtimamus; præſertim cùm in iiſdem eluceſcat propenſus erga hunc Ordinem animus Federici, Cives enixè adhortantis, ut liberale auxilium præſtarent tam proficuo Operi perficiendo.

„ Federicus miſeratione Divina Tituli Sanctæ Mariæ An-
„ gelorum, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis
„ Borromeus, Sanctæ Eccleſiæ Mediolanenſis Archiepiſcopus:
„ Dilectis nobis in Chriſto RR. FF. Joanni a Jeſu Maria
„ Generali, & Angelo a Jeſu Maria Priori Cremonæ; nec-
„ non ceteris Fratribus Ordinis Carmelitarum Diſcalceatorum
„ ſalutem in Domino. Licèt Monaſteria Religioſorum ſint
„ Civitatum & Locorum propugnacula, tamen juſtâ ratione
„ ſuadente, Sacroſanctis Conciliis, ad excludendam ac re-
„ primendam quorumdam Monachorum præſumptionem, qui
„ ſuperioribus temporibus indifferenter per Civitates & Loca
„ euntes, Monaſteria auctoritate propriâ ædificabant, ſanci-
„ tum fuit, ne impoſterum Monaſteria ſine licentia ac con-

„ ſenſu Ordinarii illius Civitatis vel Diœceſis, ubi erigi de-
„ berent, conſtruerentur. Nunc cupientes vos in Porta No-
„ va Parœciæ Sancti Bartholomæi almæ Urbis Mediolani,
„ ad honorem Dei, necnon ad animarum ſalutem Monaſte-
„ rium unum veſtri Ordinis ſub invocatione Sancti Caroli
„ ædificare, pro ea quæ ſacris legibus debetur obſervantia,
„ a nobis humiliter hac de cauſa facultatem poſtulaſtis.
„ Quare ſperantes nos, hujuſmodi Monaſterii erectionem &
„ honori Dei & ſaluti animarum multùm profuturam; ma-
„ ximèque cùm in vobis non videamus cauſas illas milita-
„ re, ob quas Sacroſancta Concilia prohibent, Monaſteria
„ abſque conſenſu Epiſcoporum non eſſe erigenda, decrevi-
„ mus precibus veſtris annuere, & ut in eiſdem Porta &
„ Parœcia Civitatis Mediolani Monaſterium ipſum ſub invo-
„ catione Sancti Caroli conſtruere & ædificare valeatis, fa-
„ cultatem auctoritate noſtra ordinaria, vel aliàs omni me-
„ liori modo, via, jure, & forma, quibus melius & vali-
„ diùs potuimus & poſſumus, his noſtris Literis concedi-
„ mus, conſenſumque noſtrum præſtamus: Dummodo ad præ-
„ ſcriptum Conſtitutionum Pontificiarum, numerus ſaltem
„ duodecim Fratrum in eodem Monaſterio ſuſtineatur, ac
„ cetera diligenter ſerventur, quæ non ſolùm in iiſdem Con-
„ ſtitutionibus, ſed etiam in Conſtitutione Sanctiſſimi Domi-
„ ni Noſtri Papæ Clementis VIII. hoc de genere editâ con-
„ tinentur. Præterea omnes Mediolanenſes ad vobis auxilian-
„ dum in hujuſmodi opere perficiendo, etiam atque etiam
„ rogamus. In quorum &c. Ex Palatio Archiepiſcopali no-
„ ſtro, die VII. Februarii MDCXIV.

„ ✠ Federicus Cardinalis Borromeus.

Por-

Porro vigilantiſſimi hujus Paſtoris votis atque omnium Civium expectationi optimè reſpondit recens iſte ſeverioris diſciplinæ Sectatorum manipulus; non ſolùm enim aſſiduæ Orationis exercitatione & exactâ ſolitudinis cuſtodiâ juxta Leges a Sancta Matre Thereſia præſcriptas, ducendæ in terris cœleſtis vitæ exemplum præbuit, ſed etiam univerſæ Civitati rem gratiſſimam præſtitit, aperto primùm in hac Metropoli Templo, in honorem Sancti Caroli, quadriennio ante Cœlitum albo adſcripti, quod magnificentia omni elegantiâque conſtructum, Civibus Exteriſque, ad implorandum tanti Parentis noſtri juge patrocinium, etiamnum religioſo ſimul ſplendidoque incitamento deſervit.

Adſuit quoque ad florentem hanc Domini Vineam in tuto ſervandam ſacra altera vigilum Cuſtodum turma. Cùm enim celeberrimi illius Doctoris Eccleſiæ Auguſtini Alumni, appellati *Eremitani Diſcalceati* in unum Corpus coaluiſſent, atque ab Hiſpanicis regionibus per Italiam ſe diffudiſſent, in Mediolanenſi etiam Metropoli Sedem figere peroptarunt. Benigno vultu illos excepit Cardinalis Federicus Borromeus ad ejus pedes humiliter provolutos, nec deſiderari ab ipſis patrocinium ſuum paſſa eſt pia Nobilium largitas, quæ novis hiſce Divini cultûs propagatoribus ſtationem atque alimenta paravit. Recenſet inter alios unum ex præcipuis noſtræ Urbis Optimatibus Archiepiſcopus Federicus in Literis Conſensûs a ſe præſtiti, datis *ad Rev. Fratrem Valerianum a Sancto Auguſtino, ordinario Eremitarum Sancti Auguſtini Provinciali Janunſi, & Lombardiæ*, his verbis: *Cùm nobis exhibueris Donationem, tibi nomine tuæ Religionis nuper factam*

ctam a Perilluſtri Domino Comite Carolo Franciſco Gabriele Dominico Sorbellono de omnibus & quibuſcumque juribus, præfato Domino competentibus in Eccleſia, erecta & conſtructa ſub Titulo Sanctæ Franciſcæ Romanæ, *ſita in Loco appellato* le Caſcinelle, *Corporum Sanctorum extra Portam Orientalem Parœciæ Sancti Babylæ extra mœnia Civitatis Mediolani - - - - - - & ideo expoſueris, cupere in eadem Eccleſia Sanctæ Franciſcæ, ad honorem Dei, necnon etiam ad animarum ſalutem, Monaſterium unum tui Ordinis erigere* &c., *nos decrevimus precibus tuis annuere* &c. Expeditæ ſunt hæ Literæ die XV. Januarii, Anni MDCXXIX. Opportuna ſanè fuit Sacra hæc Phalanx in ferali eo diſcrimine, quod paucis poſt menſibus Mediolanenſem Urbem teterrimè afflixit, peſtiferâ videlicet contagione, per compita noſtra debaccante. Siquidem Fratres iſti inter ceteros ſeſe impavidè obtulêre ad ægrotis inſerviendum in proximo Noſocomio; & quamvis contracta lues nonnullos eorumdem morte abſumpſiſſet paucis exactis diebus, reliqui nihilominus ſuſceptum hoc Chriſtianæ caritatis opus intrepidè ſunt proſecuti. Quamobrem capti opinione religioſæ virtutis, quæ in iiſdem tam ſplendidè effulgebat, Præſules ſuccedentes, eos patrocinio foverunt, atque etiam alio in Urbe ipſa Domicilio donarunt, quod antea *Baſiliani Monachi* incolebant. Sed antequam quidquam de hoc proferamus, neceſſarium cenſemus, verba facere de Baſilianis iſtis Fratribus, ex Armenia in Italiam, ac deinde Mediolanum invectis, quorum vix ulla in Hiſtoriis noſtris mentio eſt, cùm tamen per longum ævum Metropolim iſtam incoluerint.

Occa-

Occaſionem ex Armenia in Italiam tranſmigrandi Baſilianis Monachis præbuit immanis crudelitas Barbari Ægyptiaci Principis Anno MCCXCVI., qui cùm, Caſſano Perſarum Rege mortuo, Armeniæ Provinciam armis pervaſiſſet, inter alia barbaræ feritatis exempla, Monachos præſertim Sancti Baſilii acerrimè inſectatus eſt, pluresque illorum acerbiſſimis ſuppliciis, uſque ad martyrium conſtantiſſimè ab iiſdem toleratum, afflixit. Diu perduravit crudelis hæc perſecutio; quamobrem nonnulli ex iis Monachis a perfidi illius Principis tyrannide ſeſe fugâ ſubripuere, atque in Occidentem transfretaverunt; & in Genuenſi Urbe, ad cujus littus appulerant, ſedem fixerunt, benignè a Civibus & Januæ Præſule excepti. Inde verò plura per Italiam Cœnobia condidêre, eaque recenſet Auctor Gallicus in alibi laudata *Ordinum Regularium Hiſtoria*, Tom. I. Cap. XXX.

Quo tempore Mediolanum ingreſſi fuerint Baſiliani Fratres, prorſus latet. Ex Chartarum reliquiis, adhuc in Archivo Cœnobii *Sanctorum Coſmæ & Damiani* Portæ Orientalis aſſervatis, in quo prædicti Monachi olim degebant, nulla vetuſtior emergit memoria, quàm Anni MCDLXIII.: Ea tamen Monaſterium jam antea conditum indicat; idemque colligitur ex Literis, quibus Antonius de Magalantibus Prior Generalis Fratrum Armenorum Sancti Baſilii conſtituit Paulum de Laude Vicarium Generalem in Monaſteriis Januæ, Mediolani, & Parmæ. *Sancti Joannis Baptiſtæ* titulum prætuliſſe hoc Monaſterium & Eccleſiam adnexam, ad Annum uſque MCDLXXXIV. memoratæ Chartæ docent; ſequenti verò nomen Sanctorum Martyrum *Coſmæ & Damiani*, quod

etiam

etiam in præſentia perſeverat, inditum illis fuiſſe conſtat ex publicis Documentis ibidem aſſervatis. Neque a vero abſonum eſt opinari, ab iiſdem Baſilianis originem habuiſſe hanc Nominis commutationem; cùm Martyres iſti celebres eſſent in Eccleſia Orientali, & præſertim Armena.

Decidiſſe tamen, Sancti Caroli ætate a primævæ diſciplinæ obſervantia hoſce Sancti Baſilii Alumnos diſcimus tum ex authographis ejuſdem Sancti Caroli Epiſtolis, in Bibliotheca Ambroſiana ſervatis, tum ex Brevibus Literis Gregorii XIII. Pontificis Maximi, ad Sanctum Archiepiſcopum Borromeum directis, quibus Viſitatoris Apoſtolici munus ipſi injungit, ut in mores eorumdem diligenter inquireret, ac votum ſuum ad Sanctam Sedem remitteret. Placet hoc loco illas adtexere, cùm Auctores Vitæ Sancti Caroli iſta ſilentio prætereant:

„ Gregorius Papa XIII. Dilecte Fili noſter, ſalutem & „ Apoſtolicam benedictionem. Qui univerſarum Regularium „ perſonarum curam, diſponente Deo gerimus, de particu- „ laribus etiam ſolicitos nos eſſe convenit, ut Regularem „ diſciplinam quam debent, puram & integram ſervantes, „ tamquam frugiferæ arbores in Vinea Domini bonos pro- „ ferant fructus. Sanè accepimus, in Civitate Mediolani, „ cujus Tu ex diſpenſatione Apoſtolica Præſul exiſtis, adeſ- „ ſe Monaſterium ſeu Domum Sanctorum Coſmæ & Damia- „ ni Monachorum Ordinis Sancti Baſilii citra mare conſiſten- „ tium, in quo Monaſterio vel Domo unus Prior, & de- „ cem vel duodecim Fratres degunt, qui licèt ſint ejuſ- „ dem Ordinis Sancti Baſilii hujuſmodi, tamen ab ipſis Ar-

„ menis

„ menis omnino ſeparati ſunt, propriumque Priorem Generalem recognoſcunt, qui degit in Monaſterio Sancti Bartholomæi in Mortuo, prope & extra muros Civitatis Januenſis, a quo numquam, aut rarò viſitatur, & in modo vivendi, & in ratione cultus Divini, ac ritu Divinorum Officiorum ab Armenis differunt, nam horas Canonicas atque nocturnas latino more, & ſecundùm uſum Patriarchinum, ſive Eccleſiæ Aquilejenſis recitant; & quia ob paucitatem Monachorum hujuſmodi, ac negligentiam Superiorum actualium, Regularem diſciplinam ab eis, non ſicut par eſt, ſervari intelleximus; propterea dictum Monaſterium ſeu Domum Sanctorum Coſmæ & Damiani viſitandam eſſe cenſuimus, ut de ſtatu, regimine, & obſervantia illius, ex Viſitatione ipſa certiores effecti, prout expedire videbitur, opportunè provideamus. Itaque circumſpectioni Tuæ, de cujus probitate ac ſingulari in his rebus experientia plurimùm in Domino confidimus, auctoritate Apoſtolica tenore præſentium committimus & mandamus, ut Monaſterium ſeu Domum Sanctorum Coſmæ & Damiani hujuſmodi, ejuſque Priorem & Monachos, aliaſque perſonas tam in Capite, quàm in membris quamprimùm viſites, ac de ejuſdem ſtatu, forma, regimine, regulari diſciplina, Monachorumque moribus diligenter inquiras, & quæcumque reformatione, correctione, vel emendatione indigere cognoveris, auctoritate noſtra juxta eorum Regulam & Inſtitutum reformes, corrigas, & emendes, prout in Domino ſalubriter expedire conſpexeris. Diſtrictiùs præcipientes dilectis Filiis Priori & Monachis, aliiſ-

Digitized by Google

„ que perſonis dicti Monaſterii ſive Domus in virtute San-
„ ctæ obedientiæ, ac ſub indignationis noſtræ pœna, ut Te
„ Viſitatorem ſuum reverenter ſuſcipiant, mandatiſque Tuis
„ pareant; alioquin ſententiæ ſubjaceant, quam ritè tuleris
„ in rebelles, non obſtantibus Conſtitutionibus Apoſtolicis &c.
„ Tu verò de iis, quæ in ipſa Viſitatione repereris & or-
„ dinaveris, nos certiores reddere curabis. Datum Romæ
„ apud Sanctum Petrum, ſub Annulo Piſcatoris die XII.
„ Octobris MDLXXX., Pontificatus noſtri anno nono.

Per integrum biennium diſtulit Sanctus Carolus hanc Viſitationem, aliis gravioribus curis diſtentus; eamque aggreſſus eſt die XV. Aprilis, Anni MDLXXXIII. Acta ejuſdem integra extant in ſuperiùs enunciato Archivo hujus Cœnobii. Quid ſubinde ad Summum Pontificem retulerit Sanctus Antiſtes noſter, deficientibus eorum temporum Chartis, omnino ignoramus. Id certò novimus, Armenos hoſce Sancti Baſilii Sectatores fuiſſe in Italia extinctos ab Innocentio X. Pontifice Maximo, Anno MDCL., ùt tradit Gallicus Auctor memoratus, loco laudato. Septennio autem poſtea inducti fuere in vacuas Sanctorum Coſmæ & Damiani Ædes Eremitani Sancti Auguſtini Diſcalceati, beneficentiâ conſenſuque Alphonſi Littæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis Archiepiſcopi Mediolani. Nobiſcum iſta omnia perhumaniter communicavit P. Laurentius a Sancta Barbara ejuſdem Ordinis, quem grati animi ergo hìc nominamus.

Inter cetera Deo Sacra Templa, quæ in hac Metropoli ſurgunt, ac Civium venerationi patent, inſigne eſt illud, appellatum *Sanctæ Mariæ de Viridario*, vulgò *del Giardino*.

Illuc

Digitized by Google

Illuc confluebant olim Fratres Minores Sancti Angeli, ut prædicationi Evangelicæ in Urbis meditullio piam operam darent. Coëmpto autem religioſâ largitate cujuſdam Civis Mediolanenſis, nomine Marci Figini, memorato Viridario, conſtructum eſt ibidem magnificum ædificium, adnexo Hoſpitiolo, in quo prædicti Apoſtolici præcones reſpirare aliquantulum poſſent a ſacris laboribus, in animarum ſalutem ſuſceptis. Cùm autem arcerentur ab ullius rei propriæ poſſeſſione, paupertatis voto & Conſtitutionibus Seraphici Ordinis, Calixtus III. Summus Pontifex, ne illos angeret metus violandæ Legis, in jus & proprietatem Romanæ Eccleſiæ tranſtulit tum Eccleſiam tum Viridarium, itaut uſus tantummodo eorumdem ad Sancti Franciſci Filios pertineret. Extat integrum Diploma, expeditum Anno MCDLV., II Idus Februarii, apud Petrum Nicolaum Bonavillam *in Notitia chronologica Ingreſſus & Progreſſus Fratrum Minorum in Urbe Mediolani*, pag. CVIII. Succedentibus annis, cùm in Hiſpaniis enata jam fuiſſet Congregatio Fratrum Sancti Franciſci, quos *Reformatos* appellant, Italia quoque Anno MDXXV. propagatam in ſinu ſuo eamdem conſpexit. Subinde illam Privilegiis cumulavêre plures Pontifices Maximi, quos refert Gallicus Scriptor *Hiſtoriæ Ordinum Regularium*, Tom. VII. Cap. XVIII. Mediolani quoque locum habuere hi Fratres in Eccleſia ſuperiùs memorata *Beatæ Mariæ de Viridario*, ex Reſcripto Sacræ Congregationis Præſidum Viſitationis & Reformationis Apoſtolicæ, expedito die XXX. Maji, Anno MDCIII., cujus authographum ſervatur in eorumdem Fratrum Archivo. Acceſſit etiam conſenſus Fratrum Minorum

Digitized by Google

de Obſervantia, quemadmodum legimus apud Bonavillam, loco laudato. Quamobrem memorati Fratres *Reformati* receptâ hac Sede, illam in amplum Domicilium redegêre, ad capiendam numeroſiorem Familiam religiosè adaptatum; qua in dies excreſcente, ad Cœnobium extramuranum *Sancti Ambroſii ad Nemus*, quod in Commendam deciderat circa medium ejuſdem Seculi, partim commigravere, Præſule Odeſcalcho, ex Innocentii XI. ſtirpe, Abbate Commendatario, & Alphonſo Litta Archiepiſcopo Mediolani aſſentientibus. Quod ad rem noſtram attinet, excepta fuit nova hæc Colonia Regularium Dei famulorum primùm in hac Urbe a Cardinali Federico Borromeo Archipræſule noſtro, immortalis memoriæ ob ditatam Eccleſiam Mediolanenſem tot egregiis, in ceterorum Chorum adoptatis, Miniſtris ac Cultoribus animarum dilecti ſui Gregis.

Animum ſubinde adjecit Federicus Antiſtes, reficiendis ornandiſque Templis, quæ Domus Dei ſunt. Ac primò Metropolitanæ Baſilicæ perficiendæ, & cultui amplificando ac majeſtati tanta Metropoli dignæ manum admovit. Hærebat Templi Maximi moles Palatio Ducali adeò conſerta, ut abſolvi non poſſet integris manentibus iis ædibus. Supplices preces ſæpiùs dederant Hiſpaniarum Regibus Fabricæ Rectores, ut eas ſolo æquari jubere dignarentur; at ſemper incaſſum. Federicus Archiepiſcopus arduam rem hanc tantâ dexteritate pertractavit, ut voti compos facta fuerit Civitas univerſa; indulgentiâ namque religioſiſſimi Philippi III. Monarchæ, diruta eſt pars illa Ducalis Aulæ, quæ innectebatur ædificio Maximi Templi, tantâ celeritate, ut parvo

men-

menſium intervallo integra conſtiterit admirabilis ejuſdem moles, ab omni alio ædificio ſejuncta.

Translato ex Æde Cathedrali Æſtiva Sanctæ Theclæ in Baſilicam Hyemalem Sanctiſſimo Crucifixi Domini Clavo, quo ſuperbit Civitas noſtra, repoſitus fuerat a Sancto Carolo Borromeo in imo teſtudinis, quæ Odæum tegit, appenſis quinque lychnis ſemper ardentibus, ut lumine ſuo monerent Cives, adeſſe ibi pretioſiſſimum hoc pignus, ad piam eorumdem venerationem excitandam. Splendidiorem locum iſtum reddidit Federicus, adjectis æreis grandibus ſimulacris, Angelorum ſpeciem referentibus, aliiſque ejuſdem metalli ornamentis inauratis, quæ ad peculiarem tanti theſauri cultum advenientes in Majorem Sacram Ædem Chriſtifideles invitant. Etiam Aræ Maximæ ſplendorem majeſtatemque adauxit; Turrim enim æneam, quam dono dederat Pius IV. Pontifex Maximus, ut in eâdem, juxta morem antiquum, collocaretur Euchariſtici Panis Sacramentum, pretioſiorem reddidit appoſitis duabus, hinc inde adſtantibus, æneis figuris, humanam menſuram æquantibus, & Angelicam formam oſtentantibus. Ut autem majeſtas etiam Altaris ejuſdem gradibus accederet, effuſiſſimâ liberalitate ſex argentea Candelabra cum Cruce, magni ponderis miræque pulchritudinis & elegantiæ conflari juſſit ex argentea Aulæ ſuæ ſupellectile; nulli parcens impenſæ, ut Domus Dei, quæ Major eſt in hac Metropoli, magnificentior refulgeret.

Poſt Eccleſiam Majorem altè Federici cordi inſidebat deſiderium reparandi celebrem eam Baſilicam, quæ ab ipſo Sancto Ambroſio Patrono vivente conſtructa fuerat; ſed labe-

befactata, ac etiam magna ex parte diruta ob ſenium, Cives arcebat ab aſſiduo ejuſdem cultu. Quamobrem peritiſſimis accitis cæmentariæ artis Fabris, iis mandavit, ut abſque impenſarum parſimonia ſolicitam manum admoverent, ad eamdem, quàm citiſſimè fieri poſſet, reficiendam, proximum veluti vitæ ſuæ exitum præſagiens. Auxit ſubinde ibidem Sacram Altaris ſupellectilem argenteis luminaribus, ac etiam Thecis affabrè ex argento elaboratis, ut geminæ Sancti Ambroſii Dalmaticæ, quæ temporis edacitatem evaſetant, nobiliori cuſtodiâ ſervarentur. Eamdem curam geſſit ad primarias alias Baſilicas exornandas, illam videlicet Sancti Nazarii, in qua Cimeliarchium conſtrui curavit; Sancti Stephani, quam ferme ex integro reſtauravit; Sancti Laurentii, in quam tranſtulit celebrem miraculis Imaginem Beatiſſimæ Virginis Deiparæ, cujus ope in publica Concione Sanctus Carolus prædixerat, futurum, ut dirutum ſuo tempore Templum illud ac de novo conſtrui ab ipſo cœptum, perſiceretur. Imo etiam Canonicales Ædes ibidem Federicus erexit ſummâ elegantiâ; quamvis non omnes morte præventus ſingulis Canonicis aptare potuerit. Neque defuit Baſilicæ Sancti Georgii, *ad Palatium* nuncupatæ, ac Canonicorum ejuſdem Collegio; utrumque enim nobili ornatu, argenteis Sacris donariis, atque etiam cenſibus auctis ditavit illuſtravitque. Aderat e regione paternæ Domus Federici, Parœcia ſub Titulo Aſſumptionis Virginis Immaculatæ, in quam Oſſa Majorum ſuorum illata fuerant: Hanc verò non tam gypſo & picturis, necnon argentea Altaris fronte ac Tabernaculo pariter argenteo nobilitavit; ſed etiam Collegio Cano-

nonicorum inſignivit, plurimum æris proprii impendens, ut Sacris Miniſtris redundans Eccleſia iſta, æquali ceteris Collegiis honore niteret.

Ægrè ferebat Federicus, Oppidum illud, quod inſigne ac penè venerandum reddiderat Natali ſuo, etiam cœlitus demiſſis radiis illuſtrato, Sanctus Carolus Borromeus, ſolo Parœciæ Titulo gaudens, a ceteris minimè diſtingui; quocirca meditatus eſt, peculiari ſplendore illud augere. Inprimis autem Eccleſiam elegantiâ omni adornavit, Pictoreſque nominis celebrioris accivit, ut in ea Beatæ Virginis Nativitati dicata, quidquid ad ejuſdem Vitam ſpectabat exprimerent; dein Collegium Canonicorum inſtituit, atque Archipresbyteratûs Dignitate illius Præſidem ornavit Anno MDCVIII., annuis reditibus ex proprio aſſe aſſignatis, legibuſque confectis, quibus ad perſolvendas quotidie Divinas Laudes dirigerentur.

Alterum Opus excelſo ſuo animo dignum molitus eſt Federicus. Cùm natale Cubiculum Sancti Caroli in Aronæ Arce clauderetur, nec facilè Oppidanorum cultui patêret, decrevit Borromeus lateres & cæmenta ejuſdem in Montem proximum transferre; conditâque ibidem Eccleſiâ, ea inſerere novo Ædificio, ut memoria adeò illuſtris beneficii, illi Oppido a Deo conceſſi, perennaret. Ut autem Sancto illius Loci Patrono religioſior veneratio conciliaretur, excogitavit rem grandem, jubens videlicet, ut conflaretur æreum Coloſſeum Simulacrum Sancti Caroli, in faſtigio ejuſdem Montis collocandum; ipſe verò propriâ impenſâ comparatis omnibus, quæ ad Templum extruendum neceſſaria erant, pri-

primum lapidem poſuit Anno MDCXIV., cui inſculpta erat ſequens Inſcriptio:

PAULO QUINTO PONTIFICE MAXIMO
FEDERICUS BORROMEUS S. R. E. PRESB CARDINALIS
ARCHIEPISCOPUS MEDIOLANI,
PRÆSENTIBUS PHILIPPO NOVOCOMENSI,
ET PETRO GEORGIO VIGLEVANENSI EPISCOPIS
IN HAC PRIMARIA S. CAROLI CONSTRUENDA ÆDE
LAPIDEM HUNC
A SE ECCLESIASTICO RITU BENEDICTUM
PRIMO POSUIT III. IDUS JULII
MDCXIV.

E regione autem ejuſdem, Seminarium Clericorum condidit, ſub regimine Oblatorum Seminarii Majoris Mediolani, ut veluti in conſpectu Sancti Caroli poſiti, ad ſtudia & colendam pietatem accenderentur, ſimulque religioſæ cuſtodiæ ac cultui Eccleſiæ illius inſervirent. Quandoquidem verò exſtimulare vividiùs ad Sancti Caroli venerationem Chriſtifideles illuc adventantes optabat, conſilium cepit extruendi circa eum Collem plura Sacella, in quibus partim celebrium Pictorum pennicillo, partim ſcalpro inſignium Artificum exprimerentur Acta præclariora illius Sanctiſſimi Antiſtitis; eorumque etiam fundamenta jaci mandavit, ſingula commendans

dans variis Mediolanenſium Collegiorum Societatibus, inter quas etiam locum ſuum habuit Congregatio Oblatorum; ut pulchritudine omni elegantiâque exornata conſurgerent reſulgerentque. Ne tamen deductum ad exitum nobile hoc ſuum meditamentum videret Federicus, brevitas vitæ prohibuit. Succedens autem ætas, & invaleſcens in dies ferventior erga Sanctum Carolum religio effecit, ut abſolutis ferme Ædificiis illis, Locus qui priùs appellabatur *Mons Arona*, in præſentiarum vocetur *Mons Sancti Caroli*.

Neque in ditione tantùm Comitum Borromeorum, ſed in hac ipſa Metropoli, quæ theatrum fuit virtutum Sancti Caroli, augeri voluit Federicus Patruelis ſui gloriam & cultum, alterum Sacellum ejuſdem nomini dicatum a fundamentis extollens; illud nempe, quod Collegio Helvetico adnexum ſi non amplitudine, ſaltem elegantiâ & ornamentorum nitore, oculos animoſque Civium invitaret ad ſedulum obſequium optimè de hac Urbe merito ei Præſuli rependendum: Neque enim ſatisfactum cenſebat amori ac beneficiis Caroli erga Mediolanenſes, unicâ tantùm in Metropoli noſtra ad illius honorem ſacra Æde excitatâ.

Ferre non poterat piiſſimus Federici animus, Eccleſias præſertim Parœciales, quæ Domus Dei ſunt & cœleſtium fontes gratiarum, jacêre incultas, aut ſenio deformatas carêre ſubſidiis, ut ſplendidis expolitæ ornamentis priſtinum decorem reciperent. Quamplures earum ære proprio refecit, auxitque digno Supremæ Majeſtatis ſplendore. Verùm cùm ærarium ſuum earumdem indigentiæ elevandæ par non eſſet, ſtuduit modum quo illis providêre poſſet, non ætate tan-

tùm ſuâ, ſed etiam futuris. Proinde pecuniis partim ab ipſo erogatis, partim a Clero collectis, partim demum a Summis Pontificibus impetratis, Patrimonium conſtituit, ex cujus reditibus Eccleſiæ præſertim Parœciarum, non tam repararentur a ruinis, verùm etiam ad leges architectonicæ artis noſtrorum temporum excolerentur; jamque multæ præſenti ævo, tam nobili induſtriâ Federici, veluti in alias elegantiores a primæva ruditate ſe revixiſſe gloriantur.

Nec minori ſolicitudine interiorem Sacrorum Miniſtrorum nitorem curavit Federicus. Siquidem varias Sacerdotum Congregationes inſtituit, unam videlicet in ſingulis Urbis regionibus; eorumdem autem numerus ſaltem ad XII. pertingebat. Ut autem cum proventu animarum Conventus iſti agerentur, triginta alios Sacerdotes ſpectatiſſimæ vitæ ex toto Clero delegit, qui veluti Duces, reliquis ad ſejunctas ſuas Congregationes quolibet menſe convenientibus, ſecuriorem breviorem que ſolidæ perfectionis tramitem commonſtrarent. Hunc verò egregium Manipulum Miniſtrorum Dei, ſtatis temporibus ſimul coëuntium in Ædibus Sancti Sepulcri, ipſemet Federicus inſtruebat ad munus ſuum impigrè agendum; quamvis ceteris quoque memoratis Congreſſibus præſentiam ſuam non raro impertiretur, Sermones habens de Eccleſiaſticæ diſciplinæ obſervantia, de miniſtrandis dignè ac fructuosè Divinis Sacramentis, de Caritate erga Deum & proximum ſemper augenda, ac demum de Sacerdotii dignitate ſeriò expendenda. Unam ſibi peculiariter reſervaverat Archiepiſcopus ipſe, in Archiepiſcopali Sacello convocandam, eamque appellavit *Congregationem Animæ*; in illa enim nihil, niſi

niſi de anima expolienda pertractabatur: qua nimirum ratione in Dei amorem inflammari acriùs poſſet; quibus virtutibus exornari vivum hoc Dei Templum; quo ſtudio addiſcendæ eſſent veræ ſanctimoniæ regulæ, ut aliis fierent Magiſtri virtutum. Proponebat demum Federicus utiliora recondita ſpiritûs arcana (ipſi certè experto jam nota) quibus ad perfectionis apicem feliciùs eniterentur. Tres alias ad vitæ Clericorum inſtitutionem indixit in diverſis Eccleſiis, nempe alteram in Oratorio Juvenum *Campi Sancti*, ad quam confluebant omnes Eccleſiaſticæ militiæ addicti in reliquis Adoleſcentium Oratoriis; aliam in Ædibus *Sancti Sepulcri*, quæ adhuc ibidem optimis directa legibus ab ipſo conditis perſeverat ac floret; poſtremam demum Nobilium Clericorum *in Archiepiſcopali Sacello*, cui utplurimum Federicus Archiepiſcopus præſidebat, iis documenta præbens, ut exemplaris eorumdem vita, populum ad Cleri reverentiam & ad pietatem incitaret. Etiam Laicis ſacros ſuos receſſus aperuit, in Eccleſia primùm Sancti Georgii, dicti *ad Puteum album*, dein Sancti Victoris, appellati *XL. Martyrum*, in quibus unoquoque Dominico die, poſt celebrata Divina Officia, Præſide uno ex Ordinariis Canonicis, piæ quarumdam virtutum exercitationi atque Orationi vacabant, ſimulque fervido ſermone incendebantur ad intrepidè corripiendos, quos audirent blaſphema vel obſcœna verba effutire, abolendamque omnino hanc labem, tunc iterum invaleſcentem, in dedecus religionis pietatiſque Mediolanenſium.

Congregationis Sanctarum Crucum, quæ in publicis viis erectæ a Sancto Carolo non modica pars ſunt gloriæ Urbis

Digitized by Google

Mediolanenſis, amplificator inſtauratorque fuit Federicus; ſenio enim labantia earum ſtylobata non tam firmavit, ſed etiam luculentiùs adornavit: Utque ferventior religio iiſdem accederet, & ſerotinæ per ſingulos dies preces ad earum conſpectum a Confratribus majori frequentia perſolverentur, ſtatuit, ut unaquæque Societas ſuum haberet Paſſionis Domini Noſtri Myſterium quod peculiariter veneraretur; unumque ex Sanctis Archiepiſcopis Mediolanenſibus Patronum ſingulis aſſignavit, cujus auxilio uberiorem a Deo gratiam bene vivendi promererentur. Id autem tantâ ferventis animi alacritate hucuſque ſervavêre Sodales iſti, ut recurrente annuo die Feſto Sancti in Patronum accepti, ſolemnem Supplicationem inſtituant illius Crucis Confratres, Patroni Epiſcopi Imaginem præferentes, ad Sacram Ædem, in qua Sanctus ille ſepultus jacet, gratæ venerationis causâ, majoriſque opis implorandæ fiduciâ.

Inter hæc pia meditamenta & admirabiles adinventiones, quas animo identidem revolvebat, ut Ovium ſuarum proventum æternamque ſalutem conſequeretur Federicus, minimè ſtudiorum oblitus eſt, quæ Sancti Caroli Patruelis ſui exemplo ac commendatione didicerat, plurimùm pietati excolendæ prodeſſe. Cùm enim eorum beneficio mentis tenebræ diſpellantur, faciliùſque voluntas ad caſtigatæ vitæ præcepta implenda flectatur, eadem neceſſaria eſſe, Clero præſertim, optimè intelligebat; nec exprimi ſatis poteſt, quanta ſedulitate Archiepiſcopus iſte adlaboraverit, ut Eccleſiaſtici Viri, literis ſtudiiſque addiſcendis, totis lacertis inſudarent. Ipſum inſuper inſitus menti genius, tamque flagrans

in

in corde erga literas amor urgebat, ut neque in itineribus a dictando legendoque deſiſteret, dicere ſolitus, *in votis ſuis eſſe, ut dexterâ manu Crucifixum gerens, ſiniſtrâ calamum moreretur*. Mirum eſt ac penè fidem ſuperans, quot ille meditamenta ad novos condendos Libros capaci mente conceperit, quotque ingenii ſui eruditos fœtus ediderit lucem adhuc deſiderantes. Panegyricam Orationem, abſonam a noſtro Inſtituto, texere videremur, ſi, quæ ad argumentum iſtud pertinent, complecti ac recensêre nobis mens foret. Unum hoc ſeligimus, *Bibliothecam* nempe *Ambroſianam*, Opus numquam antea in noſtris regionibus tentatum, nec adeò magnificâ Ædificii ſtructurâ, & ornamentorum ſplendore uſque ad id tempus, publicæ patens utilitati ſtudiorum. Eam verò, ubique jam gentium celebrem, magnanimo corde excitavit a fundamentis in hac Metropoli Federicus; qui ditaturus eamdem rari pretii peregrinis literariis gemmis, per univerſas Occidentis Provincias, & in ipſum etiam Orientem miſſis doctrinâ ſpectatiſſimis Viris, tam pretioſa copioſaque ſupellectile Librorum tum qui lucem viderant, tum qui in ſcriniis adhuc manu exarati latebant, Mediolanenſe hoc Scientiarum Emporium adeò locupletavit, ut literariis ſpoliis Aſiæ & Europæ ſuperbiens, ſupra quinquaginta millia omnium ætatum linguarumque Volumina enumeret. Tantis verò laboribus atque impenſis paratam hanc Literis Ædem, dicatam voluit publico beneficio, ſtatuens ut ſingulis diebus, duabus horis manè, & veſpere aperiretur; quo tempore cuilibet accedenti a conductis mercede Famulis, tum Libri tum commodum omne ad ſcribendum ſuppeditantur. Huic

Bi-

Digitized by Google

Bibliothecæ, ut ita loquamur, mortuæ alteram vivam adjecit, Collegium videlicet Doctorum, quorum continua cura eſt, inſudare condendis novis Libris atque prælo vulgandis, ut veluti perennes Fluvii hunc Sapientiæ alveum ſemper abundantiùs impleant. Alterum hujus Bibliothecæ decus eſt, duplex Academia, Picturæ una, alia Sculpturæ, ad quarum regimen & incitamentum ſtatutæ ſunt a Conditore Federico Leges, & collecta profuſiſſimo ære Simulacra formæ elegantioris, pictæque Tabulæ, uſque ad artis miraculum pretioſæ. Reliqua, quæ adjecit Federicus, Collegia juvenum inſtruendorum, ne umquam deeſſent qui dignè aſſiderent pluteis in hac Aula Literarum, omittimus, cùm Petrus Paulus Boſca, olim eidem Præfectus ac demum Infulâ Modoëtienſi inſignitus luculentum Tractatum *de origine & progreſſu Bibliothecæ Ambroſianæ* typis commiſerit. Præterire tamen ſilentio nequimus conſilium principe animo dignum, quod animo revolverat Federicus, inquilinas nempe in hac Urbe reddendi peregrinas Orientis Linguas, quemadmodum etiam vivens perfecit, vocatis ex iis Provinciis celebrioribus Magiſtris, qui Hebraico, Chaldæo, Syriaco, Arabico, & Perſico idiomate primos Bibliothecæ Doctores erudirent. Imo, ut hæc gloria fixa etiam in noſtræ Metropolis ſolo remaneret impoſterum, non typos ſolùm, ſed etiam eorumdem conficiendorum, ùt vocant, matres conflari juſſit, tantâ felicitate, ut Mediolani difficillima impreſſa ſint earum Linguarum Volumina, nempe *Lexicon Arabicum*, *Syriaca Grammatica*, & *Vocabularia Armena*: Tanta erat hujuſmodi Idiomatum peritia, quam ſibi familiarem fecerant Doctores, primùm

Digitized by Google

mùm a Federico inſtituti. Verùm ſuperfuſa Mediolano luis calamitas, & ingruentium paſſim bellorum inſolentia plurimum detrimenti attulit conſervandæ huic apud nos laudi. Ceterùm præter tam nobile decus, Federico Bibliothecæ Conditori mens erat, ita eam inſtruere ſapientibus Viris, ut uſque ad XVI. numerarentur Doctores, quorum quilibet Scientiam unam profiteretur ac intimè poſſideret, ſimulque aliquam ex Orientalibus Linguis apprimè calleret, eo fine, ut quicumque ex omnibus Europæ Aſiæque regionibus alicui Scientiæ peculiariter addictus huc adventaret, in hoc Doctorum Conſeſſu inveniret, cum quo & Linguâ ſuâ, & de Scientia quam adamabat, colloqui poſſet. Latiùs de hiſce rebus jam diſſeruimus *in Prodromo ad Hiſtoriam Typographico-Literariam Mediolanenſem*, Cap. XII.

Aliò tamen Federicum a Literariis iſtis exercitationibus, licèt Eccleſiæ proficuis atque Mediolanenſi Metròpoli glorioſis, mentem animumque convertere coëgerunt funeſta infortunia, quæ florentem hanc Urbem ac finitimos agros ſquallore & cædibus luctuoſiſſimè implevêre. Fames primùm rabidiſſima Anno MDCXXIX. Mediolanum invaſerat tantâ ſævitie ac furore, ut quamplures Civium, qui ſilveſtres herbas in agris collecturi iiſque ſtomachum latrantem ſedaturi Urbe exceſſerant, ſtrati in viis & mortui occurrerent, herbis iiſdem ſemêſis adhuc ori dentibuſque hærentibus. Quod tamen acerbiùs Borromei Archiepiſcopi animum transfigebat, illud erat, reperiri in ipſis compitis hujus Metropolis cadaverum copiam, eorum videlicet qui deſtituti omni ſubſidio, & ſpiritibus exinaniti ob diuturnitatem jejunii miſerè interie-

rierant, abſque ulla Sacramentorum perceptione. Ut igitur non tam hujuſmodi languentium corpori, ſed multò magìs animæ ſuccurreret Federicus, ſex Sacerdotes delegit, qui ſex Urbis regiones continuò percurrerent unà cum pluribus Famulis, ad id mercede conductis, cibaria cujuſque generis ſecum ferentibus, ut iis qui nondum ſenſus amiſiſſent, alimenta præberent; aliis verò qui extremâ fugientium ſpirituum inopiâ & debilitate gravati, in faucibus penè mortis erant, remedia quæ ſpiritus excitarent, a gerulis pariter deportata, ſuppeditarent; cùmque ſibi aliquantulum reſtituti voces edere poſſent, illos ad conſcientiæ expiationem diſponerent, & in aliqua proxima domo recipi curarent, Federici ære nutriendos, quoadusque firmiori robore, labefactata inediæ vi membra donarentur.

Non hìc tamen ſe continuit prodiga in opem eſurientium pauperum Caritas Archiepiſcopi; in ipſo enim Archiepiſcopali Palatio miram alimoniæ congeriem, in capacibus ollis decoctam quotidie cuicumque accedenti diſtribui mandavit; cùmque aliquibus qui comptiores erant veſtibus, pars ciborum denegaretur eò quia minimè indigi viderentur, juſſit iiſdem ampliorem portionem tradi; fortaſſe enim copioſior etiam erat illorum familia aut nobilior, quæ cogebat hujuſmodi Viros pudorem hunc pati: Quamvis aliunde peculiarem curam ipſe gereret erubeſcentium inopum, largam Rectoribus Parœciarum argenti copiam committens, Nobilioribus erogandam, ne famis calamitas, petendi neceſſitate ac verecundiâ cumularetur. Provida Decurionum ſolicitudo, non modicum pauperum, inediâ ciborum laborantium, numerum

col-

collegerat in Hierocomio, & in Ædibus Sanctæ Mariæ *de Stella*, ut ibidem ex publico ærario alerentur. Sed altera deterior fames auri, quod ex communibus ærumnis ſibi eradere anhelabant Piſtores, barbaro dolo peſſimam frugem panibus ibi ſubminiſtratis miſcuerat, ſtomacho noxiam, adeò ut nondum expletis duobus menſibus, mille & quinquecentum reperti ſint morte conſumpti; ac proinde ferme omnes ea Loca tamquam ſaluti infeſta dereliquerint. Tactus intimo dolore Federicus, dum palantes per Urbem vagarentur, ac ſpiritibus deficientibus ad extremam non modò vultûs maciem, ſed mortis viciniam deducerentur, illos colligere in Palatii ſui atrio ſtuduit, ac victualia omnibus ſuppeditavit, ne ùt antea contigerat paſſim in viis mortui corruerent.

Præter urbanas ſuas Oves, erga quas officia omnia paternæ tenerrimæ dilectionis exercuerat, etiam ad pauperes illos qui in extramuranis Vicis fame opprimebantur, curam amoremque ſuum extendit, jubens, ut copioſæ frumenti, ſegalis, erizæ, ac leguminum ſarcinæ ad Rectores Parœciarum mitterentur; ſimulque magnam vim argenti addidit, ut a feralibus diuturnis jejuniis eximerentur fame laborantes. Tanta erat benigniſſimi hujus Paſtoris ſolicitudo, ne ullus infelici penuria conſumptus periret. Memoriâ quoque dignum eſt, quod Federicus peregit, cùm ſub Veris Æſtatiſque adventum ſpes jam affulgebat, triſtem hanc ærumnam uberi meſſe fore penitus depellendam. Siquidem vocatis in unum ruſticis pauperibus quos ipſe enutriverat, quique ideo firmiores vires receperant, certam quamdam nummorum ſummam ſingulis diſtribuit, unà cum falce, qua ſegetes demetere

abſque ullo ſuo impendio valerent.

Exhauſta ſatis eſſe horrea & ærarium Federici Archiepiſcopi ob tot effuſas frumentarias largitiones & pecuniarum præſtita ſubſidia in contumacis famis infortunio videbantur. Cùm ecce nova lacrymabilior occaſio ſe obtulit, non tam promptuaria ciborum & crumenam, ſed etiam pretioſiores arcas omnes & ſcrinia depopulandi ac penitus evertendi; lues videlicet, quæ ſequenti Anno MDCXXX. funeſtâ debaccatione Mediolanenſem Urbem, aliaſque circumjacentes terras vaſtavit. Sanè deſpoliatum fuiſſe a flagrantiſſima ſua erga proximum caritate Archipræſulem Borromeum bonis omnibus, abundè teſtatur votum illud quod conceperat, adornandi Altare Beatiſſimæ Virginis, nuncupatæ *de Arbore* in Baſilica Metropolitana, Frontali, ſeu Pallio (ùt vocant) conflato ex auro obrizo, gemmiſque undique innexis radiante. Cùm enim graſſaretur lues, & redimendis ab inopia ærumniſque Ovibus ſuis ſe obſtrictum videret, nummos quos expendere debuiſſet in ornamentum Altaris largè profudit in Pauperes, inquiens: *laus ſit Cæli Reginæ, quæ campum mihi aperiens ſubveniendi pauperibus, in extrema hac eorum indigentia, Pallium a me exegit juxta beneplacitum ſuum.*

Cœperat deſævire contagium ſub finem anni præcedentis; utque amoveretur a dilecto ſuo Grege teterrimum hoc flagellum, remedia omnia adhibuerat amantiſſimi Paſtoris Federici pietas, fuſis ad Deum precibus, inſtitutis pœnitentiæ Supplicationibus, imo etiam, accedente Decurionum voto, circumlato per Urbis compita Corpore Sancti Caroli. Verùm

rùm cùm omnia, Deo ita diſponente, incaſſum abiiſſent, malumque iſtud etiam vehementiùs increſceret, ſecum ipſe ſtatuit, terere ſaltem fideliſſimè veſtigia illius Sancti Prædeceſſoris ac Patruelis ſui: Proinde imperterritus circumire Urbem cœpit, ſique aliquam Domum offenderet, in qua jacerent ægroti contagione correpti, ſtatim e Lectica deſcendens illos adibat, animæque ac corporis neceſſarium levamen impendebat tantâ largitate, ut numquam domum rediret, niſi diſtributis in eleemoſynam, indigentibus hoc morbo attactis, centum aureis nummis, & aliquando etiam mille, ùt tradit Rivola ex fide illiuſmet, cui commiſſa erat cura pecuniam hanc erogandi. Idem quoque per alios præſtitit in ſuburbanis Pagis & remotioribus etiam Terris, quibus non tam pecuniaria ope ſubvenire curabat, ſed currus quoque ſuos plurimâ commeatuum congerie onuſtos illuc trahi mandabat, quoties neceſſitas exigebat. Quæ admiranda Caritatis exempla ediderit Federicus, in procuranda corporum multòque magìs animarum, quæ illi ſummoperè cordi erant, ſalute, nihil moramur referre, cùm eodem ſpiritu ageretur ac fervore caleret, quo olim Sanctus Carolus ingruente eâdem calamitate æſtuaverat; adeòque nihil omiſerit eorum, quæ illum dignum effecêre, ut tamquam exemplar nitidiſſimum Epiſcopis omnibus proponeretur. Unum hoc commemorare fas eſt, inſtitutum fuiſſe a Federico Hierocomium pro ſolis hoc morbo infectis Eccleſiaſticis Viris. Cùm enim non modicum Sacerdotum pietate inſignium numerum, e Clero delectum impendiſſet, ut diſperſis per Urbem ægrotantibus Sacramenta miniſtrarent, omnique ſolicita

religione, iiſdem in animæ negotio feliciter abſolvendo aſſiderent, cenſebat Federicus, muneris ſui hoc eſſe, ut ipſorum etiam incolumitati procurandæ advigilaret. Selegit igitur Seminarium *Canonicæ*, dimiſſis Clericis qui illud incolebant, ibique diſpoſitis omnibus, quæ ad commodum & medelam neceſſaria erant, & accitis etiam Medicinæ peritiſſimis Doctoribus, proprio ære conductis, hac adhibita diligentia ſi non omnes ex Eccleſiaſticis, ibidem degentibus uſque ad numerum LX., incolumes a morbo evasêre, ſaltem pars aliqua Sacerdotum ſuperfuit, quorum ope uti potuit Federicus reliquo tempore, quo lues infeſta perduravit; cùm ferè omnes Rectores Parœciarum & Adminiſtri, ultra CXX., in hac Metropoli antea interiiſſent. Narrat Auctor illius Vitæ, Archiepiſcopum Federicum, cùm nondum e Divinæ Juſtitiæ manibus depoſitum videret hoc ferale fulmen, converſum ad Imaginem Sancti Ambroſii, Mediolanenſis Eccleſiæ Patris, quæ ex intimi Cubiculi ſui parietibus pendebat, ſuffuſis fletu genis, auditum eſſe a Familiaribus dulces querelas emittere, cur patrocinio ſuo deſtitueret afflictum hunc Gregem; viſumque fuiſſe illico ſereniori fronte, veluti riſu in labiis reflorente: Idque acceptum fuiſſe in extinguendi citò morbi præſagium. Nec vana cenſeri potuit hæc cogitatio; ipſe enim Cardinalis Federicus Borromeus, cùm in Templo Maximo e ſuggeſtu concionaretur, die Solemnitati naſcentis Deiparæ Virginis dicato, clara voce populum monuit, adeſſe jam finem illius deſævientis flagelli; eumque hortatus eſt, ad precibus ſolicitandam Divinæ pietatis miſerationem.

Tot

Digitized by Google

Tot glorioſis toleratis laboribus defecerant in optimo Paſtore Federico attritæ corporis vires; quamobrem reſtitutâ afflictæ huic Metropoli ſalutis integritate, ipſe in morbum incidit, qui in dies invaleſcens, eumdem ad agonem perduxit. Excepit Federicus nuncium obitûs imminentis eâ ſerenitate vultus animique gaudio, quod exhibuiſſet ad quemcumque eventum lætiſſimum fauſtiſſimumque, ipſi annunciatum, ùt ipſemet in reſponſis dedit, ſubjungens: *Nuncium hoc eſt, quod tamdiu expectabam*; id enim paucis ante infirmitatem diebus intellexerat a ſingularis ſanctimoniæ Moniali in familiari colloquio, ideſt ſe brevì moriturum: quo audito, refert Rivola, tanta exultatione fuiſſe affectum Federicum, ut eidem hæc verba reponeret: *gratias tibi reddo tam felicis admonitionis, & hinc exultans diſcedo, duobus cubitis ſubſiliens a terra*. Proſequitur autem Rivola referre, Archipræſuli Federico ſingulas ſubinde horas viſas fuiſſe, annos mille: tam flagrans erat in eo deſiderium, terræ omnino valedicendi. Obiit illâ intrepidâ animi conſtantiâ ac fronte ad hilaritatem compoſita, quam vivens ſemper exhibuerat, fervidas uſque ad extremum voces ac ſuſpiria ad Deum emittens Anno MDCXXXI., die XXI. Septembris, poſtquam Mediolanenſem Eccleſiam rexiſſet Annis XXXV., menſibus IV., diebus XXVII.

Sepultus eſt in Metropolitano Templo, ad Aram Deiparæ Virginis, nuncupatæ *de Arbore*, cui ob tenerrimum erga ipſam amorem, aureum Pallium, ùt ſupra diximus, pretioſiſſimum apponere deſignaverat; ſibique Epitaphium

La-

Digitized by Google

Lapidi Sepulcrali inſculpendum propriâ manu paravit his verbis:

FEDERICUS BORROMEUS

CARDINALIS ET ARCHIEPISCOPUS MEDIOLANI

SUB PRÆSIDIO BEATÆ MARIÆ VIRGINIS

HIC QUIESCIT IN PACE.

Qui fuerit Civium omnium luctus ac dolor, amiſſo tanto Paſtore, colligi facilè poteſt ex incredibili ipſius virtutum & ſanctimoniæ opinione, ob quam non alio etiamnum paſſim vocabulo appellatur, quàm *Beati Federici*. Nobis ad perennem celeberrimi hujus Archiepiſcopi Poſteris commendandam memoriam ſatis eſt, laudes illas hoc loco attexere, eidem ab Urbano VIII. Pontifice Maximo tributas in Brevibus Literis, quas direxit tum ad Collegium Canonicorum Metropolitanæ Baſilicæ, tum ad Comitem Julium Cæſarem Borromeum, in hunc modum:

URBANUS PAPA OCTAVUS.

„ Dilecti Filii, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.
„ Par eſt, ad præcipuas Pontificiæ caritatis curas pertinere Mediolanenſem Eccleſiam, quam ad præcipuam Divinæ beneficentiæ miſericordiam pertinere cognoſcimus.
„ Quos enim Antiſtites Omnipotens Sacerdotii Auctor ſibi in

„ Chri-

„ Chriſtiana Republica voluit eſſe cariſſimos, eos in Epiſco-
„ pali tantæ Civitatis ſtatione identidem voluit excubare.
„ Planè jam diu eſt cùm Archiepiſcopos colitis, qui Inſu-
„ las ſtudioſiùs ornarunt virtutibus, quàm gemmis; qui dum
„ in mandatis Domini voluerunt nimis, effecerunt ut Eccle-
„ ſiæ opulentia iſtic eſſet patrimonium paupertatis. Jam verò
„ cùm e Mediolanenſi Cathedra non pauci ad Cœleſte So-
„ lium convolarint, & aliqui etiam in Catholicis Aris do-
„ minentur coronati ſplendoribus Sanctorum, ex Eccleſia
„ veſtra peti ſolent glorioſæ ſanctimoniæ Sacerdotalis exem-
„ pla. Nunc autem meritò lamentamini Dilecti Filii, pro-
„ prio Parente orbati, luctuoſum obitum Federici Cardina-
„ lis Borromei, cujus gloriam tamdiu experti eſtis populis
„ ſalutarem. Qui enim Divum Ambroſium ſapientiâ, Divum
„ Carolum caritate exprimere innocens voluptatum ac peri-
„ culorum contemptor conabatur, reliquit quidem vobis hæ-
„ reditatem non ſolùm laudis Mediolanenſe Sacerdotium ſem-
„ per exornantis, ſed etiam luctûs, præreptas virtutes num-
„ quam non cupientis. Omnino non tam feliciter agitur cum
„ rebus humanis, ut in Dominica etiam Vinea, in qua ini-
„ micus homo ſuperſeminare ſatagit vitiorum zizania, con-
„ ſimilis ſemper germinet ſeges cœleſtium meritorum. Nos
„ qui Paſtorem veſtrum ſingulari amore complectebamur, &
„ vos in ſinu gerimus Apoſtolicæ ſolicitudinis, primùm qui-
„ dem ejus animæ cœleſtes fores patefacere orationibus ac
„ ſacrificiis ſtuduimus. Porro autem precati ſumus Pontificem
„ ſempiternum, ut eum vobis Succeſſorem Romana auctori-
„ tas præficiat, in quo vivere Eccleſiaſticas demortui Ar-
„ chi-

„ chiepiſcopi virtutes gaudeatis. Interea adite, Dilecti Filii, „ religioſis precibus thronum Divinæ Sapientiæ, ut menti noſtræ lux Sancti Spiritus effulgeat, dum nos Sacro iſti Senatui, in quo pietas nobilitati Deum conciliat, Apoſtolicam benedictionem impartimur, & paternum patrocinium pollicemur.

URBANUS PAPA OCTAVUS.

„ Dilecte Fili, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. „ Non uno tempore profuit Eccleſiæ, Sacerdotalis Borromei nominis virtus, neque uno tempore perfrui in Hæredibus debet benedictionibus populorum, & Pontificum patrocinio. Reſplenduit in Borromeis Cardinalibus Vaticani purpura: Splendoribus Sanctorum ſanctimonia Carolum Cœlo intulit adorandum; pietas Federicum Epiſcopis oſtentat imitandum. Tantæ gloriæ patrimonium in Borromea Domo omnis ætas venerabitur; atque ex Genere cœleſtium virtutum fœcundo Eccleſia gaudebit, germinare ſemper Sacerdotes, qui Majorum gloriam in ſe emori non patiantur. Nos qui Dilectum Filium noſtrum Cardinalem Federicum ſingulari ſemper benevolentia complexi ſumus, non vulgari dolore inopportuna hæc mors perculit. Piè quidem credi poteſt, qui vivens, perambulans ſemitas Divinæ legis, glorioſa Beati Caroli veſtigia ſequebatur, nuper moriens ad ejus beatitudinem perveniſſe. Tamen non facilè erit Mediolanenſi Eccleſiæ tanti Paſtoris obitum lamentanti, conſimiles virtutes in Epiſcopali Statione ſem-

„ per

„ per venerari . Rogamus Deum , ut iſtius Civitatis tuæque
„ Domûs dolorem illuſtri aliqua felicitate conſoletur . Nos
„ certè te ac Familiam tuam ſingulari ſemper benevolen-
„ tia decorabimus , tibique paternam benedictionem imparti-
„ mur .

CÆSAR MONTIUS.

ANxium diu tenuit Summum Hierarcham Urbanum, rapto ad Cœlum Federico Cardinali Borromeo, deſignatio Succeſſoris, cujus manibus Paſtoralem Ambroſianæ Eccleſiæ virgam, non impari a tam inſigni Archiepiſcopo decore & gloria regendam committeret. Poſt ſolicitas ad Deum effuſas preces, unus Cæſar Montius Patricius Mediolanenſis exiſtimatus eſt ab eodem Summo Pontifice dignus, qui Mediolanenſem Infulam gerere poſſet, & inhærentem adhuc viduæ Eccleſiæ noſtræ genis amariſſimum fletum detergere. Itaque Anno MDCXXXII., die XXVIII. Novembris Urbanus VIII. Cæſarem Montium, in Hiſpaniis Legatum agentem, Mediolani Archiepiſcopum renunciavit.

Et ſanè de illius doctrina, probitate, ac prudentia ambigi nequibat, cùm harum aliarumque virtutum in ipſo juventutis flore, multòque magis in ætatis progreſſu manifeſta præclariſſima experimenta jam edidiſſet; annum enim decimumquintum agens, ſuadente magno Cardinali Federico Borromeo, Romam contendit, ſtatimque Paulus V. Pontifex Maximus, qui, utpote diſciplinis omnibus excultus, ingeniorum erat Judex æquiſſimus, primis Eccleſiaſticæ Hierarchiæ gradibus Montium initiavit, eum Protonotarii Apoſtolici, & Referendarii utriuſque Signaturæ muneribus ornans. Perſpectâ autem clariùs indolis illius excellentiâ, dignum eum-

eumdem cenſuit, qui, licèt imberbis, ſupra candelabrum collocaretur, ut omnibus in Domo Dei eluceret; adeòque Conſultoribus Sacræ Inquiſitionis, ac boni Regiminis Congregationi Cæſarem aggregavit. Neque minori exiſtimatione atque amore proſecutus eſt Montium Gregorius XV.; motu enim proprio Aſſeſſorem Sancti Officii illum conſtituit. Urbanus verò VIII. Succeſſor, altiùs etiam Cæſarem Montium extulit, graviſſimis Congregationis de Propaganda Fide Præſulibus eumdem adnumerans, & paulò poſt Nuncium ſuum Neapolim mittens, ubi expleto vix anno, Extraordinarii Nuncii titulo illum in Hiſpanias amandavit, pertractaturum cum Rege, nomine Pontificis Maximi, Pacem Italiæ Mantuano tunc bello plurimùm agitatæ; eoque in munere ita cautè prudenterque ſe geſſit Montius, ut quæ credebatur exciſa ab imis radicibus afflictæ hujus Provinciæ tranquillitas, vividior poſtmodum refloruerit. Evocato ſubinde ab Hiſpaniis Joanne Baptiſta Pamphilio Pontificio Legato, in ordinaria Nuncii adminiſtranda provincia apud Philippum IV. Hiſpaniarum Monarcham ſubſtitutus eſt Cæſar Montius. Patriarchatu inſuper Antiocheno inſignitum, ſimul cum memorato Pamphilio (poſtea Innocentio X.) idem Urbanus Anno MDCXXIX. Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalem creavit; ſed tacito reconditoque, in pectore Pontificio, Montii nomine, quod minimè palam protulit, niſi Anno MDCXXXIII. in ſeptima Cardinalium creatione, in qua eidem Titulum aſſignavit Sanctæ Mariæ Tranſpontinæ. Redux ab Hiſpaniis Cæſar Montius, gratiâ & pretioſis muneribus a Philippo Rege cumulatus, Romam profectus eſt; ibique actis

omnibus, quæ ad geſtum Apoſtolici Nuncii munus, acceptumque Sacræ Purpuræ decus ſpectabant, ſummo inviſendæ Sponſæ ſuæ Eccleſiæ Mediolanenſis deſiderio incenſus, ad hanc Metropolim advolavit Anno MDCXXXV., Pridie Calendas Maji, exceptus ab omnium Civium Ordinibus feſtivâ eâ exultantium animorum ſignificatione, quam delectus in Patriæ Patrem Civis ampliſſimus, tot meritis atque honoribus decoratus promerebatur.

Non diu diſtulit Archiepiſcopus Montius talem ſe probare, qualem communis expectatio ſibi ſpondebat, ideſt amantiſſimum Paſtorem, florentiſque hujus Provinciæ fidum vigilantemque Cuſtodem; ſepoſitis namque commodis omnibus, ac quiete quam exigere videbatur tot itineribus curiſque exactis deſatigata valetudo, confeſtim Paſtoralem viſitationem univerſæ Diœceſis indixit, ſibi proponens glorioſa Deceſſoris ſui aliorumque Præſulum Mediolanenſium exempla, a quibus ne minimùm quidem declinare ſe velle, firmiter conſtanterque ſtatuerat. Suſcepit igitur diuturnum arduumque hunc laborem intrepidâ vultûs hilaritate, ac pervagari cœpit amplas regiones ejuſdem regimini commiſſas, undique ſemina ſpargens Divini verbi, ac ſalutaria condens Decreta, ut reſtituta Prædeceſſorum ſuorum ſudoribus Cleri & populi diſciplina, exſtirpatis zizaniis ab inimico homine ſuperſeminatis, in hoc agro Dominico ſemper vireſceret. Non vacat hìc veſtigia omnia relegere, quæ Montius impreſſa reliquit in aſperrimis rupium jugis, atque in humilibus vallium locis; cùm ſatis ſuperque ſit aſſerere, æquatam fuiſſe ab hoc Antiſtite ſolicitudinem amoremque erga Gregem ſuum,

quo

quo in perluſtranda Diœceſi tantum emicuerant Borromei Archipræſules, & vigilantiſſimus ejuſdem Prædeceſſor Vicecomes. Peculiare id eſt in Cæſare Montio, aſſuetum illum verſari in ſplendidis Principum Aulis, Regiiſque Hiſpani Monarchæ Palatiis inter luxum & obſequia clarioris ſanguinis Equitum, minimè dedignatum eſſe, delicium ſibi ſapidiſſimum facere, rudibus luridiſque vallium Incolis præſentiam ſuam familiariter indulgere, atque in eorum tuguriis fæce ac fuligine ſordidatis placidè immorari, ut eos Divinis præceptis Fideique myſteriis inſtrueret. Sed hæc præclara Paſtoralium virtutum exempla, quæ in Montio emicuere, fideli tantùm cuſtode memoriâ, ad nos tradita pervenerunt; adeòque illa miſſa facimus, cùm alia eximiæ caritatis religioniſque ab hoc Archiepiſcopo relicta, & adhuc vigentia monumenta indicanda ſuperſint.

Dum Verbani Lacûs Oppida & pagos ſacra Viſitatione percurreret Antiſtes hic noſter, in Inſigni Canobii Loco Urſulanas Virgines reperit, quæ manum adjutricem expectabant, ut ſanctiſſimi voti ſui compotes fierent. Collegerat eaſdem in unum Cardinalis Federicus Borromeus Mediolani Archiepiſcopus, fixoque domicilio & Eccleſiâ adnexâ donaverat Anno MDCV. Eas ſolemni pompâ Anno MDCVIII. ſacris veſtibus Sanctæ Urſulæ propriâ manu operuerat, largiſque annuis eleemoſynis, veluti dilectas filias aluerat, cunctis earum occurrentibus indigentiis abundè ſubveniens. Creverant illæ numero & religioſis virtutibus, cœleſtem ſingularis ſanctimoniæ odorem undique diffundentes; propterea ut in perfectionis culmen faciliùs evaderent, Borromeo

Præ-

Præſuli, qui & præſentiâ & Scriptis eaſdem ad arctiorem cum Deo nexum promovere ſemper ſtudebat, conceptum animo fervidum deſiderium ſeſe perpetuis clauſtris Deo devovendi patefecerant, ejuſdem paternam opem implorantes. Exorari ſe facilè paſſus eſt Federicus; adeòque Anno MDCXXVIII. ad hoc illis ab Apoſtolica Sede beneficium impetrandum, ſtudium curamque convertit. Verùm ſuperfuſâ Mediolanenſi Urbi famis luiſque contagioſæ calamitate, ab incœpto deſiſtere debuit, remque omnino infectam paulò poſt moriens reliquit. Contigit laus iſta Succeſſori Antiſtiti Cæſari Montio, qui indeſeſſa ſedulitate earum Virginum cauſam agens, poſt plurium annorum labores, tamdem receptâ a Summo Pontifice omnimodâ facultate, eaſdem obſtrictas inviolabili præcepto pedem e Clauſtro non efferendi, ſeque abdicandi ab omni mundano commercio, Regulâ & indumentis Ordinis Sancti Auguſtini decoravit Anno MDCXLIII., quemadmodum Rivola teſtatur Lib. III. Cap. XXIV. *Vitæ Cardinalis Federici Borromei*.

Non abſimili paternæ dilectionis ſignificatione amplexus eſt Montius alias Urſulanas Virgines, degentes in regione, nuncupata *Portæ Comenſis* hujus Metropolis. Etiam iſtis ſe Patronum Patremque amantiſſimum exhibuerat Cardinalis Federicus Borromeus, ſecuro illas Clauſtro includens ſub Regula & religioſis Sanctæ Urſulæ veſtibus, Eccleſiâ quoque, cui nomen indidit *Sanctæ Mariæ Angelorum*, ipſis dono conceſsâ. Hortum hunc ſuum amœniſſimum (quemadmodum Collegium iſtud ille appellabat) adeò ſolicitâ manu excoluerat, ut incenſæ vehementi Divini amoris æſtu Virgines me-

memoratæ, primam aſperrimam Sanctæ Claræ Virginis Regulam in Ordine Cappuccino profiteri ſummoperè optarent, aſſiduiſque precibus Federici aures fatigarent, ut præcluſâ prorſus Pontificio Decreto ſibi & aliis viâ omni ingreſsûs egreſsûſque ab eo Cœnobio, ſoli Deo vacare poſſent. Id exequi minimè valuit Borromeus, morte præreptus. Patrocinium ſuum ſpopondit Succeſſor Archipræſul Montius, omnemque lapidem movit, ut votis hiſce piiſſimis ſatisfaceret; inſtante præſertim Mariâ Annâ Auſtriacâ, quæ in hac Metropoli morabatur Anno MDCXLIX., proſecutura iter ad Hiſpanias, ut Philippo IV. Catholico Regi matrimonio jungeretur. Infelici tamen ſorte effectum eſt, ut etiam religioſiſſimus hic Archiepiſcopus vacuum prædictarum Virginum deſiderium relinquere coactus ſit, ſequenti anno vitâ decedens.

Perluſtratâ, ut ſuperiùs narravimus, Ambroſianâ Diœceſi, animum intendit Cardinalis Montius ad Cleri Gregiſque ſui mores componendos; quamobrem primam Diœceſanam Synodum celebravit die IX. Aprilis, Anni MDCXXXVI., in qua gliſcenti facilè in Eccleſiaſticos Viros Oveſque ſuas peſti corruptelarum, remediis Decretorum mederi, & priſtinæ diſciplinæ integritati gregem reſtituere conatus eſt; eamque vocavit inter Mediolanenſes *Trigeſimam ſecundam*. Præter hanc indicendæ Synodi cauſam, alteram etiam compertam fecit ipſemet Archiepiſcopus in Epiſtola prævia huic Synodo, in Editione quæ typis peracta eſt anno memorato; eaque eſt quam hìc ſubjungimus. Collegerat Cardinalis Federicus Borromeus Clerum omnem in Diœceſano Concilio,

cilio, ùt moris apud ipſum erat ſæpiùs convocare ad Synodum Clerum ſuum, juxta Tridentini Concilii præceptum. Illo abſoluto, cùm Mediolano abſcedere opus haberet, vulgata prælo fuit poſtrema hæc Synodus, ſub nomine *Trigeſimæ primæ*; ſed aliquorum culpa effecit, ut immutatis nonnullis, additis, vel detractis, adulterata Exemplaria imprimerentur. Perſpectâ in reditu hujuſmodi inſolentiâ Federicus Archiepiſcopus Editionem hanc execratus eſt, prohibuitque, ne venalis fieret; ſed tamquam omnino exploſa flammis abſumeretur. Eodem vitâ functo, cùm Sedes vacaret, abſque ulla legitima facultate, imo contra quàm juſſum erat, iidem Libelli, ùt primò impreſſi fuerant, Diœceſanæ Synodi *trigeſimæ primæ* Titulum præferentes, circumferri paſſim cœpêre. Statim itaque ac Montius regendo hujus Eccleſiæ Clavo aſſedit, conſcius hujus editæ Synodi factus archetypas Chartas perquiri mandavit, cùmque repertæ minimè fuiſſent, Exemplaria ipſa ſerio expendit examine; atque maturâ deliberatione (ùt ipſemet teſtatur) ſtatuit, ut rejectis Sanctionibus, quas abſonas a recta diſciplina invênit, aliæ conderentur, quæ Archiepiſcopali auctoritate firmatæ, debitam a Clero obedientiam exigerent.

Quadriennio exacto novam Synodum Diœceſanam Cæſar Montius coëgit, cujus celebrandæ rationem ipſemet evulgavit in Epiſtola, ad Clerum & Populum Mediolanenſem directâ, quam hìc recudere non inopportunum ducimus, ut ejus vigilantia, in conſervanda antiqua diſciplina, dilucidiùs effulgeat. Hæc autem ita ſe habet:

Uni-

Univerſo Clero & Populo Civitatis & Diœceſis noſtræ Salutem in Domino.

„ MEdiolanenſem Eccleſiam excoluere ſanè optimis De-
„ cretis ac ſalutaribus Inſtitutis, atque omni alia Pa-
„ ſtorali ſolicitudine vigilantiſſimi Prædeceſſores noſtri, ut
„ nihil amplius ad eam rectè ſanctèque regendam deſiderari
„ poſſe videatur. Sed quoniam humanarum rerum ea con-
„ ditio eſt, ut aliquid ſubinde exiſtat, quod addi mutari-
„ que opus ſit, nos qui Divina benignitate ad hujus Ec-
„ cleſiæ gubernacula vocati ſumus, & tam in obeunda Diœ-
„ ceſi, quàm in omni alio noſtro Paſtorali munere haud
„ pauca reperimus, in quibus exequendis paulò remiſſius
„ actum fuit, exiſtimavimus rei Ambroſianæ conſultum fore,
„ ſi in hoc Synodali Conventu, iis quæ in ſuperiore Sy-
„ nodo XXXII. condidimus, hæc pauca adderemus, quibus
„ & obſoleta renovarentur, & quæ denuo emerſerunt cor-
„ rigenda, ad antiquæ diſciplinæ Eccleſiaſticæ normam di-
„ gnitatemque dirigerentur. Accipite igitur alacri animo Le-
„ ges & Decreta, quæ Divino Spiritu invocato vobis con-
„ ſtituimus, decernimus, ac promulgari mandamus.
„ Die XI. Maji Anni MDCXL.

Tertiam quoque Synodum celebravit ſub vitæ ſuæ exitum, veluti præſagiens, ſibi non amplius tempus aſſuturum, quo a dilectiſſimæ Sponſæ ſuæ vultu omnem rugam & maculam poſſet amovere; Anno enim MDCL. ad Superos emigravit, poſt paucos menſes ab hujus Diœceſani Concilii celebratione.

In ipſo ad hanc Mediolanenſem Sedem primo adventu oſtenderat Cæſar Montius, ut hactenus vidimus, ſeſe eodem prorſus ſpiritu fervêre, quo agebantur Prædeceſſores ſui, præſertim Sanctus Carolus Borromeus, & Federicus ejuſdem Patruelis, qui toto niſu ad promovendam Dei gloriam, curandamque animarum ſalutem inſudantes, novas ſemper methodos excogitabant, ut quod ſummoperè expetebant, conſequerentur. Itaque poſt renovatam Synodalibus Conſtitutionibus primævam Cleri populique diſciplinam, circumferens oculos ad reliquum Gregem ſuum, perſcrutaturus, quid eidem afferre poſſet ſecuri adjumenti ad avertendam ſcelerum peſtem, & ſervandum in debiliori Sexu intactum fœminei pudoris honeſtamentum, animadvertit, quamplures in hac Metropoli & Diœceſi adeſſe adoleſcentulas Virgines, quæ aut domeſtica paupertate impellente, aut temporum calamitate ſubſidiis deſtitutæ, ſeu etiam illecebris operatiorum Dæmonum ſeductæ periclitabantur jacturam facere candidi illius floris, quo tantum delectatur Cœleſtis animarum Sponſus, qui paſcitur inter lilia: Quocirca meditatus eſt opportunæ cuſtodiæ repagulo iiſdem conſulere. Primò autem Congregationem piorum hominum, Divini honoris conſervandi deſiderio æſtuantium inſtituit Anno MDCXLI. ſub Titulo *Beatiſſimæ Virginis ſine labe conceptæ*, quæ ſibi gratiſſimæ laudi adſcribit, Reginam Virginum appellari. Iiſdem verò religioſum onus impoſuit perquirendi per Urbem, ſi quæ puellæ pauperes in hoc periculo verſarentur, iiſque proprio vel alieno quæſito in eleemoſynam ære ſubveniendi, donec ſecurum illarum honeſtati aſylum aperiretur. Imo etiam injunxit, ut

ſi quæ

ſi quæ parvî facientes hunc inæſtimabilis pretii theſaurum renuerent, eaſdem in tuto collocare ſtuderent, caritati Sodalium omnium eas commendans, ut, ad imitationem Evangelici Paſtoris, agniculas iſtas aberrare tentantes retraherent ab incauto propoſito, atque humeris ſuis impoſitas, a luporum morſibus intactas ad ovile Divinum reportarent. Neque hoc contentus, ad Vicarios omnes Foraneos Literas dedit, præcipiens, ut ſi quæ hujuſmodi virgines puellæ inopiâ laborantes eidem periculo ſubjacerent, conſcium facerent Præfectum Sodalitatis ab eo inſtitutæ, qui procul dubio illarum tutelam ſuſcepiſſet, ne in laqueum a Dæmone paratum miſerè inciderent. Subinde conſilia ſua convertit ad Domicilium ſtatuendum, in quo longè ab inſidiis poſitæ adoleſcentulæ iſtæ virgineum decus inviolatum ſervarent. Id autem fuit Locus Pius *Sanctæ Febroniæ*, quem ipſe Archiepiſcopus inſtituit Anno MDCXLV, illuc inductis pro recta earum diſciplina probatæ vitæ Matronis, Monialium veſte indutis; Reguliſque etiam præſcriptis tum iſtis tum Sodalibus ad cuſtodiam delectis, ut omnia pro hujus Domus Inſtituto, juxta Archipræſulis mentem ad optimum regimen diſponenda peragerentur.

Proſpicere etiam voluit amantiſſimus Paſtor Montius Fœminis iis, quæ Chriſtianâ verecundiâ peſſumdatâ turpiter denigraverant virgineum candorem aut lucri aviditate, aut voluptatum lenociniis allectæ. Quapropter Anno MDCXLIX. alterum erexit Pium Locum, nempe *Sanctæ Pelagiæ* pœnitentis, ut quæ Divino Spiritu afflatæ a viis iſtis peſſimis recedere optabant, ſed dotis neceſſariæ inopiâ, ab ingreſſu

in Cœnobia pœnitentiæ jam inſtituta arcebantur, ibidem reciperentur, ad præteritas labes lacrymis & corporis caſtigatione eluendas. Septem autem Fœminas integræ famæ ac probitatis eximiæ iiſdem Cuſtodes præfecit, conſtitutis ad optimum gubernium ac cuſtodiam Regulis, in quibus facultatem quoque Matronis illis præbuit, eas adoptandi in ipſarum Ordinem, quæ veræ religionis ſpiritum imbuiſſent, aptæque viderentur ad Opus illud Caritatis promovendum, caſtigatæ vitæ anteacto experimento; cùm reliquæ poſt aliquot ibidem annos exactos, ſibi alibi, ob parvos adhuc reditus, tutam ſedem providêre deberent.

Neque in hac parte tantùm vigilantia & amor beneficus erga Gregem ſuum Paſtoris optimi Cæſaris Montii emicuit, condendi videlicet novos Sacros receſſus, in quibus longè a periculis inſidiiſque inviolatum caſtimoniæ lilium ſervare Virgines poſſent, aut prolapſæ in culpas Fœminæ deturpatam inhoneſtâ fæce pulcbritudinem animæ, quieto pœnitentiæ gemitu repararent: Conſervandis quoque antiquis Inſtitutis, quæ fœtus erant antecedentium Archiepiſcoporum, diligentiam appoſuit. In alterum Domicilium, poſitum in regione Vercellenſis Portæ, tranſtulerat Sanctus Carolus Borromeus Senes pauperes, qui in variis Urbis noſtræ hoſpitalibus Ædibus olim vagati fuerant; eoſque opportunis Regulis communiverat. Malignitate ſuccedentium temporum adeò deſciverant a primæva inſtitutione, ut neglectâ prorſus obſervantiâ Statutorum, quorum vix fragmenta perpauca in ſejunctis Chartulis adnotata ibidem legebantur, arbitrio ſuo vitam ducerent, multumque Pio illi *Pietatis* Loco detrimen-

mentum ex hoc incondito viræ ordine afferebatur. Itaque ut in recti regiminis conſtantem normam eumdem Cœtum Montius redigeret, Conſtitutiones edidit, & præſidentium Equitum, qui illorum cuſtodiam agebant, Chriſtianæ Caritati commendavit; obtinuitque, non tam emendationem corruptelarum quæ invaluerant, ſed etiam incrementum piiſſimæ adminiſtrationis in hunc uſque diem vigentis, opem ferentibus duodecim clari ſanguinis Viris tum Eccleſiaſticis, tum Laicis, qui huic Caritatis Operi ſolicitè proſpiciunt. Data eſt Epiſtola memorati Archiepiſcopi, hiſce Conſtitutionibus præfixa, die VI. Novembris Anni MDCXLVII.

Aderat etiam in hac Metropoli Sodalitas quædam juvenum & virorum, qui nuptias contraxerant; ſed ob paulò ante in Urbe noſtra toleratum infortunium extremæ inopiæ ciborum, & contagioſi morbi, redacta erat ad duos aut tres tantùm ejuſdem ſequaces, ac propemodum extincta, utpote fixâ etiam Sacrâ Æde, in qua pia opera exerceret, deſtituta. Illam erexerat immortalis memoriæ Federicus Borromeus Mediolani Archiepiſcopus, ne abſque ullo Regularum fræno per Urbem vagarentur Feſtis diebus, poſtquam connubii causâ ab Oratoriis adoleſcentum & juvenum recedere coacti fuiſſent: Nec modicum univerſæ Civitati fructum animarum ediderant, ea adimplentes munera quæ iiſdem injunxerat vigilantiſſimus ille Antiſtes, ùt ſuo loco retulimus. Sodales iſtos paterna dilectione complexus eſt Montius, ſtabilique in Sede collocavit, in Eccleſia videlicet Sancti Laurentii, prope Sacram Ædem Scalenſium Canonicorum, condiditque novas ad eorum piam exercitationem Conſtitutiones,

nes,

Digitized by Google

nes, quæ minimè differunt a præſcriptis ante ab Archiepiſcopo Borromeo, ſed additamenta potiùs ſunt ad fovendam inter Sodales Caritatem, iiſque ſubſidia poſt mortem præſtanda.

Mediolanenſis religio, inſita ab antiquo cordibus Civium erga Beatiſſimam Virginem, eos urgebat ad colendam peculiari veneratione Ædiculam quamdam extra mœnia Portæ Orientalis, dicatam *Deiparæ Lauretanæ*. Hanc ampliori ædificio renovaverat Cardinalis Federicus Borromeus, primumque ipſe lapidem ritè benedictum propriis manibus in fundamentis poſuerat Anno MDCXVI., quemadmodum docet exemplar Inſcriptionis eidem lapidi inſculptæ. Ægrè tulit Cardinalis Cæſar Montius, ſolitariam relinqui ac Cultoribus deſtitutam Eccleſiam Sanctiſſimæ Cœlorum Reginæ, ab ipſo impensè adamatæ. Quamobrem advocavit Alumnos *Sancti Bernardi*, *Congregationis Reformatæ* Ordinis Ciſtercienſis, atque erecto Cœnobio, curam illis Sacelli Eccleſiæque omnis Lauretanæ Virginis commendavit, ac poſſeſſionem bonorum omnium, quæ piis largitionibus Civium collata fuerant, in eos tranſtulit, ùt conſtat ex publicis Tabulis, & Diplomate expedito die XX. Novembris Anni MDCXLI., quod hìc ſubjungimus.

„ Cæſar miſeratione Divina Tit. Sanctæ Mariæ Tranſpon-
„ tinæ Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis Mon-
„ tius, Sanctæ Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopus: Dile-
„ cto nobis in Chriſto R. Patri D. Dominico a Sancto Ber-
„ nardo, Provinciæ Lombardiæ Provinciali, Congregationis
„ Monachorum Sancti Bernardi Reformatorum Ordinis Ciſter-

„ cien-

„ cienſis, ſalutem in Domino. Licèt Monaſteria Religioſo-
„ rum ſint Civitatum & Locorum propugnacula, tamen ju-
„ ſta ratione ſuadente, Sacroſanctis Conciliis, ad excluden-
„ dam & reprimendam quorumdam Monachorum præſum-
„ ptionem, qui ſuperioribus temporibus indifferenter per Civi-
„ tates & Loca euntes, Monaſteria auctoritate propriâ ædi-
„ ficabant, ſancitum fuit, ne impoſterum Monaſteria ſine
„ licentia & conſenſu Ordinarii illius Civitatis vel Diœceſis,
„ ubi erigenda erunt, conſtituerentur. Quare cùm nobis
„ præſentaveris Literas patentes admodum Rev. P. D. Joan-
„ nis Franciſci, Superioris Generalis tuæ Congregationis, qui-
„ bus humillimè deprecatur, ut Congregationem & Mona-
„ chos ſuos in hac Civitate introducere & admittere veli-
„ mus, datas ex Monaſterio Sanctæ Pudentianæ de Urbe,
„ die quinta Junii proximè præteriti; noſque ſummoperè cu-
„ piamus, quòd Fabrica Eccleſiæ ſub invocatione Beatæ Ma-
„ riæ Virginis Lauretanæ extra Portam Orientalem hujus Ci-
„ vitatis multis abhinc annis cœpta, & quæ ob præſentium
„ temporum calamitates ferè derelicta reperitur, ad perfe-
„ ctionem, quàm primùm fieri poterit, reducatur; & exi-
„ ſtimemus, id facilè ſucceſſurum, ſi Eccleſia prædicta re-
„ gimini & adminiſtrationi Religioſorum virorum Regularium
„ commendetur; & propterea Eccleſiam præfatam cum ædi-
„ ficiis annexis, unà cum annexa ſupellectili Eccleſiaſtica,
„ rebuſque aureis & argenteis, & aliis tibi conceſſerimus,
„ ùt ex Inſtrumento recepto per R. P. Joannem Baptiſtam
„ Anguiſſolam, Notarium Actuarium Curiæ noſtræ Archiepi-
„ ſcopalis, die decimo octavo præſentis menſis, ad effe-
„ ctum,

„ ctum, ut in dicta Eccleſia & ſitu eidem annexo, ad ho-
„ norem Dei, necnon èt animarum ſalutem, Monaſterium
„ unum ruæ Congregationis erigi poſſit. Nos igitur ſperan-
„ tes, erectionem hujuſmodi Monaſterii majori Dei & Bea-
„ tæ Virginis Mariæ cultui, & ſaluti animarum profuturam,
„ decrevimus precibus præfati admodum Rev. P. Superioris
„ Generalis tuæ Congregationis annuere, & ut in eadem
„ Eccleſia & ſitu Portæ Orientalis extra mœnia Mediolani
„ Monaſterium ipſum ſub invocatione Sanctæ Mariæ Laure-
„ tanæ erigere & conſtruere valeas, facultate & auctoritate
„ noſtra ordinaria, vel aliàs omni meliori modo, jure,
„ via, & forma, quibus melius & validiùs potuimus &
„ poſſumus, his noſtris Literis concedimus, conſenſumque
„ noſtrum præſtamus. Id tamen abſque jurium Parochialium,
„ & alterius cujuſcumque præjudicio; & dummodo ad præ-
„ ſcriptum Conſtitutionum Pontificiarum numerus ſaltem duo-
„ decim Monachorum in eodem Monaſterio ſuſtineatur, &
„ cetera diligenter ſerventur, quæ non ſolùm in iiſdem Con-
„ ſtitutionibus, ſed etiam in Conſtitutionibus fel. rec. Cle-
„ mentis Papæ VIII. & Gregorii XV. hoc de genere edita
„ recenſentur. In quorum fidem &c. Datum ex Palatio Ar-
„ chiepiſcopali Mediolani, die vigeſimo Novembris Anni
„ MDCXLI.

„ ✠ Cæſar Card. Montius Archiepiſcopus.

Eodem erga Deiparam Virginem dilectionis æſtu fervens Archiepiſcopus Montius, ſtatim ac ingreſſus eſt hanc Metropolim, in animum ſuum induxit, honeſtiori loco collocare Imaginem Auguſtiſſimæ Reginæ Mariæ, puerum Jeſum la-

lactantis, miraculis inſignem, quæ includebatur obſcurâ Ædiculâ, in *Conceſiæ* Loco, poſito juxta Foſſam navigabilem, ex Abduæ Fluvio profluentem, vigeſimo ab Urbe noſtra lapide. Itaque expletis magna ex parte Paſtoralis Officii ſui muneribus, a fundamentis erigere cœpit nobilius Templum, eoque ad faſtigium perducto, & de more Eccleſiæ benedicto, illuc profectus eſt Archiepiſcopus, atque a veteri Sede ſimul cum donariis omnibus, frequenti populorum confluentiâ ibidem appenſis, Imaginem tranſtulit, ut decentiùs coleretur, die III. Septembris, Anni MDCXLI. Accivit quoque, ad perpetuum in ea Sacra Æde exhibendum Virgini Matri obſequium, Religioſorum Virorum Coloniam, ideſt Carmelitas Diſcalceatos Sanctæ Thereſiæ; illiſque, ædificato Cœnobio ad eorumdem Ordinis normam propriis expenſis, quidquid ad eam Eccleſiam pertinebat irrefragabili Donatione indulſit die XXVII. Martii, Anni MDCXLVII., reſervato ſibi & Familiæ ſuæ Jure patronatûs, & Ædibus quibuſdam adnexis, quæ ſuorum ac poſterorum habitationi inſervirent. Floret adhuc Locus iſte tum Fratrum Diſcalceatorum religioſiſſimo exemplo, tum cultu aſſiduo illuc per navigabilem Foſſam adventantium Civium & Exterorum.

Reliquum erat, ut fovendis Literarum ſtudiis, quæ valida adjumenta ſunt religionis pietatiſque, quemadmodum cenſuerant Borromei Prædeceſſores, ſolicitam manum adjiceret Cæſar Montius. Porro nec huic muneri implendo curam ſuam deſiderari voluit præclariſſimus hic Antiſtes. Cùm autem Seminarii Mediolanenſis Alumni in eum potiſſimùm finem, intra ambitum elegantiſſimæ illius Ædis enutriantur,

Digitized by Google

ut doctrina & probitate apprimè imbuti, per univerſam Ambroſianam Diœceſim concepta mente & animo Divinæ ſapientiæ lumina, in proventum animatum undequaque diffundant; iiſdem excolendis urgendiſque ad vehementiorem ſemper ſtudiorum amorem, diligentiam ſuam omnem impendit. Proinde Clericorum hujuſmodi privatis publiciſque literariis exercitationibus ferè ſemper intererat attentus auditor & Præſes; utque acrius incitamentum illis adderet, Locum ipſum proprio ære exornavit. Cùm namque periſtylia Columnis miræ molis atque altitudinis, quæ Porticus ambiebant, nondum ſe invicem in angulis complecterentur meridiem versùs atque Occidentem, magnificum hoc Opus abſolvere Cæſar Montius decrevit, adeòque fornicibus extructis, ac marmoreâ coronâ circumdatâ, ex ea parte Porticus junxit; quemadmodum docent ſculpta in fronte Montiæ Familiæ Stemmata, hujus Antiſtitis liberalem magnificentiam teſtantia. Neque hanc ſuam erga Literas amplificandas, quibus ipſe inſtructiſſimus erat, propenſionem animi intra Metropolis noſtræ mœnia continuit; verùm etiam ad Oppidum Modoëtienſe protendit. Vacabat Legatum annuum centum nummûm aureorum, relictum ultimis Tabulis a quodam illius Loci indigena Carmelitis Diſcalceatis, ut ibidem Cœnobium conſtruerent. Eo repudiato a prædictis Fratribus, uſus eſt ſimul cum aliis reditibus additis Antiſtes iſte, ad conſtruendum Seminarienſe Clericorum Collegium. Abſoluto ædificio, illuc ingreſſi ſunt Clerici Anno MDCXLIV., ſub regimine Oblatorum Sancti Sepulcri; ibique etiamnum addiſcendis humanioribus Literis operam navant, antequam ad Superiorum Scien-

Scientiarum Lycæa Mediolanum tranſmigrent. Adjecta ſunt inſuper duo Gymnaſia publica, Oppidanorum commodo, ad expediendos a Grammaticis tricis pueros, erudiendoſque ad ſolidiora ſtudia adoleſcentulos celeberrimi illius Loci.

Proximè innuimus, fuiſſe Literariis ſtudiis Cæſarem Montium eximiè delectatum atque optimè ornatum. Ad hujus rei fidem Poſteris conciliandam adnotare hìc opus eſt, extare apud Clariſſimam Montiorum Familiam Mediolani florentem quamplura autographa monumenta, quæ aſſiduum illius in ſcribendo laborem teſtantur, videlicet Orationes plurimas diverſi generis, Carmina, Epithalamia, præſertim verò CLX. Paſtorales Conciones, quas ille ad populum habuit, cùm Archiepiſcopalis officii ſui muneribus fungeretur.

Addere demum liceat, minimè caruiſſe Archiantiſtitem Montium eo deſiderio Ritûs integrè conſervandi, quo Ambroſiana noſtra Eccleſia glorioſè ab aliis ſecernitur; quodque Archiepiſcopi omnes Mediolanenſes, Sanctus præcipuè Carolus Borromeus, confoverunt. Specimen non prætereundum, ſub extremum vitæ edidit, cùm de reimprimendo Ambroſiano, ùt vocant, Breviario ageretur. Siquidem cùm in privatis coram ipſo Conventibus a piis doctiſque Eccleſiaſticis Viris inter ceteras difficultates iſta quoque proponeretur, opus eſſe, ut Pſalmus *Miſerere*, poſt preces ad Horam Nonam quadrageſimali tempore, in alium commutaretur, utpote ſæpiùs in explendo Divino Officio die eodem recitatus, auream hanc ſententiam edixit: *Retineamus antiquum Ritum*; ſubdiditque rationem, inquiens: *Majores noſtri optimo conſilio id præſcripſere; nullum enim in anni de-*

curſu tempus occurrit, quo Eccleſia magis indigeat miſericordiâ Dei, quàm dies Quadrageſimæ.

Commendanda quoque eſt Archiepiſcopi Cæſaris Montii beneficentia erga pauperes, quorum inopiam largâ eleemoſynarum diſtributione levare curabat. Illud peculiari memoria dignum eſt, conſueviſſe piiſſimum Antiſtitem ſingulis Sextis Quadrageſimæ Feriis, in recordationem dolorum Chriſti Domini Crucifixi, in Triclinium Archiepiſcopale advocare quamplures Pauperes, ut menſæ ſuæ aſſidêrent, ſacrâque aliquâ auditâ lectione animam quoque reficerent.

Demum etiam ad Succeſſores ſuos omnes liberalitatis propriæ teſtimonium tranſmittere voluit. Cùm enim Dignitatis acceptæ ſplendorem & majeſtatem tueri cogatur quicumque in Mediolanenſem Archiepiſcopum eligitur, neceſſe eſt, ut non modicis expenſis Aulas Palatii ſui magnificè exornet. Ad eos aliqua ex parte ſumptuoſo hoc onere eximendos Pinacothecam integram ſuam, in quam inſignium Auctorum pictas Tabellas intulerat, publicis Tabulis ante mortem conditis, Archiepiſcopis omnibus Mediolanenſibus in perpetuum dono dedit; deſignato ad tutelam pretioſi hujus muneris Collegio Canonicorum Ordinariorum Metropolitanæ Baſilicæ, & Generali Rectorum Civitatis Concilio. Quin etiam Ædes ipſas Mediolanenſium Antiſtitum, ut digniùs exciperentur, novis Ædificiis amplificavit. Opimis quoque prædiis auxit Archiepiſcopalem Menſam in Loco Gropelli; ac demum integrum Palatium ad ripam Foſſæ navigabilis a Fluvio Ticino deductæ erexit, quà ad Mazentæ Oppidum via patet, ut feſſi a Paſtoralibus laboribus Antiſtites noſtri, libe-

berioris puriorisſque aëris hauſtu animum recrearent, validioreſque vires ad ampliſſimæ Urbis ac Diœceſis regimen proſequendum recipere valerent: Idque in præſentiarum etiam perdurat; quamvis aliò utplurimùm, capiendi neceſſarii ocii causâ, divertere conſueverint ejuſdem Montii Succeſſores. Aliud etiam nobile Domicilium inter Helvetici Collegii clauſtra conſtrui curavit Montius, in quo a tumultu, & fori frequentiſque vulgi ſtrepitu ſecedere ad placitum poſſent Ambroſianæ Eccleſiæ Præſules, quin pedem longè ab hac Urbe ſubmoverent.

Quantum autem ab amore ſanguinis alienus foret Cæſar Archiepiſcopus, docet Anonymus Scriptor ejuſdem Vitæ adhuc ineditæ, aſſervatæque in Cœnobio Monachorum Sancti Ambroſii Mediolani, e quo hæc poſtrema deſumpſimus, inquiens, in adminiſtrandis Eccleſiaſticis reditibus adeò parcum eum fuiſſe erga Conſanguineos ſuos, ut Fratris Filio, in reſignatione Abbatiæ Vicoboldoni vix CC. nummos aureos annuos reliquerit, ſibi reſervatis omnibus aliis prædiorum fructibus; ajebat enim, nolle ſe morti proximum ullo conſcientiæ morſu vexari, ob malè diſtributum Eccleſiæ patrimonium, fructuſque ab ipſo in ſui regiminis curriculo perceptos.

Dolendum eſt, tam excelſæ indolis animique Præſulem nobis præproperâ morte fuiſſe ſubreptum, cùm nempe ageret vix annum ætatis ſuæ LVII.; deceſſit namque die XVI. Auguſti, Anni MDCL., poſtquam Eccleſiam Mediolanenſem adminiſtraſſet Annis XVII., menſibus VIII., diebus XVIII.

Se-

Sepulcrum habuit ante Aram Beatiſſimæ Virginis, appellatæ *de Arbore*, in Templo Maximo, hoc inſculpto Epitaphio:

OSSA CÆSARIS MONTII CARDINALIS
ARCHIEPISCOPI MEDIOLANENSIS.
REXIT ECCLESIAM ANNIS XV. MENSIBUS III.
VIXIT ANNOS LVII.
OBIIT ANNO MDCL. XVII. CAL. SEPTEMB.

Qui hanc ſepulcralem Inſcriptionem condidère, ab Anno tantùm MDCXXXV., quo ingreſſus eſt Mediolanum, XV. annorum regiminis numerum deſumpſerunt: Revera tamen a creatione, ſeu capta poſſeſſione hujus Eccleſiæ negari nequit, eamdem in rebus ad illam ſpectantibus, a Montii licèt abſentis nutibus pependiſſe; proinde adſcribendi ſunt huic Antiſtiti anni omnes regiminis, quos paulò ante enunciavimus.

AL-

ALPHONSUS LITTA.

CArdinali Montio e vivis erepto, Mediolanenſis Eccleſia ſortita eſt Archiepiſcopum nobiliſſimæ indolis animique ad magna omnia peragenda diſpoſiti, a quo ſpondere ſibi poterat non diſparem, ab eo quod ſub regimine demortui Antiſtitis perceperat incremento virtutum & gloriæ, univerſi Ambroſiani Gregis ſui cumulatiſſimam felicitatem. Innocentius X. Pontifex Maximus, longâ experientiâ edoctus de ſumma vitæ integritate, doctrina, & prudentia in rebus agendis Alphonſi Littæ Mediolanenſis Patricii, eumdem, tamquam munus ſingulare, huic vacuæ Sedi ac Metropoli Archiantiſtitem dedit Anno MDCLII.

Fuerat ille a natura præditus genio ad pietatem adeò propenſo, ut Cappuccinorum Ordini ſeſe adſcribere decreviſſet, niſi gravium piorumque Virorum conſilio a concepto propoſito recedere coactus fuiſſet ob virium ac valetudinis exilitatem. Igitur ſe totum Literis addiſcendis adjecit, ac primò in Salamantico Collegio Juris Canonici tyrocinia poſuit, poſtmodum autem Bononiæ illud ſtudium abſolvit, Laureâ etiam ibidem donatus. Mediolani in Collegium Equitum Juriſperitorum adoptatus, Federici Borromei Archiepiſcopi hortatu Romam ſe contulit. Ibidem primis Romanæ Curiæ honoribus inſignitus, ab Urbano VIII. Summo Pontifice celerrimè promotus eſt ad excelſiores Dignitates. Ari-

mini

mini enim primùm renunciatus Moderator, ſubinde Orvieti, Camerini, aliarumque Urbium Romanæ Provinciæ gubernacula ſuſcepit; miſſus quoque ab eodem Pontifice Maximo Pro-Legatus Bononiam, ubi plena auctoritate Legati munus agebat ejuſdem Nepos ex Fratre Cardinalis Antonius Barberinus: Neque multò poſt Alphonſum Littam Generalem Pontificii exercitûs Commiſſarium declaravit. Præſtat hìc initium Diplomatis referre, ut quàm ſplendidæ in hoc noſtro Cive refulgerent animi dotes, apertiùs dignoſcatur. Ita igitur exorditur: *Spectata tua in gravibus hujus Sedis Apoſtolicæ negotiis gerendis fides prudentia atque integritas, ac ſingularis, quam erga nos & eamdem Sedem geris devotionis affectio, nos inducunt, ut operâ tuâ, hac in re quæ nobis maximè cordi eſt libenter utamur, firmâ ſpe ac fiducia in Domino freti, te ea quæ tibi commiſerimus, rectè & ex animi noſtri ſententia adminiſtraturum* &c. Sanè in hoc munere implendo, tanta dexteritate ac fide ſe geſſit Alphonſus Litta, ut, cùm vacante Anno MDCXLIV. Apoſtolica Sede, plures alii Præſules ab officiis ſuis, Collegii Cardinalium Decreto, amoti fuiſſent, ipſe tum ab iiſdem, tum a Succeſſore Innocentio X. confirmationem acceperit. Ad quot alia Apoſtolicæ ditionis Loca regenda Supremi Præfecti titulo directus deinde fuerit, quotque in populos earumdem regionum beneficia contulerit, præterire fas eſt, ne longè nimis ab Inſtituto noſtro aberremus.

Anno MDCL., quo viduata Sponſo ſuo Mediolanenſis Eccleſia, tanti Archiepiſcopi jacturam deflebat, Innocentius X. biennio poſt, ùt retulimus, nullum ex Præſulibus optimè me-

metitis meliorem præ oculis habuit, quem ſubſtitueret Ambroſiani Gregis Paſtorem, quàm Alphonſum Littam, ob egregiè jam geſta munera apud omnes celeberrimæ famæ. Itaque, ut quàm citiùs fieri poſſet, ad Mediolanenſis Eccleſiæ regimen properaret, ſacro Chriſmate ſe inungi curavit; idque peregit Cardinalis de Roma die XXIV. Junii, Anni MDCLII. Præviam ſubinde Epiſtolam, amoris plenam ad hujus Metropolis Clerum & Populum miſit, quæ *in ejuſdem Vitâ* prælo vulgata recitatur; ac confeſtim iter aggreſſus, Patriam hanc ſuam plaudentibus Civibus, univerſiſque Ordinibus triumphali apparatu illum excipientibus eſt ingreſſus die XVII. Novembris, anni jam memorati: nullâque morâ interpoſitâ muneris ſui exactè implendi cogitationem ſuſcepit. Ac primò in montanas atque alpeſtres Diœceſis ſuæ partes Paſtoralem viſitationem inſtituit; & ne oneri eſſet Clero & Populis earum regionum hoſpitium ſuum, pragmaticam Sanctionem indixit, ut quidquid ad ſeipſum vel Aulicos ſuos alendos ſpectabat, proprio ære pararetur, cùm ad illorum proventum ac ſolamen animarum, non ad gravamen profectio iſta ſuſcepta fuiſſet. Mediolano reſtitutus, ut malis, quæ in Oves ſuas irrepſiſſe detexerat, mederetur, Synodum convocavit, eamque celebravit Anno MDCLVIII., ſub Titulo *Trigeſimæ quintæ* Mediolanenſis, Conſtitutiones præſcribens, quæ tum in Clero, tum in Populis ſpiritum rectum innovare poſſent, ac deſideria in Miniſtris Dei excitare, ad Vineam Domini ſolicitis laboribus excolendam. Cùm autem Archiepiſcopo Littæ nondum ſatis conſultum eſſe videretur unico ſalutari illius Diœceſani Concilii remedio,

dio, ad revocandam in Grege ſuo Ambroſianæ Eccleſiæ diſciplinam, iterum poſt duo luſtra, ideſt Anno MDCLXIX. Clerum ſuum in unum coaleſcere juſſit, aliamque Synodum habuit, *Trigeſimam ſextam* nuncupatam, in qua Decreta ſancivit magni ponderis ac facilitatis, quæ neceſſaria cenſebat ad repellendos ab Ovibus ſuis magis remotis errores, ac vitia ſeſe tacitè inſinuantia, ob mutua commercia cum finitimis populis, Hæreſum peſte laborantibus; ſimulque viciniori bus huic Metropoli gentibus paternâ ſolicitudine providit, ne abſque fræno ſeverioris regiminis, callis ad æternam vitam ducentis aſperitatem refugientes, iniquitatis vias liberè percurrerent.

Floruerat uſque ad ea tempora, quibus Mediolanenſi Eccleſiæ præſidebat Archiepiſcopus Litta, Concordiæ cum Regiis Adminiſtris ſtatutæ a Federico Cardinali Archiepiſcopo Borromeo tranquillitas; cùm, novis ſemper ſuccreſcentibus emendicatis titulis frangendi initum fœdus, turbulentiſque ingeniis ad id continuò inhiantibus, ut de læſa Juriſdictione Regia querelas armare valerent, immunitas Eccleſiaſtica concuti cœpit. Intrepidi cordis magnanimitas, qua præditus erat Alphonſus Antiſtes, jacula omnia in hanc excuſſa generosè obtudit. Sed longum certamen inire debuit, in quo tamen victor ſemper evaſit, invictâ conſtantiâ, magnis inſumptis laboribus. Seriem hujus concertationis non opus eſt minutim evolvere, cùm proximitas ætatis eamdem nondum e Civium memoriâ expunxerit, & a pacatioribus calamis tranſmitti ad poſteros illa poſſit. Id certè omitti nequit, forti animo propugnaſſe indemnitatem Monialium, quæ in

in extramuranis Clauſtris includebantur. Res ita contigit. Exortis ſimultatibus inter Hiſpanos Galloſque Anno MDCLV., deſcenderant in Inſubricas oras Copiæ Regis Galliarum, & uſque ad Suburbia hujus Metropolis penetraverant, undique militari licentia graſſantes, ne exceptis quidem Sacris Deo Cœnobiis Mulierum ac Virorum. Scripſit vigilantiſſimus Archiepiſcopus ad Ducem Mutinæ Franciſcum Eſtenſem, qui univerſo Gallico exercitui Præfecti Generalis auctoritate præerat, eumdem rogans, ut bellicæ virtuti conſociare dignaretur Catholici Principis pietatem iis in rebus, quæ ad Dei honorem pertinebant. Neque irritæ fuere Archiepiſcopi preces, ac religioſiſſimum votum. Siquidem Dux ille, ſeveris Edictis ad milites datis, eorumdem licentiam compeſcuit, vetavitque, ne in Sacra Virginum præſertim Loca debaccarentur. Interim perterritæ periculi vicinitate Moniales, Mediolanum turmatim aufugerant. Illas paterno amore excepit Alphonſus Litta, diſtributaſque in tutis receptaculis, propriis expenſis aluit, quamvis ad quadringenteſimum numerum excreviſſent. Neque a pio hoc Opere deſtitit, niſi cùm, ſtatutâ Pace, ab Inſubricis finibus hoſtiles Copiæ exceſſiſſent. In hoc Mediolanenſis Civitatis diſcrimine, Patriæ quoque ſuæ periclitanti conſuluit Alphonſus. Cùm enim Supremus hujus Provinciæ Moderator Marchio de Caracena, ob exiles acies ſe imparem profiteretur ſuſtinendo univerſo belli oneri, & iſtius Metropolis mœnibus tutandis ab hoſtilium phalangium furore, atque ideo extra Urbem dimiſiſſet Copias ſuas, ut inimicum exercitum a fronte comprimerent, ne ulteriùs progrederetur; Archiepiſco-

pus Litta facultatem Eccleſiaſticis omnibus Viris indulſit, ut ad Patriæ defenſionem arma ſumerent, atque in mœnibus conſiſterent, ad Gallicas aggreſſiones ſtrenuè propulſandas; eumque per Epiſtolam Philippus IV. Hiſpaniarum Monarcha eximiè commendavit de opportuno promptoque ſubſidio præſtito, non ſine grati obſtrictique animi ſignificatione, ob hoc tam illuſtre teſtimonium amoris erga Hiſpanicam Dominationem.

Pervulgatâ in omnibus Regionibus famâ imperterritæ fortitudinis, exactæque religionis, quas in Paſtorali ſuo regimine maniſeſtiſſimis exemplis ubique commonſtraverat Alphonſus Litta, commotus Alexander VII. Pontifex Maximus, memor veterum meritorum erga Eccleſiam Romanam in muneribus optimè ab eodem adminiſtratis, & recentium inſignium operum, quibus nomen ſuum illuſtraverat, Alphonſum Littam in Collegium Cardinalium adoptavit Anno MDCLXVI., die XV. Februarii, universâ Româ ac præcipuè Mediolanenſibus Civibus incredibili exultatione cordis plaudentibus.

Receptâ hac excelſa Dignitate, nihil remiſit Cardinalis Archiepiſcopus de conſueta ſua paterna in pauperes reliquoſque indigos Cives benevolentia: quinimo eamdem auxit. Quadraginta pauperes quolibet die a Parochis indicatos alebat; ſexcentis in Natalitio Dominico die, & in Cœna Domini victualia ſubminiſtrabat; cuilibet Cœnobio Cappuccinorum in ſingulos menſes, XXV. nummos aureos erogari jubebat, præter ceræ, vini, olei, carnium, & pharmacorum dona, quoties illis indigerent; Monialibus verò ejuſdem Ordinis

dinis vini opem, quantum ſatis eſſet, per annum præſtabat. Nimis prolixam narrationem inſtitueremus, ſi omnia recensêre nobis in animo eſſet, quæ ipſe liberali manu tribuebat detentis in carcerum vinculis, in Noſocomìis, Viduis, Orphanis, Puellis dote carentibus ad nuptias contrahendas, Monialibus demum pauperibus intra Urbem ac Diœceſim. Memoriam peculiarem meretur Opus illud, quod aggreſſus eſt Alphonſus in favorem Nobilium exterorum, in hanc Urbem venientium, qui morbo aliquo corriperentur: Partem enim Palatii Archiepiſcopalis, amiſſæ valetudini redintegrandæ aſſignavit, delectis etiam probis Viris qui publicas vias percurrerent, indagaturi, an eorum aliquis in Diverſoriis ægrotus, claris natalibus ortus degeret; aſſerente hoc noſtro Antiſtite, minimè decêre, ut melioris conditionis homines, extra Patriam ſuam ſimul cum inopibus plebejis, in publicis Noſocomìis jacerent. Eorum autem curationi in privatis hiſce cubiculis famulos, remedia, & quidquid opus erat, propriâ pecuniâ parari mandabat, ſuâque etiam frequenti viſitatione illos dignabatur, nummos inſuper iiſdem ſuppeditans, ſi pecuniâ carerent, cùm refectis viribus reditum ad lares patrios aggrederentur.

Remanſerat adhuc inexpletum deſiderium Monialium *Sanctæ Mariæ Angelorum* uſque ad regimen Archiepiſcopi Littæ, ob feſtinum duorum præcedentium Mediolanenſium Antiſtitum obitum, qui ſuſceptam pro eodem implendo curam eluſerat. Perfecit pium hoc Opus Alphonſus Litta: Siquidem acceptis Apoſtolicæ conceſſionis tabulis, ſolemnem Cleri univerſi Supplicationem inſtituit Anno MDCLV., die I. Aprilis,

lis, in qua comitantibus Nobilibus Matronis Civitatis, ipſo etiam agmen claudente Pontificalibus indumentis ornato Archiantiſtite, deductæ ſunt illæ Virgines, ſpineum in capite ſertum & humeris Crucem gerentes, ad Clauſtra Cœnobii ad normam Eccleſiaſticam diſpoſita, ibidem perpetuò includendæ juxta mentem Summi Pontificis. Tantam autem excellentis ſanctimoniæ opinionem ſibi apud Cives noſtros conciliavêre Moniales iſtæ, conſtanti obſervantiâ vitæ aſperrimè ductæ ad Regularum præſcriptum, ut in hunc uſque diem in ſumma veneratione habeantur, & dulce quoddam refugium ſint quibuſcumque aut infortuniis, aut morbo vexatis, qui ad earum preces confugiunt, ob levamen a Deo faciliùs ac promptiùs impetrandum.

Magnificentiæ quoque, quam ſemper comitem ſecum duxit Alphonſi Littæ animus Principe dignus, nobile teſtimonium dedit in Mediolanenſis Seminarii Lycæis. Cùm enim liberalium diſciplinarum Scientiarumque ſtudiis ſummoperè delectaretur, & more præcedentium Antiſtitum ſæpius inviſeret gymnaſia Clericorum ibidem literas addiſcentium, eadem reperit adeò anguſta, ut neceſſe illis foret, proximum aliquod Templum adire, in quo publicæ diſputationes inſtituerentur. Non tulit hanc Loci inopiam Archiepiſcopus Litta; ſed propenſo ſuo ad liberalitatem genio ductus, ampliſſimam Aulam fornice & eleganti ornatu inſtructam impenſis ſuis erexit, quæ nobiles ac doctos quoſcumque Auditores capere poſſet. Inſuper, cùm Janua primaria præclariſſimi illius Emporii Scientiarum rudis admodum foret, ob nondum abſolutas Ædes juxta ſtatutam ejuſdem Iconographiam,

phiam, adeò Littæ oculos offendit, ut nobiliorem frontem ingreſſui ad Seminarium dare decreverit, eductis ex marmore coloſſeis Simulacris Cariathidum, hinc inde reliquam molem pariter marmoream ſuſtentantium, quæ auguſti Ædificii ſpeciem ingredientibus referunt. Neque in parando externo tantùm decore Seminarienſis Collegii ſeſe continuit diligentia & amor hujus Antiſtitis; verùm liberalium etiam ſtudiorum exercitationibus ampliorem campum aperuit, geminam inſtituens Academiam, Philoſophicam unam, & Poëticam alteram. Quinimo Legum, & præſertim Sacrorum Canonum ſtudium, adeò Clero proficuum, in Seminarienſe Athenæum induxit. Etiam ad alterum Seminarium, *Canonicæ* nuncupatum, liberalem ſuam magnificentiam extendit. Cùm enim vetuſti parietes ruinam minarentur, novos ſubſtruxit, ac Porticu fornicatâ & marmoreis ſuffultâ Columnis adornavit.

Aderat non longè Collegium Nobilium, a Sancto Carolo Borromeo conſtructum, & eidem Oblatorum diſciplinæ commendatum. Huic, ut commodiùs adoleſcentes Equites ad pietatis & Literarum ſtudia promoverentur, cenſus adauxit, aſſignato ipſis e ſuo patrimonio reditu annuo CCC. aureorum nummûm; quemadmodum ad perennem hujus doni memoriam teſtatur affixa ibidem ſequens Inſcriptio:

AL-

ALPHONSUS LITTA ARCHIEPISCOPUS MEDIOLANENSIS
FUNDATUM OLIM A SANCTO CAROLO COLLEGIUM
PRO NOBILIBUS EDUCANDIS,
ANNUO REDDITU SCUTORUM TRECENTUM
FIRMAVIT ET AUXIT ANNO MDCLIV.

Dum auctus Sacræ Purpuræ honore Anno MDCLXVI., ad Eccleſiam Sponſam ſuam nobiliùs condecorandam incumberet repetitis Viſitationibus amplæ ſuæ Diœceſis, accitum ſe Romam per Literas intellexit ab Alexandro VII. Pontifice Maximo, qui ejuſdem adventúm ſummo deſiderio expetebat, ob graviſſimi momenti negotia expedienda. Paruit mandatis Pontificiis Cardinalis Litta, exceptuſque ab eodem Summo Hierarcha mira benignitate, illuſtrius experimentum prudentiæ ac dexteritatis edidit, itaut Sveciæ Regina illum publicè commendaverit. Infauſta poſtmodum res accidit, nempe mors Alexandri: Quocirca Conclave ingredi debuit, ſuique judicii auctoritate effecit, ut probatæ jam vitæ Cardinalis Roſpilioſius in Romanum Pontificem deligeretur, ſub nomine Clementis IX. Perfunctus ſubinde muneribus omnibus, quæ eidem injuncta fuerant, Mediolanum rediit Anno MDCLXIX. Ibidem verò conſuetos Paſtorales labores renovavit, Dei cultui procurando atque animarum proventui, quàm maximè intentus. Cùm autem proximus eſſet Jubilæi Annus MDCLXXV., ut ſpiritualium donorum, quibus Roma abun-

abundat, particeps foret, datis ad Miniſtros ſuos opportunis Monitis ac Decretis, illuc contendit; non modico tamen valetudinis ſuæ diſpendio, tentatus enim per intervalla a podagræ morbo, labefactari viribus cœpit. Interim Clemens IX. Pontifex Maximus vitæ curſum explevit; atque ideo iterum Cardinalis Litta ad Conclave accedere debuit, in quo promotus fuit ad Romanam Cathedram Cardinalis Alterius Anno MDCLXXVI., ſub nomine Clementis X. Hujus etiam Supremi Hierarchæ brevis fuit Pontificatus; quamobrem ob novum deſignandum Eccleſiæ Romanæ Sponſum denuo opus fuit Cardinali Alphonſo Littæ Conclavi ſe includere. Sed hanc cum aliis gloriam adeptus eſt, quòd ſuffragio ſuo Electionem juverit Cardinalis Benedicti Odeſcalchi, ſub nomine Innocentii XI, de cujus promotione ad Sacras Aras Pontificium oraculum anxiè nunc expectatur.

Antequam hinc recedamus, innuere ſaltem expedit fervidum amantiſſimi cordis æſtum, quo calebat Cardinalis Archiepiſcopus Litta erga Eccleſiam ſuam Mediolanenſem. Quamvis enim longè ab hac Metropoli abeſſet, totque Apoſtolicæ Sedis negotiis ad proſperum exitum perducendis diſtineretur, præ oculis tamen ſemper habuit Sponſam hanc ſuam, fixamque in animo curam retinuit, ſplendidiùs illam ornandi. Notum eſt, Cives noſtros, ablatis atque Coloniam deductis Sanctis trium Magorum Corporibus, in barbara Federici Ænobarbi everſione hujus Metropolis, inter direptiones exciſæ Patriæ, ſolam hujuſmodi jacturam acerbiùs defleviſſe, neque ullo umquam temporis intervallo (quod unicum afflictis ſolatium eſſe poteſt) dolorem ſuum lenire po-

tuiſſe; imo perpetuò curaſſe, ut pretioſiſſima hæc pignora primævo tumulo reſtituerentur. Ludovicus Maria Sfortia Dux Mediolani ſub finem Seculi XV. inter ceteros in id unum ſeriò incubuit, ut interpoſitâ auctoritate Alexandri VI. Summi Pontificis obtineret, quod tanta anxietate expetebat Mediolanenſis populus, quodque impetrare nequiverat ab Archiepiſcopo Colonienſi. Sed incaſſum abiit omnis conatus. Iterum Sanctus Carolus Borromeus deſperatæ hactenus huic Cauſæ ſeſe obtulit patronum, ſcriptis Epiſtolis ad Joannem Baptiſtam Caſtaneam Coloniæ degentem, ut fœdus inter Philippum II. Hiſpaniarum Regem, & Belgas ſanciret. Quin etiam Cæſarem Specianum obviam redeunti miſit, ut linguæ officio, Præſulem tanti nominis preſſiùs urgeret, ad impetrandam ab Archiantiſtite Colonienſi tam deſideratam a Grege ſuo hujus muneris conceſſionem. Verùm iſta quoque ſolicitudo benigno caruit aſſenſu. Tentavit poſtremò hanc aleam etiam Cardinalis Alphonſus Litta, Româ expediens Literas ad Archiepiſcopum Epheſinum, Apoſtolicum ad Rheni Principes Nuncium; & ut repulſam faciliùs eluderet, unum tantummodo ex ſingulis Sanctorum Magorum Corporibus digitum imploravit. Sed reſponſum Epheſini Archiepiſcopi fuit, adeò zelotypâ cuſtodiâ theſaurum illum in Sacello occluſum teneri, ut vix Peregrinis per oſtiolum inviſendi eumdem facultas tribuatur. De hoc fuſiùs egimus *in Appendice, pro vindicanda Mediolano Sanctorum Protaſii & Gervaſii Corporum Poſſeſſione* num. XXIII, & ſeqq.

Itaque depoſitâ ſpe ne minimam quidem Sanctorum trium Magorum Corporum partem recuperandi, ad conſervandam gem-

gemmam illam, quæ deſponſatæ ſibi Eccleſiæ ſplendidior erat, ideſt Ambroſianum Ritum, diligentiam ſuam omnem Alphonſus Præſul adjecit. Hujus rei præclarum ſpecimen dederat, ſtatim ac Mediolanum eſt ingreſſus. Siquidem cùm primum Solemne Sacrum ad Aram Maximam Metropolitanæ Baſilicæ Natalitio Domini die celebraret, atque ob nimiam prolixitatem in iis omnibus perficiendis, quæ in ea Solemnitate præſcribunt Liturgici Libri, Sacri adſtantes Primarii Miniſtri Divinarum Laudum Officia decurtandi conſilium cepiſſent, admonitus Archiepiſcopus id vetuit, inquiens, ſe potiùs permiſſurum, ut digitus a manu ſibi præcideretur, quàm particula aliqua cæremoniarum Sacri Ambroſianæ Eccleſiæ Ritûs detruncaretur. Statuerat quidam Abbas e Cribella Familia, qui Titulum obtinuerat Eccleſiæ *Sanctæ Mariæ de Pace* in Oppido Mazentæ, Diœceſis Mediolanenſis, abjecto Ambroſiano Ritu, Romanum amplecti. Aſſentiri petitioni huic renuit Alphonſus Antiſtes, deductâque ad Sacram Congregationem Cauſâ, favorabile iſtud Reſcriptum recepit Anno MDCLXIII.: *retinendum antiquum Ritum, nihilque innovandum*. Extat hoc Decretum Sac. Rom. Congr. Rituum in Scriniis Archiepiſcopalis Mediolanenſis Archivi. Etiam in noſtra Metropoli Moniales Ordinis Cappuccinorum, noſtro Ritui addictæ in Cœnobiis *Sanctæ Barbaræ*, & *Sanctæ Mariæ Angelorum*, ſe recipere ad Romanum anhelabant; prohibitæ tamen ſunt ab Archiepiſcopo Litta; nec umquam, donec iſte in vivis fuit, ne minimum quidem lapidem moverunt, ut a jurato Ritu Ambroſiano recederent. Parem conſtantiam oſtendit, cùm de reformandis Divini Officii Li-

Tt 2 bris.

bris ageretur. Cùm enim de emendandis Hymnis, qui a calamo Sancti Ambroſii profluxerant, aliiſque antiquâ conſuetudine ſemper recitatis propoſitum fuiſſet doctorum hominum votum, illud, exemplo Federici Borromei & Cæſaris Montii ductus, Archiantiſtes noſter Litta prorſus rejecit.

Creato Summo Pontifice, optimo Innocentio XI. Cardinalis Litta reditum in Patriam moliebatur, reliquum vitæ exacturus in Archiepiſcopalibus ſuis curis. Spes tamen omnis Eccleſiæ ſuæ reviſendæ evanuit, intercludente viam podagrâ, quæ ingraveſcens in dies acerbiùs, eumdem lecto per triennium Romæ affixit, & poſtmodum ſuperfuſo pectori maligno humore, illum vitâ ſpoliavit. Accidit ferale infortunium die XXVIII. menſis Auguſti, Anni MDCLXXIX. Delatum eſt Cadaver ad Eccleſiam Sancti Caroli, appellati *ad Curſum* Nationis Mediolanenſis, atque Inferiis celebratis ibidem tumulo datum. Poſt aliquot annos, ex Teſtamento translatum eſt Mediolanum Littæ Corpus, ac ſepultum in Metropolitana Baſilica, ante Sacellum Sanctiſſimi Crucifixi, ad cujus Aram, cùm in hac Metropoli degeret, immaculatam Hoſtiam ſæpiùs Deo ipſe litabat, ob ſummam religionem, quam erga illam Crucifixi effigiem conceperat, eâ etiam de causâ, quòd Sanctus Carolus Borromeus illam propriis manibus contrectaviſſet, quo tempore, laborante hac Metropoli peſtilenti morbo, eamdem Crucifixi Imaginem per omnes Urbis regiones circumtulit. Inſculptum fuit Sepulcrali Lapidi ſequens Epitaphium, quod vivens ſibi conſtruxerat.

AD

AD NIHILUM
HIC REDACTUM EST CORPUS
ALPHONSI LITTÆ
CARDINALIS SANCTÆ CRUCIS IN JERUSALEM,
OLIM ARCHIEPISCOPI MEDIOLANI.
ORATE PRO EO.
OBIIT V. CALEND. SEPTEMBRIS MDCLXXIX.
ÆTATIS SUÆ LXXI.

Mediolanenſem Eccleſiam rexit annis XXVII., & aliquot menſibus. Ad nobiliùs exornandum Sanctiſſimi Crucifixi in Templo Maximo Sacellum, ante quod humari ſe juſſit, non modicam pecuniæ vim, ſicuti etiam Aræ ſubterraneæ Sancti Caroli quatuor mille aureorum nummûm, omnemque ſupellectilem argenteam atque Attalicam Sacelli ſui domeſtici, ultimis Tabulis legavit, quemadmodum Lapis ibidem poſitus teſtatur, in perpetuum munificentiſſimæ largitatis Alphonſi Littæ Archiepiſcopi monumentum. Succeſſorum quoque Antiſtitum ſuorum bono proſpexit: Cùm enim inſtrumenta omnia agreſtia, & quæ ad prædia excolenda neceſſaria ſunt, non parvo æris impendio aut paranda ſint, aut redimenda ab Hæredibus Prædeceſſoris, Alphonſus Litta, quidquid de ſuo Colonis Loci Coranæ, juris Menſæ Archiepiſcopalis, veluti in dotem jam aſſignaverat, ab ipſo comparatum, futuris Mediolani Archiepiſcopis in perpetuum conceſſit.

Pro-

Proximè recenſuimus quæ Alphonſus Litta in poſtremæ voluntatis ſuæ Tabulis Subterraneo Sancti Caroli Sacello, in perenne obſequii ſui pignus, moriens legavit. Sed multò majora vivens obtulerat. Cùm enim Sacellum illud obryzo argento in ſuperiori parte operiatur, pundo MMMMMM-DCCLX. unciarum, ùt in ejuſdem vulgata typis Deſcriptione legitur, atque octo argenteæ pariter tabellæ, & anaglypho opere cælatæ, exprimentes admirabiliora Sancti Caroli Acta, ambiant octangulum illud Ædificium, Cardinalis Alphonſus Litta ſex ex illis proprio ære effingi curavit, in venerationis ſuæ teſtimonium, & liberali dono, Sancti Prædeceſſoris ſui Tumulo eſt elargitus.

Digitized by Google

FEDERICUS II. VICECOMES.

LAcrymabilem jacturam, quam perpeſſa fuerat Mediolanenſis Eccleſia, orbata optimo atque amantiſſimo Sponſo Cardinali Alphonſo Litta, reparavit Innocentius XI. Pontifex Maximus, ſubſtituens in hac Sede Federicum Vicecomitem, non inæqualis nobilitatis, doctrinæ, ac probitatis Præſulem, die XXV. Junii, Anni MDCLXXXI. Effulſerant a primis uſque annis Eccleſiaſtico Viro dignæ virtutes in Federico; proinde ob ſummam in utroque Jure comparatam aſſiduo ſtudio peritiam, adſcriptus eſt Collegio Equitum Juriſconſultorum & Judicum Mediolani: Dein promotus ad Dignitatem Primicerii Majoris in Metropolitana Baſilica, vitæ ad leges omnes Clericalis miniſterii compoſitæ exemplo claruit.

Splendidiùs tamen emicuere animi ingeniique dotes, cùm Romam delatus, ad prima gerenda munera Curiæ illius adlectus eſt; iis enim egregiè perſunctus, ſuperiores gradus conſcendit, miſſus ab eodem Summo Pontifice Innocentio XI. ad regendam Tiburtinam Urbem ejuſque ditionem, poſtmodum ad Tiphernatem ac etiam Montis-alti Civitates, ubique glorioſa prudentiæ & æquitatis veſtigia impreſſa reliquit. Adnumeratus demum eſt Præſulibus excellentioris ingenii judiciique ſanioris, Sacræ Rotæ Auditoribus; præmiumque exactorum per plures annos laborum, fuit Infula Mediolanenſis. Imparem tamen meritis præſtantiſſimi hujus Archipræſulis exi-

Digitized by Google

exiſtimavit Innocentius ſolam hanc, licèt excelſam Dignitatem: Quapropter primo die menſis Decembris anni ejuſdem illum Sacrâ Purpurâ inſignivit, ſub Titulo Sancti Alexii.

Ingreſſus eſt Metropolim noſtram die XI. Januarii, Anni MDCLXXXII. Quàm divite apparatu, Civiumque omnium plauſu exceptus fuerit, recenſere abſtinemus, cùm in publicam lucem tunc prodierit luculenta peractæ Solemnitatis narratio, ab Aloyſio Pionnio contexta. Præterire certè non poſſumus religioſam Paſtoralis animi promptitudinem, qua Federicus Vicecomes, ſtatim ac Urbem hanc adiit, Gregis ſui curæ manum admovit; more namque antecedentium Archiepiſcoporum remotiores Oves ſuas inviſit, iiſque ejuſmodi ſolatium & gloriam attulit, quòd ipſæ paterni amoris hujus novi Paſtoris primitiis fruerentur. Et ſanè magno earumdem emolumento contigit feſtina hæc Viſitatio. Siquidem, cùm ſeriâ indagatione, mala quæ invaluerant in Pagis atque Oppidis illarum regionum, necnon poſthabita a Clero, gliſcentibus corruptelis, Synodalia Prædeceſſorum Decreta perſpexiſſet, Mediolanum reverſus medelam paravit, convocatâ Synodo Diœceſanâ, in qua & Cleri diſciplinam ſeveris legibus editis renovavit, & opportunis remediis illata, iniquitate hominum ac temporum, vulnera Chriſtianæ morum integritati ad cicatricem reduxit.

Animum ſubinde revolvit ad Sacras Ædes aut fatiſcentes, aut negligentiâ Rectorum parùm excultas, omnique adhibito niſu effecit, ut refectis decor, & ſplendidiùs ornatis ſacra majeſtas reſtitueretur. Inter has Urbis noſtræ Deo dicatas Eccleſias erat Templum Maximum, vetuſtis ſtructuris

adhuc

Digitized by Google

adhuc intactis in altum ſurgentibus, quæ delineatam ab Architecto immanis hujus Ædificii longitudinem decurtabant, prope Januam Decumanam. Itaqne nobilem hanc cogitationem iniit, atque executus eſt Federicus Cardinalis Vicecomes, ut nempe, dejecto ad ſolum obice illo, qui per duo circiter Secula ſejunxerat antiquum in memoratam Baſilicam ingreſſum, ab aditu elegantiſſimè de novo inſtructo, ſpatioſiſſimæ areæ uſque ad Altare Majus protenſæ amplitudo introëuntium oculis materiem admirationis & venerabundi obſequii incitamentum, quadam ibidem inhabitantis Divinæ Majeſtatis imagine, ingereret; ſuumque votum adamuſſim impletum conſpexit. Hac occaſione interiorem quoque proſpectum Januæ Majoris elegantiùs adornavit, poſitis ad latera duabus, quas jam paraverat Federicus Borromeus Archiepiſcopus, marmoreis magnæ molis Columnis. Promovit etiam Vicecomes externum Templi Maximi decorem; effecit enim ſuis conſiliis, ut elevata aliquantulum Veſtibuli planities, ſectis lapidibus ſtrata, & marmoreis gradibus circumdata, commodum adventantibus acceſſum præberet. Supererat ulterior platea, quæ Tabernulis ligneis ſe invicem complectentibus, a vetuſtis temporibus conferto veluti agmine obſidebatur, itaut amplum ejuſdem ſpatium & proſpiciendæ frontis Templi libertas a confluentibus illuc populis prorſus eriperetur. Ad Rectores igitur Civitatis confugit Antiſtes Vicecomes, eos adhortans, ut exſtirpatis ignobilibus iis impedimentis, primævum nitorem ac venuſtatem hujus nobiliſſimæ Metropolis in patenti area iſta reſtituerent. Nec inane iſtud fuit Federici meditamentum; collectis namque pecuniis

a clarioribus Civitatis Equitibus, ad redimendas Tabernulas a Dominis, vel compenſandos reditus, qui ex iis percipiebantur, ab hoc ingrato oculis incommodo Cives Exteroſque ſplendidè liberavêre.

Poſt redditum liberiorem aërem publico ante Metropolitanam Baſilicam Foro, ad Archiepiſcopale Palatium amplificandum curam revolvit Federicus Vicecomes; cùmque illud amœno proſpectu undequaque deſtitutum inſpiceret ob ſurgentem Baſilicæ Metropolitanæ elevatiſſimam molem, & circumpoſitas Ædes Civium eas incolentium, in editiore ejuſdem parte Aulas alias & Cubicula ſuperædificavit, ut tamquam Hybernacula Archiepiſcopis præſtò eſſent, cùm ad meridiem verſa ſint, & puriores Solis radios excipiant eo tempore, quo frigus ingraveſcens & ſpiſſæ nubes denſioribus tenebris, horrore aliquo inferiorem Palatii partem complent.

Extra Urbis noſtræ mœnia, paucis mille paſſibus diſtans extat Vicus, nomen *Gropelli* gerens, juris Eccleſiæ Mediolanenſis. Illuc aliquando divertunt Archipræſules, ut longè a Curiæ tumultibus, tranquillæ quietis dulcedinem delibent, atque attritas aſſiduis laboribus curiſque vires reficiant. Informis adhuc erat Domus, in qua morarentur Archiepiſcopi, nec digna iiſdem, præſertim cùm ſacro Murice decorati refulgerent. Ædificium nobilius extruere cœperat Federicus Borromeus Antiſtes Deceſſor; ſed modica ex parte. Illud perfecit Vicecomes, magnificentia omni ac ſplendore exornatum. Nec habitationi tantùm, verùm etiam reditibus conſuluit, comparatis proprio ære amplioribus prædiis, & coëmpta a Magiſtratûs Præſidibus aquarum menſurâ, quæ iis irri-

irrigandis ſufficerent, atque opportunæ eſſent condendo ad recreationem viridario, cujus ambitum propriâ pariter pecuniâ muro circumdatum jam paraverat. Id antem commendabilius in Vicecomite memorari meretur, Succeſſoribus nempe ſuis ea omnia quæ ad ruſticam rem ſpectant, & domeſticam ſnpellectilem, necnon ad vinarias Cellas tum in Gropelli Loco, tum Mediolani pertinent, ſicut etiam quæcumque de ſuo intulerat in partem Ædificii ab ipſo conſtructi intra Mediolanenſe Palatium, ultimis Tabulis relicta fuiſſe.

Paſtorale verò munus in hac Metropoli tantâ vigilantiâ exercuit, ut ſeſe accuratiſſimum cuſtodem Eccleſiaſticæ diſciplinæ probaverit, & ſimul etiam ſeverum vindicem Legum violatarum. Id autem oſtendit primò in Sacris Deo Miniſtris, eliminando ab eorum cœtu nonnullas corruptelas, quibus ad profanam licentiam declinaſſe videbantur, ſive in veſtium, ſive in morum contrariâ Decretis Synodalibus Sancti Caroli conſuetudine & uſu. Cordi etiam Vicecomitis ſummoperè fuerunt Sacræ Virgines Cœnobiis incluſæ. Cùm enim aliquantulum habenas laxaſſent, & frequentia hominum colloquia ad crates januaſque miſcendo a ſedula Regularum obſervantia non parùm receſſiſſent, eas peculiaribus Statutis intra Clauſtra coërcuit, atque ad primævum religioſæ vocationis fervorem revocavit. Reliquum verò Gregem ſuum informare ſtuduit ſalutaribus præceptis & frequentibus Concionibus, quas ad illum habebat, ſolemnioribus præſertim anni diebus, omnes adhortans, ut Chriſtianæ Legis jugum leve & ſuave invictâ caſtigatæ vitæ perſeverantiâ libentiſſimè ferrent. Neque timuit vultum potentium, quos admo-

nitionibus & etiam minis compulit ad expellendas e domibus inverecundas atque inhoneſtas Fœminas; quamvis laudanda hæc in Paſtore ſolicitudo non exiguâ eidem vitæ ob motas querelas, perturbatione conſtiterit.

Paterni amoris beneficentiam Seminarienſes quoque Clerici perſensêre. Cùm enim addiſcendi causâ ob Philoſophicas & Theologicas Scientias, accedere quolibet feriali die ad publica Societatis Jeſu Gymnaſia ſive per æſtum Solis, ſive per hyemis frigus deberent, eos hujuſmodi incommodo levavit Federicus Vicecomes, præſtantiſſimos in hiſce Facultatibus ex Oblatorum Congregatione Eccleſiaſticos Viros deligens, qui in ipſis Seminarii Lycæis ſacram eam juventutem apprimè docerent.

Fractis demum viribus, ob tam graves in hac adminiſtranda Eccleſia & Diœceſi ſuſceptos labores, brevi quidem ſed ferali morbo correptus, in oſculo Domini obdormivit die VII. Januarii, Anni MDCXCIII., poſtquam Mediolanenſem Infulam geſſiſſet annis XI., menſibus VI., diebus XII.

Tumulatus eſt in Templo Maximo, ante Aram Beatiſſimæ Virginis Mariæ, nuncupatæ *de Arbore*, ſuperpoſitâ ſepulcrali Lapidi hac funebri Epigraphe:

FEDERICUS CARDINALIS VICECOMES
ARCHIEPISCOPUS MEDIOLANI.
OBIIT
SEPTIMO IDUS JANUARII
ANNO MDCXCIII.

Neque

Neque reticendum eſt , noluiſſe Vicecomitem vitâ decedere , quin aliquod monumentum relinqueret grati obſequentiſque amoris ſui erga Sanctum Carolum , quem præ oculis ſemper habuit , tamquam exemplar ſui regiminis , quemque etiam ſanguine attingebat . Quapropter ultimas condens Tabulas , ſupellectilem omnem , & Calicem quo ipſe privatim utebatur in ſuo domeſtico Sacello , cùm Sacris operaretur , necnon bis mille aureorum nummûm Subterraneæ illius Aræ legavit , & totidem Monti Aronenſi , ob erigendum ibidem coloſſeum Simulacrum, quod ad amplificandam ejuſdem Sancti gloriam conflari excogitaverat Cardinalis Federicus Borromeus , ſed perficere minimè potuit . Extat Lapis , memor tantæ largitatis Federici Vicecomitis , in latere poſtico Januæ , ad Subterraneum S. Caroli Sacellum introducentis .

Digitized by Google

FEDERICUS III. CACCIA.

NOn multùm hæſitare debuit Innocentius XII. Pontifex Maximus, in aſſignando vacuæ Mediolanenſi Sedi novo Archiantiſtite; vix enim tribus elapſis menſibus pauciſque diebus ab obitu Cardinalis Federici Vicecomitis, Federicum Cacciam, de cujus præſtantia & probitate ſummam conceperat exiſtimationem in egregiè exactis muneribus eidem ab ipſo injunctis, in Mediolanenſem Archiepiſcopum die XI. Aprilis Anni MDCXCIII. publicè renunciavit; eo etiam titulo digniorem effectum, quòd Epiſcopatus Lucenſem, Novarienſem, & Cremonenſem ipſi oblatos magnanimo corde repudiaſſet, quemadmodum tradit Lazarus Auguſtinus Cotta *in Novarienſi Muſæo* Part. II. num. CCLXXVII.

Porro ea liberali indole ita præditus erat, ut & res Sacras eximia religione veneraretur, & mentem ad magna omnia ſuſcipienda efformatam palam & ubique oſtentaret. His dotibus animi atque ingenii exornatus, admiſſus eſt in Nobiliſſimum Equitum Juriſconſultorum Mediolani Collegium; dein Romam profectus, ſtatim ab Innocentio XI., perſpicaciſſimi judicii Pontifice Maximo, delectus eſt in Pauperum Advocatum, necnon Advocati Conſiſtorialis ſplendido munere auctus fuit, ac demum Auditorum Sacræ Romanæ Rotæ Collegio eſt aggregatus. Sublato ad Superos Innocentio XI., Succeſſor ejuſdem Innocentius alter XII., non minori opinio-

ne

Digitized by Google

ne captus virtutum, quæ in Federico Caccia effulgebant, illum Archiepiſcopatu Laodiceno in partibus Infidelium inſignitum, Anno MDCXCII. ad Hiſpanicam Aulam miſit perilluſtri Titulo Nuncii Apoſtolici extraordinarii; nec multum diſtulit ad eum ibidem conſtituendum ordinarium Legatum. Dum autem in Hiſpaniis ad munus ſuum implendum incumberet, idem Pontifex Federicum Cacciam Infulâ Mediolanenſi ornavit die & anno ſuperiùs enunciatis, ac poſt biennium excelſo Sacri Muricis honore donavit die XII. Decembris Anno MDCXCV., ſub Titulo Sanctæ Pudentianæ. Ibidem conſiſtere debuit Cardinalis Caccia per aliquot menſes; donec expeditus Apoſtolicis negotiis eidem commiſſis, Matrito exceſſit, pretioſis a Carolo II. Hiſpaniarum Monarcha donis receptis gratioſè dimiſſus. Romæ quoque aliquantulum moratus, denique ad noſtram Metropolim deductus, undecimo Decembris menſis die, Anni MDCXCVI. inter plauſus exultantium Civium, ac comitantibus de more Clero & Ordinibus omnibus Civitatis, Metropolitanum Templum adiit, & Eccleſiæ ſuæ gubernacula cepit.

Subſequente Anno novum honoris augmentum habuit Caccia, declaratus pro interim a Catholico Rege Supremus hujus Metropolis ac ditionis Moderator. Reſtitutus Paſtorali ſuo officio, quamvis ſenectus & labefactatæ vires eumdem arcerent a gravibus ſubeundis laboribus, atque ipſemet conquereretur, quòd ſe Archiepiſcopum conſtituiſſent eâ ætate, qua experiebatur, ſe nihil magni aggredi poſſe; nihilominus vincente infirmitatem virium animo, ſummoperè cupido juvandi Gregi ſuo, Paſtoralem Viſitationem Diœceſis ſuſcepit:

Dum-

Dumque in Aronæ Oppido moraretur, Sancti Caroli Borromei Montem conſcendit, præſcriptiſque ab Eccleſia cæremoniis coloſſeum illius Simulacrum religioſiſſimè benedixit. In hac verò Urbe noſtra alteram ſolemnem Supplicationem obivit. Cùm enim Civitatis Rectores ob gratam erga Sanctum Ambroſium Patronum memoriam, ejuſdem argenteam Effigiem ad humani corporis menſuram effingi curaſſent, pretioſiſque gemmeis lapillis undique exornaviſſent, atque in donum ceſſiſſent Metropolitanæ Baſilicæ, ut ſimul cum alia Sancti Caroli Borromei, ab utroque latere Aræ Maximæ magnificentiam augeret, Cardinalis Federicus Caccia hanc curam religioſam libens lubenſque obivit, eam feſtiviſſimâ pompâ inſtitutâ, in Templum Maximum inferendi. Aliam quoque occaſionem nactus eſt, nomen ſuum glorioſè ad poſteros tranſmittendi. Colebatur in Baſilica Sancti Laurentii Corpus Sancti Aquilini Sacerdotis & Martyris, ab ineunte VIII. Seculo a communi cadaverum conditione exemptum, atque a temporis injuriis illæſum, ſed ignobili adhuc tumulo concluſum. Non tulit pietas Mediolanenſium, ulteriùs ibidem jacere pretioſiſſimum hoc pignus, ab Arianis Fidei Catholicæ hoſtibus martyrio in hac Urbe illuſtratum. Quamobrem exquiſitis magnæ molis criſtallis atque argenteis laminis circumſeptam Urnam adornavere, in qua magnificentiùs repoſitum coleretur. Indicta ideo fuit ab Archipræſule Caccia ſolemnis dies, qua, comitante utroque Clero & Optimatibus, inſignis hæc Tranſlatio fieret, ipſo claudente agmen Archiepiſcopo. Peracta igitur eſt iſta Sacri Corporis elevatio, immensâ populi & Exterorum confluentium frequentiâ,

Digitized by Google

ac poſt longum per compita hujus Metropolis iter exactum, Cardinalis Federicus Caccia illud Laurentianæ Baſilicæ reſtituit, atque in Sacello, ejuſdem Sancti Martyris nomini dicato, ad publicam venerationem expoſuit.

Defuit tempus optimo huic Antiſtiti amplioribus experimentis edendis amantiſſimi ſui cordis erga Eccleſiam ſibi commiſſam & Diœceſim, præproperâ illum morte terris ſubripiente. Non defuit tamen ipſe liberalitati erga Pauperes, quæ præcipuum locum tenebat inter alias virtutes commendatiſſimi iſtius Archiepiſcopi. Siquidem intentus continuò erat publicis eleemoſynis in egenos palam diſtribuendis, & ſecretis prodigè in eos effundendis, quos aut a petenda publicè ſtipe pudor arcebat, aut inopia vetabat, ne ad depellendam famem ſubſidia præſtare Familiis ſuis valerent; item puellis Virginibus ſive in Cœnobiis Monaſticam vitam ducere peroptantibus, ſeu etiam matrimonio collocandis; omnibus demum illius opem implorantibus, largâ manu veluti Pauperum Pater ſuppetias ferebat, quamvis hanc laudem omnino refugeret, aſſerens Eccleſiaſtica Bona, patrimonium eſſe juris egentium. Ad comprobandam ardentiſſimam caritatem, qua uſque a primis juvenilibus annis fervebat Caccia, dum Romæ Advocati Pauperum & Innocentii XI. Eleemoſynarii munera obibat, unum ſat eſt in extremo vitæ ab ipſo editum teſtimonium, laude omni ac memoriâ digniſſimum hìc proferre: Cùm enim morti proximus ultimas Tabulas conderet, ſuggerentibus Familiaribus, ut Archiepiſcopalem pectoris adamantinam Crucem Sancto Carolo legaret, reſpondit: *volo, ut eam deglutiant Pauperes mei*; jubens, ut pretium

ejuſdem univerſum ad ſublevandam egenorum inopiam expenderetur; gratius enim exiſtimabat ſe munus oblaturum Sancto illi, qui cùm viveret Palatium ipſum ſupellectile omni pretioſâ nudavit, ut pauperibus veſte & cibo carentibus ſubveniret, ſi Crux iſta cederet in eorumdem levamen, quàm ſi ejus Imagini aut Sepulcro, in obſequii ſui teſſeram appendi mandaret. Imo ut amor, quo egenos veluti filios proſequebatur, omnibus innoteſceret, univerſi aſſis ſui hæredes, Pauperes nuncupavit.

Interim malignitate febris acriùs viſcera contorquente, ſpiritum Deo reddidit die XIV. menſis Januarii, Anni MDCXCIX., ſepultus in Metropolitana Baſilica, ante Aram Deiparæ Virginis, dictæ *de Arbore*, hoc Epitaphio ſepulcrali Lapidi inſculpto:

FEDERICUS CARDINALIS CACCIA
ARCHIEPISCOPUS MEDIOLANI,
PAUPERIBUS EX ASSE HÆREDIBUS INSTITUTIS
ANNUM AGENS LXIV.
OBIIT XIX. CALENDAS FEBRUARII
ANNO MDCXCIX.

Eccleſiam Mediolanenſem adminiſtravit annis V., menſibus IX., diebus III., a die nempe XI. Aprilis, Anni MDCXCIII., quo renunciatus fuit in Archiepiſcopum, ad diem XIV. Januarii MDCXCIX., quo deceſſit.

JO-

JOSEPH I. ARCHINTUS.

EX eadem Aula Hiſpanica Catholici Regis Caroli II., e qua Federicus Caccia Archiepiſcopus, Apoſtolici Nuncii munere ibidem fungens, translatus fuerat ad Sedem Mediolanenſem, Innocentius XII. Pontifex Maximus Succeſſorem illius deſumpſit, nempe Joſeph Archintum, non tam Legatione quam apud illum Monarcham obibat, ſed etiam ampliſſimo quo ditatus erat virtutum patrimonio parem. Renunciatus itaque fuit a Summo Pontifice Mediolani Archiepiſcopus die XVIII. Maji, Anni MDCXCIX.

Neque in hac Electione voto ſuo fruſtratus eſt Supremus ille Hierarcha; cùm enim ſagaciſſimam mentem a natura ſortitus eſſet Archintus, optimiſque omnibus diſciplinis imbutus foret, ac etiam peragratâ ferè universâ Europâ mores hominum didiciſſet, munera omnia, quæ ab Apoſtolica Sede injuncta ipſi fuerant, maxima ſemper cum laude adminiſtravit. Adſcriptus primò ab Innocentio XI. Protonotariis, quos vocant Participantes, ſuavitate morum & excellentiâ ingenii, necnon animi caſtigatiſſimi moderatione ſpem non inanem in omnibus excitavit, futurum illum in Eccleſiaſticis gradibus egregium Sedis Pontificiæ Adminiſtrum. Et ſanè idem Pontifex Maximus Innocentius XI., perſpectis jam refulgentibus in ætate nondum matura eximiis Archinti dotibus, Referendarium Utriuſque Signaturæ, & paulò poſt

Bononiæ Pro-Legatum eumdem conſtituit. Sexennio ibidem exacto creatus eſt Archiepiſcopus Theſſalonicenſis, miſſuſque Nuncius ad Magnum Etruriæ Ducem. E vivis autem erepto immortalis memoriæ Innocentio XI., Alexander VIII. Succeſſor in Sede Apoſtolica, eodem Nuncii Titulo inſignitum Archintum ad Venetam Rempublicam direxit. Innocentius deinde XII. in Pontificem Maximum delectus, optimè edoctus de ſingulari in hiſce muneribus obeundis prudentia ac dexteritate Archinti, eum ad Apoſtolici Nuncii provinciam gerendam apud Hiſpaniarum Monarcham Carolum II., inter Aulæ ſuæ Proceres unum ſelegit. Vacante poſtmodum Sede Mediolanenſis Eccleſiæ, Pontifex memoratus eidem Archintum præfecit die ſuperiùs relato; nec diſtulir, illum novo inſigni honore cumulare, in Cardinalium Collegium adoptans, aſſignato Titulo Sanctæ Priſcæ, die **XIV.** Novembris, Anni **MDCXCIX.**

Statim ac expedire ſe potuit Cardinalis Joſeph Archintus ab inita Legatione apud Catholicum Regem, Romam properavit, ibique aliquantulum moratus, anxiæ memor expectationis, qua Mediolanenſis Eccleſia ob diuturnam Sponſi ſui abſentiam angebatur, Mediolanum advênit die XXIV. Julii, Anni MDCCI. Nihil moramur, referre publicum univerſæ Civitatis tripudium & magnificos apparatus, qui undique diſpoſiti, omnium oculos animoſque ſingulari lætitiâ perfudêre, cùm ſolemni pompâ exciperetur Archintus; hæc enim argui facilè poſſunt ex fama meritorum, honorumque amplitudine, quibus ubique fuerat cumulatus Patricius iſte Civis & Pater.

Vix

Vix regendo Ambroſianæ Eccleſiæ Clavo manum admoverat Archintæus Antiſtes, cùm illuſtrata fuit Mediolanenſis Metropolis novo Regularium Cœtu, quos *Trinitarios* appellant, eo quòd Ordo iſte Deum ipſum auctorem habuerit, qui per viſum & ſigna voluntatem ſuam compertam fecit pro ejuſdem inſtitutione, ad quam peragendam duo inſignes Sanctimoniâ Viri Joannes de Matha, & Felix Valleſius ſolicitam operam ſuam in Galliis contulere. Communem hac in re inſtitutricem voluit Deus Deiparam Virginem, quæ per noctem in ſomnis conſpicuam ſejunctim ſe dedit Sancto Petro Nolaſco, Sancto Raymundo de Pennaforte, & Jacobo Regi Aragoniæ, juſſitque, ut alia Congregatio ſtatueretur ſub ejuſdem patrocinio, cujus præcipuum munus eſſet, non ſecus ac primi Inſtituti, Chriſtianorum redemptio, gementium ſub jugo captivitatis inter vincula infidelium Barbarorum; quemadmodum feliciſſimè contigit, geminos hoſce Ordines confirmantibus, Apoſtolica auctoritate, Innocentio III. Anno MCXCVIII. priorem ſub nomine *Trinitariorum*, ſecundum verò Gregorio IX. Anno MCCXXIX. ſub nuncupatione *Sanctæ Mariæ de Mercede*. Longè lateque ſeſe diffudit non tam per Europæ Provincias, ſed etiam per remotas Americæ regiones ſacer uterque iſte Ordo. Verùm cùm in Hiſpaniis Trinitarii Fratres a primævo fervore non modicè refriguiſſent, in Generalibus Comitiis ejuſdem Ordinis Anno MDXCIV. jacta fuere fundamenta Reformationis, ad quam perficiendam ſe totum devovit Pater Joannes Baptiſta de Immaculata Conceptione, obtinuitque a Clemente VIII. Summo Pontifice Anno MDXCIX. approbationis Literas, die XX.

Au-

Digitized by Google

Auguſti expeditas. Paſſa eſt Contradictores ſuos recens hæc methodus ſeverioris diſciplinæ, ob redintegrandam priſtinam regularium legum obſervantiam inducta; victrix tamen difficultatum conſtantia prælaudati Inſtitutoris id effecit, ut reſtitutus primævo ſplendori Ordo iſte, veluti Arbor reflorescens, per Hiſpanicas non modò Provincias ramos ſuos extenderet, ſed etiam in Polonico, Hungarico, & Boëmico ſolo radices figeret; donec Viennam Auſtriæ a Leopoldo I. Auguſto translatus, in Italiam quoque penetravit, Clemente XI. ſextam hujus Ordinis Provinciam erigente, atque eamdem Generali ejuſdem Præſidi in Hiſpaniis ſubdente, Apoſtolicis datis Literis Anno MDCCV. Hiſce Sacris Miniſtris, in pluribus Italicis Urbibus, & etiam Romæ fixo jam domicilio donatis, ſola carebat Mediolanenſis Metropolis. Iiſdem ex Hiſpania in hanc Urbem evocandis favorabilem opem contulit Vir excelſæ nobilitatis, atque Arci noſtræ Præfectus Ferdinandus Baldeſius; Archiepiſcopus autem Joſeph Archintus, & LX. Decurionum Generale Concilium illos expanſis ulnis exceperunt, aſſignato eorumdem curæ Sacello Beatæ Mariæ, appellatæ *de Monteforti*, quod poſtea adjecto Cœnobio in nobile Templum evaſit.

Attamen parùm admodum Archinto pacatum contigit Ambroſianæ Eccleſiæ regimen. Cùm enim poſt obitum Caroli II. Regis Hiſpaniarum, de ſucceſſione in illius florentiſſimum atque ampliſſimum Regnum diſputaretur, juſque tranquillè illud poſſidendi in armis eſſet, atque ideo quamplures hinc inde hoſtiles copiæ in Inſubricam hanc Provinciam deſcendiſſent, Urbes omnes finitimas huic Metropoli

mi-

Digitized by Google

miſerâ perturbatione per ſexennium afflixêre. Neque caruit hoc infortunio ipſa Civitas noſtra; eam enim invadentibus Germanis ſub Magno illo celeberrimi in re bellica nominis Duce, Principe Eugenio a Sabaudia, Caſtrum Jovis, quod unicè in obedientia Gallorum Hiſpanorumqne perſtabat, obſidione cinctum fuit. Perſtrepente undique belli fragore, adducti fuere Cives in diſcrimen lugendi dirutas domus ſuas, ac etiam Sacra Sepra Cœnobiorum atque Eccleſiarum. Siquidem qui intus Caſtrum degebant e Gallica Hiſpanaque gente, ſubſidia quibus carebant cùm a Civitatis Rectoribus petiiſſent, eaque denegata ipſis fuiſſent ob jam Cæſari juratam fidelitatem, efferati hujus repulſæ causâ, tamquam hoſtes immitiſſimi, ignitos globos e tormentis majoribus promiſcuè in Urbem exploſêre, minis etiam additis, ſe univerſam Civitatem ſolo æquaturos, niſi neceſſaria ſuppeditarentur alimenta. Cùm nihil eviciſſent, feralem hujuſmodi moleſtiam ferrearum glandinum igne concepto ebullientium inferre ſummo omnium terrore ac damno proſecuti ſunt; donec induciis primò ſancitis, dein Pace inter Galliarum & Hiſpaniarum Reges, ac Cæſarem ejuſque Fœderatos ſtatutâ, bellicus hic turbo, Dei auſpicio & Sanctorum Mediolanenſium patrocinio, feliciſſimè evanuit. In hoc diſſidentium Exercituum furore, qui veluti torrens exundans, loca omnia cladibus ac direptionibus replevit, Cardinalis Joſeph Archintus non omiſit, imperterrito plenoque amoris erga ſuum Gregem animo, omnia Paſtoralis officii ſui munera exercere; præſertim verò opem ferens Locis Piis, Familiis paupertate languentibus, atque Monialibus, quas intactas ſervari ab omni mi-

Digitized by Google

militum inſolentia, vigilantiſſimâ cuſtodiâ curavit.

Statim autem ac ſæva minaxque hæc ruinarum procella deſerbuit, atque hauriri tranquillior ſereniorque aër cœpit, conſuetas Epiſcopis Viſitationes per Diœceſim Urbemque aggreſſus eſt Archintus, ac Decreta edidit, quibus hac occaſione labefactatam non modicè antiquam Eccleſiaſticam diſciplinam in Clero coërcuit, populumque adegit, ad religionis pietatiſque opera reſumenda; ſeverum ſubinde ſe præbens indictæ obſervantiæ exactorem. Hac regendi methodo conſecutus eſt Archiepiſcopus noſter gloriam eam, vero Paſtore dignam, ut parvo temporis intervallo, exſtirpatis vitiis, emendatâ noxiâ libertate quæ campum ſcandalis aperiebat, Ovibuſque ſuis ad Legum Divinarum & Eccleſiæ præcepta adimplenda adductis, reflorere iterum, veluti ex inculto ac etiam vaſtato Solo, primævam bonorum operum fœcunditatem conſpiceret. Si ex Inſtituto noſtro liceret latiùs extendere hunc ſermonem, ampliſſimus nobis occurreret campus deprædicandi incredibilem fermè ſedulitatem, qua Paſtorale munus ſuum adimplere ſtudebat, in minimis etiam, quæ ad Gregis ſui profectum pertinere poſſent; ſi tamen minima dici queunt, quæ ad ſalutem animarum ſpectant, & paterno Archinti ſolicito cordi quamdam adhibendæ ſingularis ſolertiæ neceſſitatem ingerebant.

In diſtribuendis Eccleſiaſticis per Urbem & Diœceſim muniis, exquiſitam eam diligentiam præſtabat, quæ in rigidæ ſeveritatis partes declinare viſa fuiſſet, niſi comperta jam foret æquitas & deſiderium Archinti, ut nempe & cultus Dei & ſalus animarum dignè pertractarentur. Quocirca cer-

certior fieri volebat de ſtudiorum præſtantia, de integritate morum, aliiſque rebus ad verum patrimonii Chriſti Miniſtrum neceſſariis, antequam Candidatos promoveret; rejectâ etiam quacumque commendatione Magnatum, cùm ſola probitas ac doctrina præmium ab ipſo conſequerentur. Eodem obice repellebat quamplures Clericali veſte viam Eccleſiaſticam ingredi cupientes; iiſque in eum Ordinem adſcriptis, cùm ad Sacerdotium properarent, præcepit, ut ſingillatim Ordines etiam, quos vocant *Minores*, nonniſi poſt exactum temporis intervallum ab Eccleſia ſtatutum, & Spirituales Exercitationes præmiſſas reciperent. Ceterùm comitate ſummâ ſe cum omnibus gerebat, nullum reſpuens quamvis abjectum, qui alloqui illum vellet; præſentem ſe faciebat quibuſcumque Laicorum Conventibus, in quibus de promovendis ad Cruces in compitis erectas veſpertinis precibus ageretur; ac in aliis pariter, ubi componenda erant diſſidia, aut erga Pauperes caritas fervidior excitanda foret. Nec defuit etiam in hoc optimo Archipræſule Familiarium ſuorum cura, ne quemquam præſertim ex Clero concuterent, aut quidquam aliud auderent, præter miniſterium ſuum, ad quod addicti erant. Denique id unum Elogium meritò adſcribere ſufficit accuratiſſimo Paſtori Archinto, nemini videlicet ex Prædeceſſoribus ſuis vigilantiâ conſtantiâque tum in publicis, tum in privatis rebus pro officio agendis eumdem conceſſiſſe.

Adnotari peculiariter debet, in univerſo vitæ ſuæ curſu, eo vigore animi præſtitiſſe Archintum, ut numquam ſe defatigatum Archiepiſcopalibus ſuis laboribus oſtenderet, prom-

 ptus

ptus ad Pontificalia ſua onera ſubeunda, licèt diem ferme totum abſumerent; præſens Supplicationibus utriuſque Cleri, præſertim Rogationibus Triduanis, quibus univerſam propemodum Urbem Clerus circumire ſolet. Neque omittere poſſumus induſtriam qua utebatur, ut in officio contineret Rectores præcipuè Parœciarum. Cùm enim hanc Metropolim pertranſiret, rhedas aliquando conſiſtere jubebat, atque ex inopinato Eccleſias ingrediebatur; ſique aliquid a Decretis Synodalibus abſonum aſpiceret, aut longè abſentem a domo ſua Parochum inveniret, paternis objurgationibus, aut etiam pœnâ multabat quos negligentiæ in Dei cultu aut Gregis ſui cuſtodiâ, reos comperiſſet. Idem etiam, ad alenda in Seminariis Collegiiſque Clericorum ſtudia, peregit; nullâ enim præmiſsâ admonitione improviſum ſeſe gymnaſiis infundebat, atque proventûs eorum, in Literis ingeniique præſtantiâ, interrogando indicia capiebat; multòque magìs id præſtabat in Doctrinæ Chriſtianæ Scholis; fervente namque licèt meridie eas adibat, pueros voce ſua ad primam noſtræ Fidei notitiam erudiens, atque argumentum inde ſumens aut laudandi magiſterii eorum qui præerant, aut illos urgendi, ut ad Opus iſtud adeò neceſſarium diligentiùs incumberent.

Contigit huic Archiepiſcopo, quod plurium fortaſſe Seculorum intervallo minimè accidit, ut nempe variâ bellorum ſeſe revolvente viciſſitudine nunc proſpera, nunc adverſa, excipiendi eidem forent & Hiſpaniarum Reges, & Cæſares, necnon etiam Regiæ Auguſtæque Fœminæ, unà cum Ducibus ac Principibus & Legatis Civitatum, qui ea occa-

ſione

Digitized by Google

ſione ad hanc Metropolim confluebant. Quinimo affuit etiam Apoſtolicus Legatus a Latere, ad Carolum VI. Imperatorem a Clemente XI. Pontifice Maximo miſſus. Iis omnibus in Metropolitanam præſertim Eccleſiam inducendis præſto fuit Antiſtes noſter eâ dexteritate, prudentia ac probitate, ut ſe tam inſignis Metropolis Archiepiſcopali Solio dignum probaret.

Conſcius factus de rebus optimè actis ab Archinto Clemens XI., hunc unum delegit, ut non abſimilem Legationem a Latere obiret ad Regiam Sponſam Sabaudam, quæ ad Philippi V. Hiſpaniarum Monarchæ thalamum properabat; eamque in Urbe Niceæ Provinciæ, quò utriuſque Aulæ Optimates convenerant, allocutus eſt, atque omnia cum laude non tam Procerum ibidem adſtantium, ſed etiam Reginæ ipſius placito ac commendatione, quæ ipſi a Pontifice Maximo injuncta fuerant peregit. Aliæ quoque Eccleſiaſticæ Functiones, quæ non ita frequenter obeundæ occurrunt, Archinto obtigêre; eidem namque commiſſa fuit inauguratio in Patriarcham Antiochenum Giberti Borromei, poſtmodum Epiſcopi Novarienſis & Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis: Hunc autem ſacro Chriſmate inunxit ad Aram Maximam Metropolitanæ Baſilicæ, adſtantibus ex Inſtituto Eccleſiæ tribus Epiſcopis, ſolemni pompâ & apparatu. Alterum etiam Præſulem ſibi ſanguine junctum, ex eodem Supremi Hierarchæ mandato, in Archiepiſcopum Tarſenſem conſecravit, Hieronymum Archintum.

Largitas Archinti erga pauperes modicam ſui pompam

in populi conſpectu explicaſſe viſa eſt; rea tamen ſeſe continentis caritatis, ne in publicam lucem prodiret, modeſtia fuit, quæ ſicuti obſtrepentes illius auribus laudes omnes ingratas reddebat, efficiebatque, ut ſoli Deo cordium ſcrutatori quæ in abſcondito fieri poterant conſecraret; ita eumdem cogebat, ut, Maris adinſtar per occultos meatus aquas ſuas diſtribuentis uſque in aduſtas terras, paternæ dilectionis ac miſerationis officia ſine ullo ſtrepitu paſſim adimpleret. Hinc eſt, quòd Puellas ſubſidio carentes a periculis eximeret ac ſuſtentaret, ære ſuo per aliorum manus ſubminiſtrato; aliaſque matrimonio jungendas, opportunâ Dote juvaret; Piis Locis, cùm imminuti reditus eſſent, copioſas opes elargiretur; ceteriſque omnibus miſerationem ſuam implorantibus multam pecuniarum ſtipem, prout indigentia exigebat, erogaret: infixum procul dubio Evangelicum præceptum in corde ſervans: *cùm facis eleemoſynam, neſciat ſiniſtra tua, quid faciat dextera tua.*

Fractus poſtremò laboribus, magno animo conſtantique patientia ſuſceptis ac toleratis, in languorem virium incidit, morboque ſenſim in viſcera penetrante correptus, in Collegium Helveticum, ubi paratæ ſemper ſunt Archiepiſcopis Ædes, deferri ſe juſſit, ut liberiori magìſque ſalubri aëre frueretur. Sed neque hoc remedio ceſſit vis morbi, qui acriùs vitales partes invadens, digniſſimum Archipræſulem noſtrum Archintum ad extremos anhelitus pertraxit. Munitus itaque ſacris omnibus Eccleſiæ ſubſidiis, ad æternæ vitæ præmium capiendum quieta morte pertranſiit die IX. Aprilis,

lis, Anni MDCCXII. Celebratæ ſunt eidem Inferiæ X Calendas Maji ſplendido eo apparatu & pompâ, quam exigere videbatur communis luctus, & ampliſſimæ Familiæ majeſtas, quæ in hoc uno collectum admirari debuit ſplendorem omnem virtutum Avorum, qui non tam noſtræ Metropolis, ſed etiam exterarum Urbium bono, necnon Principatuum augmento, in muneribus geſtis præluxerant.

Sepultus eſt in Templo Maximo, ante Aram Sanctæ Catharinæ Senenſis, prope Tumulum Philippi Archinti Prædeceſſoris ſui, & gentilitia Archinteæ Familiæ Sepulcro. Superpoſitum eſt Lapidi hujus Archiepiſcopi ſequens Epitaphium:

JOSEPH TITULI SANCTÆ PRISCÆ

PRESBYTER CARDINALIS LEGATUS DE LATERE

EX ARCHINTA FAMILIA

SECUNDUS MEDIOLANENSIS ARCHIEPISCOPUS

VITA FUNCTUS V. IDUS APRILIS MDCCXII.

ÆTATIS SUÆ ANNORUM LXI.

CORPUS PROPE AVOS,

SPEM IN PRECE VESTRA DEPOSUIT.

Me-

Digitized by Google

Mediolanenſem Eccleſiam rexit Annis XII, menſibus X., diebus XXII. Amorem cultumque ſuum erga Sanctum Carolum Borromeum, quem ſedulò imitatus fuerat in Ambroſianæ Eccleſiæ adminiſtratione, teſtatus eſt Joſeph Archintus in ultimis Tabulis, adamantinam pectoris Crucem, a Carolo II. Rege Hiſpaniarum dono acceptam legans Simulacro argenteo Sancti Archiepiſcopi, ut in pretioſum ejuſdem ornamentum appenderetur. Celebratis Inferiis largæ diſtributæ ſunt in Pauperes eleemoſynæ, ipſomet Archiantiſtite Archinto facultatem poſtremæ ſuæ voluntatis Executoribus liberaliter concedente.

Philippus Archintus paulò ſupra memoratus, dum Vicarii Pontificii provinciam Romæ gereret, approbaverat ac confirmaverat Archiſodalitatem Sanctiſſimæ Trinitatis Peregrinorum & Convaleſcentium, quam in alma Urbe inſtituerat magnum illud Caritatis lumen atque exemplar, Sanctus Philippus Nerius. Archiepiſcopus noſter Joſeph Archintus, hæres pietatis prædicti Gentilis ſui, eamdem Sodalitatem, ubicumque locorum ea vigeret, ſummoperè adamavit ac beneficiis proſecutus eſt; præſertim verò illam, quam Neapoli idem Sanctus Philippus per ſuos Oratorii Romani Alumnos erigi curaverat. Cùm itaque memor eſſet intimæ neceſſitudinis, qua invicem adſtricta fuerant duo illa ſanctimoniæ miracula Sanctus Carolus Borromeus, & Sanctus Philippus Nerius, dum in vivis agerent, dono ad eamdem miſit particulas viſcerum Borromei illius noſtri Paſtoris. Neque hoc contentus, decrevit, ut Mediolanenſis Oblatorum Congregatio eidem Neapolitanæ Sodalitati, veluti Soror conſocia-

cia-

ciaretur ; mutuoque amoris nexu ita conjunctæ , ſpiritualium bonorum fructus ſibi invicem communicarent , veluti Filiæ dilectæ eorum Patrum , nunc ſimul regnantium in Cœlo , quorum in terris viventium cor unum fuerat atque anima una .

BENEDICTUS II. HERBA ODESCALCUS.

Effluxerant quatuor vix menſes ab obitu Joſeph Archinti, qui vacuam Eccleſiam Mediolanenſem, magno cum omnium deſiderio optimi defuncti Paſtoris reliquerat; cùm eam ſtatim implevit Clemens XI. Pontifex Maximus, renunciato in Archiepiſcopum Ambroſianæ Eccleſiæ Benedicto Herba Odeſcalco: Quodque admirabilius eſt, non tam ſplendidum, quàm graviſſimum hoc onus illi impoſuit eâ ætate, quæ nondum ſeptimum luſtrum attigerat. Præſagio fauſtiſſimo fuit univerſæ noſtræ Metropoli immaturus iſte delectus; revixit namque in omnium Civium cordibus ſpes non inanis, æmulaturum Benedictum utriuſque Borromei, Caroli & Federici virtutes, cùm èt ipſi florentibus juvenilibus annis admoti fuiſſent hujus Eccleſiæ clavo regendo. Quis autem ambigere de hoc poterat, cùm Herba Odeſcalcus jam præclarum ſpecimen dediſſet ſenilis prudentiæ conſummatique judicii in omnibus ab Apoſtolica Sede, per varias Italiæ Urbes ac etiam remotas Europæ Provincias, muneribus eidem commiſſis?

Progenitus ille fuerat ex Marchione Antonio Maria Herba, Nepote ex Sorore Innocentii XI. Pontificis Maximi, & Comitiſſa Thereſia Turcona; hauſeratque ſimul a piiſſimis Parentibus cum indole optima ingenioque ſagaciſſimo inqui-

linum

linum domi ſuæ, virtutis ac religionis amorem. Delatus Romam, ibi patrocinandis Cauſis, præſertim Religioſorum Cœtuum, operam dedit; qua occaſione compertum omnibus fecit eum eloquii nitorem facundiamque, quam ſibi indefeſſo ſtudio ac labore in excolendis Superioribus diſciplinis feliciſſimè comparaverat, in Academia Ticinenſi Laureâ donatus, ac privatis ſtudiis ſemper intentus. Publicis experimentis in Romana Curia editis, multòque magìs animi probitate ac morum candore ante omnium oculos refulgente, ſatìs edoctus Clemens XI. quid ferre valerent humeri Benedicti, eumdem Pro-Legatum Ferrariam miſit, dein Bononiam. At cùm excelſiorum munerum capacem hujus Præſulis mentem jam comperiſſet Summus Pontifex Clemens, eumdem ad Polonienſem Regem, Apoſtolicum Nuncium legavit, Theſſalonicenſi Archiepiſcopatu donatum. Bono omine profectus eſt in eam Provinciam Benedictus, non tantùm quia vultûs comitate, ſuavitate ſermonis, aliiſque eximiis munifici infractique animi ad munus ſuum impigrè exercendum dotibus ſibi benevolentiam illius gentis ita devinxit, ut eum non minùs quàm Innocentium XI. optimè de Polonis meritum ſuſpicerent ac venerarentur; verùm etiam alia de cauſa, quam mox memorabimus.

Excitatnm fuerat ferale bellicum incendium inter Svecos Ruſſoſque, junctiſque hinc inde fœderibus finitimæ omnes Provinciæ, militum & cladium frequentiâ, ac direptionibus miſerrimè dilacerabantur: Neque ſuis ærumnis caruere Poloni, ſaniori Parti adhærentes, invictique Fidei Catholicæ propugnatores. Turcæ ſemper iiſdem infeſti, ad arma con-

tra hanc Rempublicam movenda ſeſe paraverant; jamque imminebant confiniis Polonicis. Conterriti ob viciniam hujuſmodi hoſtilium copiarum Regni Primores niſu omni militibus colligendis operam dabant, ut eos inimicis phalangibus a fronte objicerent, ne ulteriùs progrederentur. Obſtabat glorioſis eorum conatibus depauperatum ab aliis neceſſariis impenſis ærarium. In hoc tam gravi diſcrimine animos omnium erexit Apoſtolicus Nuncius Benedictus; oblato enim Reipublicæ non modico æris proprii ſubſidio, gentem illam adeò inflammavit ad infideles hoſtes alacriter propulſandos, ut compreſsâ Turcarum audaciâ, non ampliùs irruptionem in eas Terras urgere tentaverint. Quem ſibi univerſæ Nationis amorem conciliaverit promeritusque fuerit Benedictus, ob generoſum ac opportunum auxilium eidem præſtitum, argui potiùs poteſt quàm exprimi.

Dum hiſce ad tutamen Fidei & Regni quietem officiis fungeretur Apoſtolicus iſte Legatus, Paſtore ſuo Joſeph Archinto orbata eſt Mediolanenſis Eccleſia; nemine autem verbum ullum de ſubſtituendo Herba eliciente, Clemens XI, nuncio hoc accepto, oculos ſtatim in illum injecit, ac die XVIII. Auguſti, Anni MDCCXII. Benedictum Herbam Mediolanenſem Archiepiſcopum declaravit. Sequenti verò anno, die XXX. Januarii eumdem Cardinalitio murice, cùm adhuc Varſaviæ degeret, decoravit. Morari debuit longè ab hac Metropoli per biennium novus iſte Archiantiſtes: Cùm autem data eſt eidem facultas accurrendi ad optatos Eccleſiæ Sponſæ ſuæ amplexus, Mediolanum advênit, ſolatusque eſt deſiderium univerſæ Civitatis, quæ ob conceptam longo jam a tem-

a tempore in intimis præcordiis exultationem animi, ferre ampliùs nequibat tamdiu dilatam amatiſſimi Paſtoris abſentiam. Exceptus itaque fuit die XIX. Auguſti, Anni MDCCXIV. eâ exundantis gaudii effuſione per omnia Urbis compita, quæ diuturnam expectationem illius præſentiæ æquare vel ſaltem prope attingere valebat.

Primum quod animo revolvit Benedictus, ſtatim ac in Solio Mediolanenſis Eccleſiæ reſedit, fuit Religio erga Deum; quapropter totum ſe addixit amplificandæ illius gloriæ, rerumque Sacrarum cultui augendo, nulli parcens impenſæ. Hinc eſt, quòd nulla ferme fuerit in Urbe ac Diœceſi Mediolanenſi refecta ſeu condita Eccleſia, cui erigendæ aut exornandæ liberalem auri opem non contulerit. Mediolani Templum Sanctæ Mariæ Fulcorinæ novo ædificio conſtruendum, præſtito plurium mille aureorum ſubſidio, adjuvit. Tholum Baſilicæ Ambroſianæ vetuſtate fatiſcentem, ab imminenti ruina, non modico proprii æris impendio, ſubduxit; & Confeſſionem, quæ proximè attingit locum, ubi jacet pretioſum pignus, Corpus nempe Sancti Ambroſii, Urbis & Provinciæ Mediolanenſis Patroni, excifis e lucido marmore Columellis, gypſo, auro, & picturis ejuſdem Vitam referentibus, ſummâ largitate exornavit. In Pago Clivati, in quo Abbas Commendatarius renunciatus fuerat ab Innocentio XII., cùm frequentia exorirentur diſſidia inter Monachos Congregationis Montis Oliveti, & Vicarium Plebanum, ob unicam quæ utriſque inſerviebat Eccleſiam, alteram a fundamentis Sacram Ædem excitavit, relictâ pleno jure Monachis antiquâ; atque ita in perpetuum lites compeſcuit. Ad

juges Deo laudes perſolvendas, Ordinem Monialium Viſitationis Sanctæ Mariæ, a Sancto Franciſco Saleſio conditum, primus Mediolanum induxit, aſſignato Sacris Virginibus Domicilio *Sanctæ Sophiæ*, quod antea incolebant Moniales aliæ, a Cardinali Federico Borromeo Archiepiſcopo ibi conſtitutæ, ſed temporum calamitatibus ad extremam paupertatem redactæ. Primum quoque lapidem ibidem poſuit Eccleſiæ, quæ ſubminiſtratis ab ipſo largè pecuniis, poſtmodum in amplam molem excrevit. Tantâ inſuper dilectione novam eam Familiam proſecutus eſt, ut eidem alendæ promovendæque tamquam Pater ſemper adſtiterit. Ut verò celebrior cultus haberetur Sancto Franciſco Saleſio, Sodalitatem inſtituit quinquaginta ſex Sacerdotum, totidem Equitum, totidemque Nobilium Matronarum; additis etiam Regulis canonicè approbatis, ad pia ibidem opera exercenda, in Patroni ſui honorem ac fructum animarum. Cur autem delectus ſit numerus quinquageſimus ſextus, ut diverſi Ordines iſti ſuis religioſis Sancti Franciſci cultoribus implerentur, ea fuit ratio, ut memoria totidem annorum, quibus cœleſtem in terris vitam traduxit Apoſtolicus ille Præſul, recoleretur.

Erexerat memoratus Cardinalis Federicus Borromeus Eccleſiam Sanctæ Mariæ Podonis e ſimplici Parœcia, in Collegium Canonicorum; ſed cùm ob celerem illius obitum, dos eidem aſſignata nonniſi par eſſet celebrandis die Feſto Divinis Officiis, Benedictus Odeſcalcus ſacrum hoc munus quotidianum reddidit, annuis reditibus dono datis a duobus piis Mediolanenſibus Viris, quos ipſe ad opus perficiendum conſiliis ſuis impulerat. Neque hoc contentus, in eam Eccle-

cleſiam invexit Inſtitutum perpetuæ Adorationis Auguſtiſſimi Sacramenti, illuc ad Sacra facienda ſe conferens ſolemni pompâ, & comitantibus Præfecto Urbis ac XII., quos appellant *Proviſionum*, quo die initium datum eſt huic piiſſimæ Sodalitati.

Ad conciliandum verò Civibus ſuis amorem ac reverentiam erga res Divinas, promovere ſtuduit apud Romanam Sedem novum Metropolitanæ ſuæ Eccleſiæ ornamentum, illud videlicet, quo munificentia Clementis XI. antiquum ejuſdem decus adauxit inſigni altero honore; ſingulis namque Canonicis Ordinariis uſum Mitræ & Pontificalium indumentorum Summus ille Pontifex benignè indulſit. Imo facultatem quoque impertitus eſt, Epiſcopalia hæc Inſignia, per omnes Urbis & ampliſſimæ Diœceſis Eccleſias deferendi, ùt ex Pontificio Diplomate conſtat.

Nec in Metropoli tantùm, ſed etiam per Diœceſim Sacrarum rerum cultum ſplendoremque curavit Benedictus. Siquidem cùm pauperes Eccleſias, præſertim in alpeſtribus remotiſque Locis, Paſtorali viſitatione, quam ſæpiùs iniit, luſtraret, Calices argenteos, Sacerdotalia indumenta non modici pretii, & quidquid lineæ ſupellectilis, ad Divinum Sacrificium decentiùs peragendum, neceſſarium cenſebat, abundè largitus eſt; Altarium nitorem augens, & ad obſequia Sacerdotibus exhibenda plebem alliciens.

Operoſior illi cura fuit, Gregis ſui ſaluti æternæ conſulere. Quapropter cùm animadvertiſſet, plures Egenos vagari per plateas, quin ad percipienda Doctrinæ Chriſtianæ præcepta feſtivis diebus accederent, peculiarem Scholam inſtituit, eoſque in illam invitavit, mercede adultis ampliore,

mi-

minore pueris ex ærario ſuo conſtitutâ ; ſimul proſpiciens egeſtati corporis , & animæ proventui , explicatâ ipſis Fidei Catholicæ regulâ , & rectâ morum diſciplinâ . Servos etiam præ oculis habuit , imò èt vilioris conditionis homines , nempe Satellites ; primis enim prandii horas , quibus a famulitio vacant , delegit , diemque per hebdomadam , & Eccleſiam per ſingulas Civitatis regiones ſtatuit , ut rudimentis Decalogi aliiſque ad vitam chriſtianè ducendam legibus informarentur ; poſtremis verò pomeridianos conventus aperuit in Sacro Loco , ad hoc munus ſelecto , ut ipſis quoque non deeſſet pabulum cœleſtis Doctrinæ , & magiſterium ſanctiùs vivendi , quo penitus deſtituebantur . Denique ad homines in Piſtrinis panem compingentes , & ad ægrotos in Majori Noſocomìo jacentes , pios Sacerdotes providè tranſmiſit , ut omnes fructum Divini verbi caperent , atque ad æternam ſalutem erudirentur .

Præcedentium Archiepiſcoporum Mediolanenſium vigilantia & ſolicitudo Gregis ſui id excogitaverat perfeceratque in bonum animæ eorum , qui circum mœnia degentes inopiâ ſubſidiorum laborabant , quibus redundabat Metropolis noſtra , ut nempe ſelecti e Societate Jeſu fervidi ſpiritûs Operarii , aliique etiam ex Ordine præſertim Cappuccinorum Evangelici Præcones , ſacras apud gregales eos viros fœminaſque Miſſiones agerent , impellerentque , Noviſſimorum recordatione atque myſteriorum Fidei elucidatione , ad ſeriò conſulendum animarum ſaluti . Benedictus Odeſcalcus , re maturè perpensâ cenſuit , remedium hoc non tam fore opportunum , ſed etiam neceſſarium pro ipſa Metropoli : Cùm-

que

que admoneretur, ſteriles futuros labores eorum, qui vigilias & ſudores impenderent huic Operi accuratè perficiendo, cùm edocti de Divinis præceptis Cives in ea uberi Divini verbi copia, quod diebus Feſtis manè & veſpere in tot Eccleſiis e ſuggeſtu diſſeminatur, novo hoc ſacro ſtrepitu parum aut nihil commoveri ſe paterentur, reſpondit, etiam vehementes pluvias, quæ præter morem e caliginoſo aëre in terram proruunt, eam ſaltem utilitatem ſecum afferre, ut videlicet, ſi non in intimas fibras penetrent, vias tamen & compita a ſuperfuſis fæcibus expurgent expoliantque. Itaque Urbanas Miſſiones a Patribus Jeſuitis peragendas primus inſtituit; illæque exinde uſque ad hæc tempora maximo Civium ſpirituali emolumento perdurant, accurrente ad eas audiendas, & ad pia exercenda illarum opera, copioſiſſimâ populi multitudine.

Novis etiam Agricolis Vineam ſuam ditavit Odeſcalcus, Congregatione nimirum *Clericorum Regularium Matris Dei*, quos e Lucenſi Urbe profectos primùm excepit Civitas Mediolanenſis. Iis verò Eccleſiam Sancti Petri, nuncupati *in Campo Laudenſi* conceſſit ſimul cum Parœcia, quam Apoſtolica interveniente auctoritate in eos tranſtulit; magno non minùs animarum proventu, ſed etiam ſtudiorum liberalium incremento.

Præcipuum tamen vigilantiæ Benedicti documentum, eſt Collegium Rhaudenſe, in quo commorantes delecti e Sodalitio Oblatorum, Sanctorum Ambroſii & Caroli Viri, doctrinâ & pietate inſtructiores, qui ſe totos propagandæ Dei gloriæ devoverunt, per Pagos & Oppida Diœceſis excurrunt,

runt, Sacerdotes primò piis Sancti Ignatii exercitationibus, dehinc Sacris Miſſionibus populos, ad dignos cujuſque munere mores componendos annuatim excitando. Illud namque a Sancto Carolo conditum, ut proximo Deiparæ Virginis miraculis celeberrimæ Templo Oblati inſervirent, liberali pecuniarum largitione capacius ac magnificentius reddidit, numeroſiores ſacros Miniſtros ad novam hanc provinciam obeundam inducens, eoſque propriis ſumptibus alens, ac ſupellectilem omnem ſuppeditans iis neceſſariam, qui illuc ſe conferunt, ut Orationi incumbant per octo decemve dies vel ſponté, vel ob Ordines Clericales poſtmodum ſuſcipiendos. Qua in re exemplum ceteris ipſe non raró ſe præbuit, cùm dimiſſis paulifper graviſſimis ſui muneris curis, eas Ædes ſolus incoleret æterna contemplaturus. Quanti autem fecerit hoc Inſtitutum Ambroſiano Gregi adeò proficuum, moriens oſtendit; legatis Collegio Rhaudenſi quinquaginta millibus Imperialium librarum, eâ tantùm conditione, ut duo Divina Sacra quotidie in perpetuum celebrarentur.

Aperta fuerat paucis ante annis, pietate cujuſdam Eccleſiaſtici Viri, Domus, ut in ea reciperentur Puellæ aut lapſæ, aut periclitantes, quæ prompto & facili remedio indigebant. Hanc Benedictus, ſtatim ac Mediolanenſis Eccleſiæ regimen ſuſcepit, dignam cenſuit patrocinio & auxiliis ſuis. Quapropter ducentos aureos nummos eidem quotannis erogari juſſit; cùmque Matrona, Puellarum curam gerens, ad proximam Sacram Ædem eas ducere cogeretur ob audiendum Sacrum & Eccleſiæ Sacramenta ſumenda, a Summo Pontifice obtinuit, ut Oratorium in eadem Domo conſtrue-

retur;

Digitized by Google

retur ; ibique tum Laudes Deo decantarent, tum ſalutaribus omnibus animæ ſubſidiis fruerentur, amoto periculo vel fugæ, vel juvenum inſolentiæ, dum vias pertranſirent: Inditumque fuit Loco illi nomen *Divinæ Providentiæ*, cujus beneficio tam pium Opus impoſterum perennaret.

Eamdem ſolicitudinem adhibuit erga Sorores Tertii Ordinis Minorum, olim *Sancti Joſeph* appellatas a proxima Eccleſia huic Sancto dicata, nunc verò *Immaculatæ Conceptionis* nomine deſignatas. Siquidem cùm èt ipſæ ad Templum Patrum Reformatorum ejuſdem Ordinis accedere deberent ad Sacra percipienda, Sacellum aperuit, Deiparæ Virgini ſine labe conceptæ nuncupatum, atque omnia ſpiritûs adjumenta conſtituit, adeò ut intra ſepta ſua nunc clauſæ, munus inſtruendi Puellas in Fidei regulis, manuumque operibus quietè perficiant. Nec diſpar fuit Paſtoralis Benedicti ſolertia ad colligendas in unum diſperſas in domibus Virgines, quæ *Urſulinæ* appellantur. Regulas iiſdem tradiderat Sanctus Carolus Borromeus; ſed pium illud Inſtitutum temporum iniquitate collapſum jam erat. Reſtituit Odeſcalcus, erecto Collegio prope Eccleſiam Sanctæ Mariæ dictæ *ad Portam*, in quo degerent Virgines illæ, quæ ob parentum inopiam neceſſariis ad religioſam ducendam vitam in propria domo auxiliis deſtituebantur; & novo Conſtitutionum additamento eas inſtruxit ad implendum ſimul ſanctioris vitæ onus, & munus externum, tenellas nempe fœminas piis moribus & artibus imbuendi. Dicatum eſt autem iſtud Collegium Beatæ Virgini Mariæ, & Sanctæ Urſulæ ejuſque Sociis.

Seminarienſis juventus, cùm relaxationis dies ageretur, extra Urbis Portas dimittebatur, ut feſſum ſtudiis ingenium animumque, camporum amœnitate recrearet. Non opportunum id cenſuit Benedictus, cùm dicata beneficio Eccleſiæ cohors iſta adoleſcentum, datâ in ſolatium libertate abuti quandoque poſſet, ſeque periculis inconſultò committere. Quamobrem providum iniit conſilium, ut ſtata Ædes illis deſignaretur aut pretio empta, aut a fundamentis erecta, in qua ludis quidem vacarent, ſed minimè ab oculis Rectorum ſubducerentur. Id tantâ felicitate peractum eſt, ut nullum ſit Urbanum Seminarium & Collegium, aut remota etiam a noſtra Urbe Colonia hujuſmodi Clericorum, quæ hoc beneficio non fruatur, tanti Paſtoris vigilantiâ comparato.

Verùm ultra hos limites ſedulitatem ſuam amoremque erga Seminarienſes alumnos protendit Benedictus. Cùm enim metueret, ne abſoluto ſtudiorum curriculo, dum ad paternas ædes revertebantur Clerici, accepta in magnam ſpem copioſæ meſſis ſemina doctrinæ & pietatis, ocio & indulgentiâ Parentum contabeſcere ſinerent, Collegium inſtituit (cui *Odeſcalchi* nomen acceſſit) prope Eccleſiam Sancti Joannis Baptiſtæ, dicti *ſupra Murum*, cujus Parœciam Pontificio Diplomate, Seminario Majori adjunxerat, Vicario munere adminiſtrandam. Ibi verò collecti emeriti Juvenes degebant, mitiore quidem diſciplina, ſed Divinis rebus & ſtudio moralis Theologiæ addicti; donec vacantibus per Diœceſim Parœciis tamquam idonei Miniſtri præficerentur.

Peculiari memoriâ dignum eſt, quod præſtitit vigilantia Be-

Benedicti, ob ſervandam in Grege ſuo morum honeſtatem; cùm namque a potentioribus quibuſdam Viris ageretur de inducendo Mediolanum more exterarum Civitatum, ut nempe ad nocturnos Nobilium Conventus, uterque Sexus perſonatus quovis anni tempore accederet, infracto animo reſtitit Odeſcalcus, obtinuitque, ne in Inſubrum Metropolim periculoſa hæc licentia pedem inferret.

Inter ceteras Benedicti virtutes, ea quæ ſplendidior effulſit, liberalitas erga pauperes fuit. Siquidem horreum atque ærarium ſemper patentia reliquit egenorum calamitatibus ſublevandis; adeò ut Sacræ Virgines ad inopiam redactæ, Loca Pia, Puellæ, ac Viduæ Patrem hunc pauperum ſibi ubique præſentem ſenſerint, annonæ & pecuniarum ſecretâ largitione; nec ullus fuerit, qui a calore profuſiſſimæ Caritatis Odeſcalchi ſe abſconderet. Repertum eſt, initis calculis, ultra undecies centena millia Imperialium librarum, in egenorum ſubſidium fuiſſe ab ipſo erogata.

Innuimus proximè, immenſam prope auri copiam effuſam fuiſſe a Benedicto Antiſtite noſtro, pro ſublevanda Pauperum inopia, Locisque Piis ab ære alieno redimendis, quemadmodum conſtat ex domeſticis Codicibus, in quibus quotidianæ deſcribebantur expenſæ. Quot tamen profuſæ aliæ eleemoſynarum largitiones, veluti ſalubris aquæ rivuli, e turgido hoc Caritatis fonte per ſecretos cuniculos derivavêre in ſubſidium egenorum, quin iis innoteſcerent, quibus cura erat, cuncta quæ ex reditibus annuatim percipiebantur, chartis committere! Lubet hìc nonnulla referre, ad animum Benedicti, ſemper apertum propenſumque in largas elargitio-

tiones opum ſuarum, nemine conſcio, cùm ſeſe offerret occaſio, pateſaciendum. Evulgatum fuerat Edictum Supremi Urbis Moderatoris, quo, nummorum valore ad rectam intimi pretii lancem redacto, non aliter expendi, quàm præſcriptum erat, pecunia jubebatur. Accidit, Colonum quemdam prædiorum Archiepiſcopalis Menſæ, acceſſiſſe ad ejuſdem Theſaurarium, atque obtuliſſe non modicam Florenorum copiam, ex divenditis fructibus perceptam, ſolito qui antea decurrebat Florenorum valore. Reſtitit Theſaurarius, Edictum memorans, quo eorumdem pretium imminutum fuerat. Cauſabatur Colonus damnum ſuum; ſed cùm fruſtra ſe agere videret apud conſtantem in ſuo propoſito Virum illum, Archiepiſcopum Herbam adiit, qui eumdem interrogans, an ad manus haberet Florenos eoſdem, Colono offerenti ait, ſe illos acceptaturum majori etiam quàm ipſe optabat pretio; ſtatimque Familiarem unum ex fidentioribus advocavit, qui eoſmet nummos in deſignatis paupertate laborantibus Cœnobiis Monialium, juxta Archiepiſcopi placitum diſtribueret.

Non abſimile fuit, ſed magìs inexpectatum, quod inter ipſum & Matrem ſuam Marchioniſſam Turconam contigit. Cùm enim ſermo incidiſſet de multis frumenti modiis, quos illa in horreis detinebat, quin emptorem, niſi viliori pretio, inveniret, ſubjunxit illico Benedictus, in promptu ſibi eſſe, qui juſtis æquitatis legibus illud coëmeret. Prompta Genitrix fuit ad jubendum, ut modii omnes frumenti in Archiepiſcopale Palatium tranſportarentur: Ipſe verò nihil moratus, ad Cœnobiorum & Pauperum familias eoſdem

tranſ-

tranſmiſit; Matri poſtmodum reponens, ſe nullum meliorem inveniſſe emptorem quàm Deum, qui confertam & coagitatam mercedem eidem retribuiſſet. Plura alia educi in lucem poſſent, quæ ignotis viis ad paucorum notitiam pervenerunt; ſed ne longiores ſimus in hac re numquam ſatis commendata, ab iis referendis calamum temperamus.

Dum tanta rerum præclarè geſtarum & virtutum luce Mediolanenſem Eccleſiam illuſtraret, feralis morbus illum invaſit, atque ita perculit, ut loquelæ brachiique torpentis uſum eidem eripuerit. Attamen fractus licèt viribus, ſtatim ac convaleſcere aliquantulum potuit, muneri ſuo religioſiſſimè adimplendo curam omnem impendit, illudque inter acerbiſſimos dolores, quibus affecta erat valetudo, per integrum luſtrum adminiſtravit. Tamdem urgente potiùs animi ſui demiſſione, quàm morbi diuturnitate, ſtatuit ſeſe ab Archiepiſcopali Sede ſubducere, eamque vacuam Succeſſori relinquere. Quapropter datis ad Clementem XII. precibus, & confecto juxta Romanæ Curiæ præſcriptam normam liberæ voluntatis ſuæ documento, Eccleſiam ſibi commiſſam Pontificio Solio advolvit dimiſitque, paternam Domum repetens ſummo cum Civium omnium & populorum mœrore. Licèt tamen domeſticis incluſus parietibus, atque a ſe abdicatis Pontificalibus Inſigniis ac Dignitate, privatam ageret vitam, cohibere ſe nihilominus minimè potuit, quin largè etiam ibidem Cœnobia, pauperes, puellas annonâ & opibus ditaret, adeò ut dolere quidem, ſe amiſiſſe, Benedicto adhuc vivente, vigilantiſſimum Paſtorem univerſa Civitas poſſet, non verò amantiſſimum Patrem.

Quàm

Quàm admirabili autem patientiâ ferme quadriennium exegerit, tranquillè ferens contumacem interceptæ vocis & immoti brachii moleſtiam, quave temperantiâ abſtinuerit a ſolatiis, quæ curis gravioribus exſolutus honeſtè capere potuiſſet, teſtes fuere Domeſtici, qui nullos gemitus aut ſuſpiria edentem, nec umquam e confiniis Domûs ſuæ exeuntem viderunt. Mors ſola eum eduxit, ſepulcro condendum; eaque contigit ſub finem Anni MDCCXL. Sed in ipſo obitu eluxit Humilitas, quam ſecum ubique comitem ſemper duxerat. Siquidem non in Metropolitana Baſilica, ut Archiepiſcopum decebat, ſed in paternæ Domûs Parœcia tumulari ſe juſſit ultimis Tabulis, in quibus tamen ſe minimè oblitum Maximi illius Templi, quod tamdiu vivens incoluerat, oſtendit; legavit namque ejuſdem Sacrario Pontificales omnes Veſtes numero copioſas, & pretio artis aurique ſuperinducti magnificas; Crucem tantùm Paſtoralem adamantinam, in Prædeceſſoris ſui Sancti Ambroſii reverentiam, Ambroſianæ Baſilicæ dono relinquens. Quem in Teſtamento præteriit, Fratris Filius fuit, cui jam adſcripto Eccleſiaſticæ militiæ, & eximia morum integritate prædito, quamvis ab Affinibus Amiciſque rogatus, nihil reſignare voluit de proventu duorum mille & quinquecentum aureorum nummûm, quem e dimiſſo Archiepiſcopatu ipſi Summus Pontifex reſervaverat. Qua in re geminæ virtutis exemplum præbuit, animi nempe a carne & ſanguine prorſus alieni, & caritatis erga pauperes ſemper vigentis; cùm mens illi foret, liberos ab omni onere reditus Succeſſori relinquere, ut eos ſublevandæ egeſtati liberaliùs impenderet, quemadmodum

dum impotens loqui, ſignis expreſſit. Neque tamen inſignis adeò largitatis erga egenos ſignificatione contentus fuit Benedictus; ingenioſius namque illius amor in eorumdem proventum id invênit, ut etiam in tumulo jacens munificentiam ſuam per alios exerceret. Siquidem ex hæreditariis ſpoliis, ac reditibus ad eum ſpectantibus & nondum exactis, injunxit Hæredibus Fratribus, ut tertia pars, quæ non modica fuit, ad Pia Loca, & ad Parochorum Urbis noſtræ manus tranſmitteretur, in pauperes diſtribuenda.

Ceterùm illud mirandum planè fuit, moriente Benedicto, adeò commotum fuiſſe Clerum & Populum, etſi ab Archiepiſcopi munere multo jam a tempore ſe abdicaſſet, ut ejus jacturam tamquam Patris deflerent, & quadam nobili æmulatione ſe invicem incitarent Collegia Canonicorum, & Parochi tum Urbis, tum Diœceſis, ad eidem præſtanda emortualia Suffragia, ſolemni pompâ & ſumptibus propriis; non ſecus ac Gluſſianus narrat, accidiſſe in obitu Sancti Caroli Borromei. Verùm hæc abundè legi poſſunt in Libro a nobis typis edito Mediolani Anno MDCCXLI., inſcripto: *Pietas & amor Mediolanenſium in Obitu Eminentiſſimi Cardinalis Benedicti Herbæ Odeſcalchi, olim Mediolani Archiepiſcopi* &c.

Rexit Eccleſiam Mediolanenſem Benedictus per annos XXIV., menſes IV., & aliquot dies; ſepultus ante Aram Maximam Eccleſiæ Sancti Joannis, appellati *ad Concham*, quæ Parœcia erat Domûs paternæ. Lapidi inſculpta ſunt hæc verba:

BE-

BENEDICTI
CARDINALIS HERBÆ
ODESCALCHI
TIT. SS. XII. APOSTOLORUM
OLIM MEDIOL. ARCHIEPISCOPI
IN HOC TUMULO CINERES,
IN PRECE PAUPERUM
SPES.
OBIIT IDIBUS DECEMBRIS
ANNO SALUTIS MDCCXL.
VIXIT ANNOS LXI.
MENSES IV.

CA-

Digitized by Google

CAROLUS CAJETANUS STAMPA.

E Familia nobiliſſima, poſtremis etiam hiſce annis ſplendido Magnatum Hiſpaniæ & Velleris aurei honore ab Auguſtiſſimo Cæſare Carolo VI. donatâ, ortum duxit Carolus Cajetanus Stampa. Prodiit in lucem Anno MDCLXXVII., die primo Novembris. Sortitus eſt Patrem Chriſtiernum Stampam, Comitem Sacri Romani Imperii, & Montis Caſtelli, Matrem verò Juſtinam Borromeam, Sancto Carolo Cardinali Archiepiſcopo Mediolani affinitate conjunctam. Tyrocinium optimæ indolis poſuit in cultu literarum & ſtudio pietatis, cui ut arctiùs ſe obſtringeret, Eccleſiaſticam militiam eſt amplexus. Doctoris laureâ in alma Ticinenſi Univerſitate decoratus, & Nobilium J. CC. Equitum & Comitum Mediolani Collegio adſcriptus, Romam ſe contulit, ubi præclaris virtutum experimentis acceptum ſe adeò reddidit Summo Pontifici Clementi XI., ut Ravennam miſſus difficillimis temporibus, Pro-Legati munus geſſerit ſummâ dexteritate, & populorum annonæ inopiâ laborantium beneficio; rei frumentariæ copiâ iiſdem comparatâ. Spoleti & Anconæ Gubernator declaratus, poſtremam hanc Urbem ab inſolentia Pyratarum exemit, inſtructâ Triremium claſſe. Orator quoque delectus ad Magnum Etruriæ Ducem in Florentina Urbe, auctus eſt Dignitate Chalcedonenſis Archiepiſcopatûs; ſubinde ad Vene-

tam Rempublicam Legatus, quatuor ſupra decem annos ibidem traduxit ſumma cum laude, Ampliſſimi illius Senatus etiam in turbidis rebus benevolentiâ numquam deperditâ, ſimulque juribus Apoſtolicæ Sedis impigrè propugnatis. Revocatus ad Romanam Urbem, Sacræ Congregationis, Epiſcoporum ac Regularium Cauſas cognoſcentis conſpicuum ac laborioſum munus a Secretis exercuit; donec ex dimiſſione Archiepiſcopatûs Mediolanenſis, a claræ memoriæ Cardinali Herba Odeſcalco peractâ, Succeſſor eidem datus eſt a Clemente XII., die XXXI. Martii, Anni MDCCXXXVII.; ac demum Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis creatus die XXI. Februarii, Anni MDCCXXXIX., Mediolanenſem Urbem plauſu & lætitiâ implevit.

Cùm autem fauſtum hoc nuncium Româ delatum eſſet ad Eminentiſs. Stampam, jam ſupra annum Mediolani degentem, atque occupatum gravibus ſui muneris curis, Summus Pontifex Purpureum Biretum ad eumdem tranſmiſit per alterum ex ſuis a Secreto Cubiculo, adjectis Brevibus Literis ad Eminentiſs. Cardinalem Gibertum Borromeum Novarienſem Epiſcopum, quibus eum deligebat, ut nomine ſuo illud Stampæ capiti imponeret. Peractum id fuit ſolemni pompa, & novo prorſus in Mediolanenſi Urbe exemplo, die XV. ſubſequentis Aprilis, qua in Sacello Archiepiſcopali, poſt auditum Miſſæ Sacrum ambo Cardinales in Solio conſedêre, lectoque Apoſtolico Diplomate, atque oblato a Præſule Romano, Bireto quod ſecum detulerat, Eminentiſs. Novarienſis Epiſcopus, qui Stampæ Avunculus erat, ejuſ-

ejuſdem caput illo inſignivit; actæque ſunt Deo gratiæ Cantico conſueto inter Muſicorum concentus, recitatâ primùm eleganti Oratione a Præpoſito Generali Congregationis Oblatorum, in accepti honoris gratulationem. Subinde magnifico inſtructo apparatu Mediolanum publicè ingreſſus, comitantibus præcipuis omnibus Civitatis Ordinibus, populoque innumero feſtivè plaudente, Templum Maximum adiit die X. Maji, ejuſdem anni.

Inter primas Cardinalis Stampæ res egregiè geſtas, ea fuit, qua Variſium ſe contulit, æſtivo licèt calore dies ferverent, ut aureo diademate Româ miſſo, Deiparæ Virginis Simulacrum ſingulari veneratione cultum, & crebris miraculis celebre, in Eccleſia Monialium *ſupra Montem* prope illud Oppidum poſitâ redimiret. Proficiſci poſtmodum debuit Romam Anno MDCCXL., ut mortuo Clementi XII. novus Apoſtolicæ Sedi Summus Pontifex ſufficeretur; conſenſitque electioni Benedicti XIV. feliciſſimè nunc regnantis, quem Deus univerſæ Eccleſiæ Catholicæ bono diu incolumem ſervet; ab eo autem Purpureum Galerum accepit.

Redditus Civitati totum ſe devovit curandæ animarum ſaluti, Deique gloriæ promovendæ. Quamobrem Paſtoralem viſitationem univerſo Gregi ſuo indixit, eamque a Majore Templo inchoavit. Sed cùm reliqua per Diœceſim itinera meditaretur, prohibitus fuit, ne illa ſuſciperet, a graviore anhelitûs difficultate, qua ob malè affectum pectus identidem laborabat. Ut autem votis ſuis ſatisfaceret, Mediolanum vocavit Rectores omnes Eccleſiarum, quos *Vicarios*

Digitized by Google

Foraneos appellant. Congregatio iſta, populorum regimini admodum ſalutaris, inſtituta fuerat a Sancto Carolo Borromeo, quotannis convocanda; plura tamen elapſa erant luſtra, quin Cœtus iſte in unum colligeretur, ereptâ Prædeceſſori ſuo tam proficui Operis occaſione ob Romanum iter & moram in ea Urbe, ad ferenda in Conclavi ſuffragia pro novo creando Summo Pontifice, ſubinde verò ob interceptam vocem diuturnumque morbum, ferme per decennium ab eodem patientiſſimè toleratum. Itaque Cardinalis Stampa revocandæ optimæ huic conſuetudini manum adjecit, habitoque cum omnibus Præfectis Plebium in ſex Regionibus, in quas Diœceſis ſejungitur, privato colloquio, Decreta edixit in pleno eorumdem Conſeſſu; & ne memoriâ umquam exciderent, Libellum typis impreſſum, in quo tum veteres Synodorum Sanctiones, tum novæ ab ipſo additæ, locis ac temporibus opportunæ continebantur, ſingulis diſtribuit, ut in hiſce veluti tabulis Legis, quæ præcipere quæve emendare in commiſſis ipſorum curæ Ovibus deberent, facilè intuerentur.

Innata eidem fuit & aucta virtute, etiam in excelſa Dignitate, hilaritas vultûs & affabilitas, qua neminem, licèt abjectæ conditionis, reſpuebat, cùm patens ſemper omnibus foret aditus ad ſupplices ipſi preces porrigendas, & ſerena frons ad omnes benignè excipiendos. Hinc facilem ſe præbebat ad audiendas in Doctrinæ Chriſtianæ Scholis puerorum diſputationes, præſentem ſe reddens Templis, ad quæ vel propria, vel publica pietas illum invitabat, præſentem Congreſ-

greſſibus, in quibus aut de promovendis ad Sacros Ordines Clericis, aut de imbuendo Catholicæ Fidei rudimentis utroque Sexu, aut de conſervanda augendaque adoratione Divinæ Crucis in compitis erectæ agebatur. Denique nulli pepercit labori, ut omnibus prodeſſet, & deſideria omnium impleret.

Peculiarem admirationem in Civium animis excitavit, quod Cardinalis Stampa aggreſſus eſt poſtremo vitæ ſuæ anno. Cùm enim Quadrageſimæ tempore rigidior aër glacie ac nivibus Urbem ſtraviſſet, ſpretâ frigoris & viarum moleſtiâ, alternatim conferre ſe voluit ad omnes Eccleſias, in quibus quotidianæ habebantur Conciones, iiſdem audiendis intentus; ut exemplo ſuo populum doceret, qua frequentia quave aviditate excipi deberet pabulum Divini verbi, a ſacris Evangelii Præconibus ibidem abundè ſubminiſtratum.

Neque tantùm exemplo promovere ſtuduit animarum proventum, verùm etiam largâ manu ad abigendum ſquallorem pauperum, curam paterni ſui cordis impendit. Siquidem præter liberales eleemoſynas quas paſſim elargiebatur, fidis quibuſdam ſuis Miniſtris injunxerat, ut ſi egenos aliquos, præſertim puellas inopiâ laborantes inſpicerent, non tam pecuniâ, ſed etiam indumentis ſuo ære coëmptis juvarent. Hoc autem fieri peculiariter jubebat in agreſtibus Locis prædiorum Menſæ Archiepiſcopalis; conſtitutâ etiam cunctis adoleſcentulis Dote, qua matrimonio collocarentur.

Juventuti inſuper incitandæ ad Literas ſtrenuè colendas non defuit Stampa; cunctis per Urbem diſperſis Seminarii

&

& Collegiorum Lycæis ſe indulgens, eoſque ſingulari benevolentiâ complectens ac præmiis afficiens, quos impenſiùs ſtudiis addictos intelligebat. Novam inſuper nitidiorem Typographiam condere animo volvebat in Ædibus aut Seminarii, aut Helvetici Collegii, jamque Congregationem inſtituerat, deſignatis ad eam conflandam Eccleſiaſticis Viris, eruditione ac peritia inſtructiſſimis, ut ad Ritus & Cæremonias Ambroſianæ Eccleſiæ illuſtrandas, & editionem Liturgicorum Voluminum, aliorumque ad res Sacras ſpectantium Librorum accuratiùs nobiliùſque parandam ſedulò incumberent. Sed inopinata mors optima hæc, conſilia diſſolvit. Siquidem ingraveſcente pectoris morbo, intra biduum, bonis omnibus tam præcipitem caſum deflentibus, ſpiritum Deo reddidit, nocte Pervigilium Dominicæ Nativitatis præcedente, Anno MDCCXLII.

Eccleſiam Mediolanenſem adminiſtravit annis V. menſibus VIII., diebus XXIII. Sepultus eſt in Templo Maximo, ante Aram Beatiſſimæ Virginis, appellatæ *de Arbore*, poſt ſolemnes eidem celebratas Inferias, quas nos deſcripſimus & in publicam lucem Mediolani emiſimus anno inſequente. Appoſita fuit ejus Tumulo hæc Inſcriptio:

CA-

CAROLUS CAJETANUS
CARDINALIS STAMPA
ARCHIEPISCOPUS MEDIOLANI,
LUCEM MISERICORDIÆ
SPERANS
ANTE ARAM
MATRIS MISERICORDIÆ
QUIESCIT.
VIXIT ANNOS LXV., MENS. I., DIES XXIII.
OBIIT DIE XXIII. DECEMBRIS
MDCCXLII.

Digitized by Google

JOSEPH II. PUTEOBONELLUS.

AB antiqua Patricia Mediolanenſi Stirpe progenitus Joſeph Puteobonellus, Parentes habuit Marchionem Quæſtorem Franciſcum, & Camillam Dardanonam nobilitate conſpicuam, edituſque in lucem fuit Anno MDCXCVI., die XI. Auguſti. Eccleſiaſtico Ordini adſcriptus, ac in nobilium juvenum Collegio Mediolani educatus, Literas ſummoperè adamavit, & præſertim Latinæ Poëſeos elegantiam ſectatus eſt, cujus experimenta in Academiis ſæpius publicè dedit. Provectiori ætate moralis Theologiæ facultatem coluit, & in Eccleſiaſtica eruditione comparanda, Libriſque Sanctorum Patrum ſedulò evolvendis ingenium exercuit. Legalem quoque Scientiam adeptus eſt, Doctorum Inſignia referens in Ticinenſi Univerſitate, ac poſtmodum in Nobilium Juriſperitorum Comitum & Equitum Mediolani Collegium cooptatus.

Inter Canonicos Ordinarios Metropolitanæ Mediolanenſis Baſilicæ connumeratus a claræ memoriæ Cardinali Herba Odeſcalco Archiepiſcopo, per varios illius Ordinis gradus ad Decani Dignitatem promotus fuit. Delectus in unum ex Viſitatoribus Diœceſis, quos *Regionarios* vocant, munus ſuum implevit, luſtratâ eâ parte quæ ipſi obtigerat, montium etiam & aſperitate vallium difficili, non ſine labore, ac fructu animarum. Subinde commiſſo eidem Sacrarum Virginum in Urbanis Clauſtris perpetuò degentium regimine, per ſexen-

xennium illarum curam non mediocri vigilantiâ geſſit. Cùm verò Archiepiſcopalis Mediolani Sedes vacua foret Paſtore ſuo, ob ferme repentinum Cardinalis Stampæ obitum, Primarii Metropolitani Cleri ſuffragiis, Eccleſiæ ac Diœceſi adminiſtrandæ Vicarius Generalis Capitularis eſt renunciatus.

Quo in munere cùm adhuc perſeveraret, arduo ipſi impoſito oneri accuratè ſatisfaciens, donatus eſt præcipuâ in Templo Maximo Archipresbyteri Dignitate a Benedicto XIV. Summo Pontifice; qui paulò poſt, nempe die XV. menſis Junii, Anni MDCCXLIII. eumdem inopinatò, & cœlitus immiſsâ cogitatione, ùt ipſemet faſſus eſt, Mediolanenſis Eccleſiæ Archiepiſcopum deſignavit. Imo cùm nondum inauguratus Romam proficiſceretur, obviam in itinere ad eum miſit cum Brevibus Literis duos inſignes Aulæ Romanæ honores, Protonotarii videlicet Apoſtolici Participantis, & Utriuſque Signaturæ Referendarii, ut nobiliùs ornatus almam Urbem ingrederetur.

Quàm benignè Supremus Hierarcha illum exceperit, dici vix poteſt. Singulari documento id eſt, noluiſſe Benedictum, ut novus iſte Archipræſul dubia in Examine diſſolvenda, & Epiſcopalis Chriſmatis unctionem ab alio reciperet, quàm a ſeipſo. Inſuper, nondum elapſo trimeſtris ſpatio, die IX. Septembris illum ſummâ beneficentiâ ad excelſum Sacræ Romanæ Purpuræ decus evexit.

His auctus honoribus doniſque Mediolanum properavit, & totâ feſtivis plauſibus perſonante Civitate, ac renovatis publicis votis, quæ jam effuderat, cùm primùm delatæ ad ipſum Infulæ Mediolanenſis acceptum fuit nuncium, ingreſ-

ſus eſt Urbem die XXI. Junii, Anni MDCCXLIV. Nec morâ interpoſitâ, ſe ipſum dicavit Pontificii ſui muneris curis, dirigendoque in viam pacis & ſalutis Gregi ſibi commiſſo; ſumpto enim a Baſilica Majore Paſtoralis Viſitationis exordio, Diœceſim peragravit, Eccleſias luſtrans, Clerumque ac Populos ad ſervandam Mediolanenſium præſertim Synodorum diſciplinam adhortans: proſecuturus impoſterum tam laudabile Opus, ſtatis commodiſque unicuique Regioni temporibus. Doctrinæ Chriſtianæ Cultor aſſiduus, Scholis ejuſdem tum publicè, tum privatim ſe obvium fecit, cujuſque conditionis homines de Fidei præceptis interrogans inſtruenſque. Congregationibus Clericorum, quæ ex Mediolanenſis Eccleſiæ Inſtituto ſingulis menſibus fiunt, ſæpe ſæpius interfuit, paternis ſermonibus eos ad vitam Eccleſiaſticis Viris dignam inſtituendam ſuccendens; idque etiam prævio ad Sacram Generalem Ordinationem die in Archiepiſcopali Sacello renovavit, mentis & cordis munditiam novis Altarium Miniſtris commendans.

Ad augendam in populo reverentiam erga Euchariſticum Sacramentum, cùm ab uno ex Parochis Templi Maximi Divinum Viaticum ad Infirmum deferretur, accurrenti Civium turmæ Cardinalis Puteobonellus ſe comitem dedit, & domum pauperem ingreſſus, cœleſti pabulo ægrotum propriâ manu refecit; commonefaciens hoc exemplo Gregem ſuum, non a mediocris aut infimæ tantùm conditionis hominibus, ſed etiam a Viris Fœminiſve nobilioris gradus, officium iſtud pietatis & obſequii erga Deum, devotâ æmulatione ac frequentiâ eſſe perſolvendum.

Sacris

Digitized by Google

Sacris omnibus Functionibus peragendis ſemper intentus, morem illum, qui a ſexaginta jam & ampliùs annis ob præcedentium Antiſtitum invaletudinem intermiſſus fuerat, ut nempe Archiepiſcopus ſermonem ad populum haberet præcipuis Feſtis diebus, iterum revocavit, e ſuggeſtu non ſemel perorans inter Miſſarum Solemnia. Denique ſpem omnibus indubiam facit, fore ut nemini ex piiſſimis Anteceſſoribus ſuis cedat vigilantiâ, ſedulitate, ceteriſque virtutibus, quæ tam inſignis Eccleſiæ Archiepiſcopum deceant.

Digitized by Google

Digitized by Google

INDEX
RERUM MEMORABILIUM.

Litera a *poſt numerum paginarum poſita, indicat Tomum primum; litera* b *ſecundum; & litera* c *tertium.*

A

ABBAS S. Ambroſii Mediolani Schiſmati favens, benedictas oleas Ænobarbo tradit in ſua Eccleſia. pag. 552. *b*

ABBATISSA Monaſterii Majoris Mediolani, antiquo de jure eligit Parochum S. Mariæ, *ad Circum* nuncupatæ. 539. *b*

Ejuſdem favore ſententiam profert Mediolani Antiſtes, contra vicinos Parœciæ, qui jus illud ad ſe ſpectare contendebant. ibid. & ſeqq. *b*

ACTA MEDIOLANENSIS ECCLESIÆ a quo fuerint typis primò vulgata. 1046. *c*

Eorumdem Exemplaria quanto apud omnes in pretio, & quàm expetita. ibid. & ſeq. *c*

Norma Epiſcopis fuerunt regendæ Eccleſiæ. 1047. *c*

ACTIUS VICECOMES a Ludovico Bavaro Vicarius Imperialis in Italia conſtituitur. 794. *b*

Quo anno improlis deceſſerit. 796. *b*

ADELEIDES a Lothario Rege vidua relicta, iterum matrimonio jungitur Ottoni I. Imperatori; & qua occaſione. 349 *b*

ADELMANUS quo anno regimen acceperit Eccleſiæ Mediolanenſis. 347. *b*

Quare, dum eam regeret, intruſus fuerit Manaſſes Arelatenſis Epiſcopus. ibid.

Non interfuit Comitiis Auguſtanis, ùt malè ſcripſit Ughellus. 350. *b*

Quantum reſtiterit Manaſſi, Eccleſiæ Mediolanenſis invaſori. ibid.

Paſtoralem virgam quo anno depoſuerit, & quando morti conceſſerit. ibid.

Ejus Epitaphium refertur. 351. *b*

ADRIANUS Imperator Chriſtifideles ſæviſſimè perſequitur. 21. *a*

ADRIANUS IV. Pont. Max., quando Auguſtalem Coronam impoſuerit capiti Friderici I. Ænobarbi. 547. *b*

Quo

Quo anno ex hac vita migraverit. 550. *b*
AGAPES, ſeu convivia, in Feſtis diebus a Fidelibus in uſu habita, quænam eſſent? 82. *a*
Pro iiſdem contra Manichæos egregiè depugnavit S. Auguſtinus. ibid.
Error in hoc Baronii detegitur. 81. *a*
Uſque ad Seculum XV. Mediolani perduraverunt. 82. *a*
AGATHO Summus Pontifex quo anno, & qua de cauſa Romæ Concilium celebraverit. 240. *a*
AGILULPHUS Langobardorum Rex ad Fidem Catholicam convertitur. 214. *a*
Quando poteſtatem fecerit Sancto Columbano Abbati, erigendi Bobienſis Cœnobii. 219. *a*
Quo tempore Arianam hæreſim ejuraverit. 222. *a*
AGIO'S Feſtum quo anno, & qua de cauſa Mediolani cœperit celebrari. 470. *b*
S. AGNETIS Sacellum in Metropolitana Mediolanenſi Baſilica a quo fuerit erectum ac dotatum. 755. *b*
ALBENSIS Eccleſia quo anno fuerit Aſtenſi unita, itaut utriuſque Eccleſiæ unus fieret Epiſcopus. 355. & ſeq. *b*
Ejus Antiſtes Florardus qua occaſione victum mendicare coactus ſit. ibid.
LABERTSU, quare Laudenſi Eccleſiæ præfectus fuerit a Sancto Galdino Metropolita. 560. *b*
Virtutibus ac miraculis inſignis, inter Sanctos poſtmodum numeratus fuit. ibid.
ALBOINUS Rex Langobardorum quo anno Italiam invaſerit. 181. *a*
ALCUINUS Bedæ diſcipulus ſcribit ad Petrum I, Mediolani Archiepiſcopum. 268. & ſeq. *b*
ALDEBERTUS Berengarii II. Filius ſævitiam ſuam in Eccleſias & Italos Proceres cum Patre exercet. 353. *b*
Regno ſpoliatur ab Ottone I. Imperatore. ibid.
ALERICUS Aſtenſis Epiſcopus quare fuerit anathemate percuſſus ab Archiepiſcopo Mediolanenſi. 387. *b*
Ab eodem in ſua ipſa Urbe obſidetur. ibid.
Quibus conditionibus petitam pacem obtinuerit. 388. *b*
Refellitur fusè Ughellus, qui huic facto fidem viſus eſt denegare. ibid. & ſeqq. *b*
ALEXANDER II. Pont. Maximus anathemate ferit Widonem Mediol. Antiſtitem. 427. *b*
Legatos ad Urbem noſtram mittit, ut diſſidia inter Clerum, & plebem componant. 428. *b*
Mediolanum petit, & B. Arialdum SS. Martyrum numero accenſet. ibid.
Irritam declarat abdicationem ab Eccleſia Mediolanenſi, quam Atho electus, per vim fecerat. 435 *b*
ALEXANDER PP. III Victorem III Pſeudo-Pontificem, & Fridericum ei adhærentem anathemate percutit. 550. *b*
Ad Epiſcopos & Urbes ſcribit, ut eoſdem tamquam Schiſmaticos exſecrentur. ibid.

Joan-

Digitized by Google

Joannem Anagnium Cardinalem qua de cauſa Mediolanum legaverit. 550. *b*

Genuâ in Gallias proficiſcitur, ibique multa celebrat Concilia. 553. *b*

Quot annis, durante Schiſmate, peregrinaverit. ibid.

Romam tandem, maritimo itinere pervenit. ibid.

Galdinum Mediolanenſis Eccleſiæ Archidiaconum, S. R. E. Cardinalibus accenſet. 556. *b*

Quo anno Concilium Lateranenſe celebraverit; & quid in eo contra Ænobarbum ſanciverit. 558. *b*

Litem Mediolani exortam in electione Primicerii quomodo compoſuerit. 573. & ſeq. *b*

Ad Galdinum Mediolani Antiſtitem de hac re Literas ſcribit, quæ referuntur. 574. & ſeqq. *b*

Epiſcopum Papienſem qua de cauſa Dignitate & Pallio ſpoliaverit. 579. *b*

Galdinum ſupra memoratum, inter Cœlites eſſe declarat. 588. *b*

Pacem cum Ænobarbo ſtatuit in Urbe Veneta. 592. *b*

Œcumenicum Lateranenſe III. Concilium quibus de cauſis convocaverit. 594. *b*

ALEXANDER PP. IV. Eremitanos Fratres, in varias Claſſes diſperſos quo anno juſſerit in unum Corpus coaleſcere. 702. *b*

Approbat translationem Fratrum Minorum de Eccleſia Fulcorina ad Naborianam, a Leone Archiepiſcopo Mediol. peractam. 711. *b*

ALEXANDER PP. V. quo anno ex Antiſtite Mediolanenſi in Summum Pontificem electus fuerit. Quando, & qua in Urbe deceſſerit. 844. *c* Vid. Filargus Petrus.

ALEXANDRIÆ Civitas qua de cauſa, & quo anno ædificata fuerit. 560. & ſeq. *b*

Quare hoc illi nomen impoſitum. 561. *b*

Hoſtilem Ænobarbi impetum, eam capere tentantis, non ſine miraculo evadit. ibid.

In ea Epiſcopalis Sedes erigitur. ibid.

Quis primus ejuſdem Antiſtes a Pontifice Maximo deſignatus fuerit. ibid.

ALGISIUS quando in Mediolani Archiepiſcopum delectus fuerit. 591. *b*

Quibus ſacris muneribus decoraretur in hac ipſa Eccleſia, ante ſuam electionem. ibid.

An cum Ænobarbo decertaverit, Urbis noſtræ oppugnationem iterum tentante. ibid. & ſeq. *b*

An Venetiis præſens fuerit Paci firmandæ inter Ænobarbum, & Alexandrum PP. III. 592. *b*

Ferrariam quo tempore ſe contulerit ad eumdem Alexandrum, & quàm benignè ab eo exceptus fuerit. ibid. & ſeq. *b*

Sententiam qua in cauſa protulerit, favore Joannis, Monachi S. Ambroſii. 593. *b*

Altera Sententia refertur, ab eo pronunciata in favorem Presbyteri S. Mariæ in Vallo. ib. & ſeq. *b*

Lateranenſi III. Œcumenico Con-

cilio

cilio intervenit. 594. *b*
Epiſcopatum Aquenſem quibus ſub conditionibus ad Urbem Alexandrinam, auctoritate Apoſtolica tranſtulerit. 595. *b*
Diploma expedit favore Noſocomii, in Variſii Plebe erecti. 596. *b*
Abbatiſſæ Monaſterii S. Ambroſii, in Florentiæ Suburbiis ſiti, privilegia confirmat. ibid.
Vercellarum Epiſcopum qua de cauſa tamquam Metropolitan depoſuerit 597. *b*
Quo anno vitam clauſerit, & quo in loco ſepultus fuerit. 598. *b*
Qua ratione nonnulli Scriptores in anno mortis referendo erraverint. 597. & ſeq *b*
ALPHONSUS LITTA Mediol. Archiepiſcopus. Vid. Litta Alphonſus.
ALTARE aureum in Eccleſia Sancti Calimerii, a quo fuerit dono datum? 26. *a*
Alterum in Baſilica Ambroſiana quis condiderit, & qua occaſione. 286. & ſeq. *b*
AMADÆISTARUM Congregatio a quo fuerit Mediolani condita. 940. *c*
Quando aggregata fuerit Fratribus Minoribus de Obſervantia; & quo verè anno in unum corpus cum iiſdem coaluerit. 941. *c*
B. AMADÆUS quo tempore e Luſitania Mediolanum appulerit. 939 *c*
Qua in Urbis noſtræ parte domicilium ſuum fixerit. ibid. & ſeq. *c*
Amadæiſtarum Congregationem Mediolani inſtituit ac regit. 940. *c*
B. Mariæ Virginis imaginem, *de Pace* nuncupatam, qua de cauſa depingi curaverit in ejus Eccleſia. ibid. & ſeq. *c*
AMBROSIANA Eccleſia multo ante Concilium Tridentinum Reſſidentiam quotidianam in Choro ſacris Miniſtris præſcripſit. 654. *b*
Quandonam alias in hoc Eccleſias ſuo exemplo præiverit. 378. *b*. Vid. Eccleſia Ambroſiana.
AMBROSIANA Baſilica, quo anno fuerit a S. Ambroſio dedicata? 79. *a*
Ejus Altare aureum a quo fuerit conſtructum, & qua de cauſa. 286. & ſeq. *b*
Aurea Crux, quæ etiam nunc ibi in Supplicationibus adhibetur, quomodo in eam pervenerit. 388. *b*
Æneus Serpens etiamnum in ea exiſtens, quid ſignificet. 383. *b*
Sub Oberto II. Antiſtite, repentino caſu magna ex parte corruit. 622. *b*
A Philippo I. Archiepiſcopo reficitur, & ornatur. 625 *b*
Magno ſumptu reſtauratur ab Archipræſule Federico Borromeo, & ſacris donis ornatur. 1101. & ſeq. *c*. Vid. Baſilica Ambroſiana.
AMBROSIANI RITUS a Franciſco Picolpaſſo Antiſtite noſtro, quàm fideliter cuſtoditi. 870. *c*
Ad eos abolendos quid egerit Cardinalis Branda Caſtillioneus, Pontificius Legatus. 870. & 953. cum ſeq. *c*

Quo

Digitized by Google

Quo in pretio haberentur a Sancto Carolo Borromeo. 1034. & ſeqq. *c*
Quam curam impenderit, ut eoſdem inviolatos ſervaret, & in omnes Diœceſis ſuæ Eccleſias induceret. 1035. & ſeq. *c*
Hoc idem propoſitum in Cæſare Montio. 1139. *c*, & in Alphonſo Litta Mediolani Archiepiſcopis conſtans emicuit. 1155. & ſeq. *c*
AMBROSIANUM OFFICIUM a quo Mediolani Antiſtite fuerit, editâ Conſtitutione, reformatum. 860. *c*
S. AMBROSIUS orationem Mediolani habet, in obitu S. Aurelii. 69. *a*
Quo anno mirabiliter in Epiſcopum Mediolanenſem fuerit acclamatus? 76. *a*
Qua in Urbe, & quo anno in lucem editus? ibid. & ſeq. *a*
Poſtremus fuit ex filiis ſui Genitoris. 77. *a*
Quàm frequenter ad populum verba faceret. ibid.
Valentinianum I. Imperat. de Magiſtratuum corruptelis objurgat. ibid.
Ejus conſtantia in morte Satyri Fratris ſui. 78. *a*
Binos Sermones habet in laudem Fratris defuncti. ibid.
Quo anno Mediolani aboleverit ſuperſtitioſa Convivia, quæ in Eccleſiis & Cœmeteriis inſtruebantur? 81. *a*
Quænam eſſent hæc Convivia, & an differrent ab Agapis? 81. & 82. *a*
Quid in hoc acciderit Sanctæ Monicæ, cùm Mediolani moraretur? 82. *a*
Theodoſio exprobrat per literas cædem Theſſalonicam. 84. *a*
Eumdem Eccleſiam ingredi volentem prohibet. ibid.
Quænam eſſet hæc Eccleſia, a cujus ingreſſu repulit Imperatorem? ibid. & ſeq. *a*
An occluſis poſtibus, vel acri ſolùm objurgatione eumdem a Templo repulerit. 85. *a*
Extra ſacros Cancellos conſiſtere eummet Cæſarem jubet. 86. & ſeq *a*
Ab eodem ob hanc animi conſtantiam laudatur. 87. *a*
An dum Sacra perageret, interfuerit ſpiritu celebrandis Sancti Martini Turonenſis exequiis. ibid.
Variæ in hoc Scriptorum opiniones recenſentur. ibid. & ſeq. *a*
Mors prædicti S. Martini, nondum exploratum eſt, quo anno contigerit. 88. *a*
Contra ritus Paganos, & Veſtales virgines ſtrenuè depugnat. 89. *a*
Quo veriùs anno obierit. ibid.
Quo in loco tumulum receperit, & quo die feſtiva ejus memoria peragatur in noſtra Eccleſia. 90. *a*
Quanto tempore vixerit Epiſcopus. ibid.
An bello cum Arianis decertaverit. ibid. & ſeq. *a*
Quid de hac re ſcripſerit Puricellus. 90. *a*
An fuerit Auctor Hymni *Te*

Deum laudamus. 91. *a*
Variæ de hoc referuntur Auctorum opiniones. ibid & ſeq. *a*
Propugnatur noſtra Traditio, quæ S. Ambroſio illum attribuit. 92. *a*
S. AMBROSII Corpus, a quo & qua occaſione occluſum undequaque fuerit in ejus Baſilica. 286 & ſeq. *b*
S. AMBROSII EFFIGIES argentea, gemmiſque irradians, quorum expenſis conflata fuerit, & in Metropolitanam Baſilicam invecta. 1059 *c*
Quo anno, & a quo Antiſtite fuerit ad eamdem Eccleſiam ſolemniter traducta. 1168. *c*
S. AMBROSII AD NEMUS Eccleſia. Vid. Eccleſia S. Ambroſii ad Nemus.
S. AMBROSII AD NEMUS FRATRES. Vid. Fratres S. Ambroſii ad Nemus
S. AMBROSII MONASTERIUM. Vid. Monaſterium S. Ambroſii.
S. AMBROSII TEMPLUM in Oppido Parabiagi, qua occaſione fuerit a fundamentis erectum. 798 *b*
AMICEUS Saccus Laudenſis, qua de cauſa anathemate Pontificio fuerit perculſus, dum Mediolani Præturam gereret. 647. & ſeq. *b*
AMIDANUS Nicolaus quo anno inſtitutus fuerit Mediolani Archiepiſcopus; quibuſque Eccleſiaſticis muneribus inſignitus foret ante hunc Præſulatum. 898. *c*
Cum Æneа Sylvio (poſtmodum Pio PP. II.) epiſtolare commercium habuit. 898. *c*
Diploma edit in favorem Hoſpitalis Pauperum Senum Mediolani. 899 *c*
Quo anno obierit, & qua in Eccleſia tumulatus fuerit ibid.
Epitaphium affertur, ejus ſepulcro appoſitum. ibid. & ſeq. *c*
Quæ de hoc Antiſtite ſcripſit Ughellus, expenduntur. 900. *c*
S. AMPELLIUS quando renunciatus fuerit Mediolani Epiſcopus. 237. *a*
Quanto tempore Eccleſiam ſibi commiſſam adminiſtraverit. ib.
An fuerit a Joanne V. Summo Pontifice, Beatorum albo adſcriptus. 238. *a*
Qua in Eccleſia ſepulcro datus ſit, & quando Sacrum ejus Corpus fuerit ſolemniter translatum. ibid.
ANACLETUS II. Pſeudo-Pontifex ad Anſelmum V. Mediol. Antiſtitem Pallium mittit, eumque in Cardinalium numerum refert. 502. *b*
S. ANASTASIUS Pont. Max. ſcribit ad S. Venerium Mediolani Epiſcopum. 106. *a*
S. ANATALON primus fuit Mediolani Epiſcopus. 4. *a*
S. Barnabæ Apoſtoli Diſcipulus, cum eo Mediolanum venit. 6. *a*
Verè fuit Epiſcopus Mediolanenſis ſimul, ac Brixienſis Eccleſiæ. 5. *a*
Natione Græcus, quot virtutibus floruerit. Comitem habuit in Divini verbi prædicatione Sanctum Cajum, quem Presbyterum

rum

rum conſecravit. Quàm ſtrenuè pro Fide Catholica depugnaverit. 6. *a*
An Martyrio vitam ſuam clauſerit, & quo anno ac die obierit. 7 *a*
Ubi Sepulcrum Brixiæ primò receperit, & qua in Eccleſia nunc colatur. ibid.
Quare feſtiva ejus Natalis memoria ad diem ſequentem in noſtra Eccleſia fuerit tranſlata. ibid.
Quanto temporis ſpatio Mediolanenſem Eccleſiam veroſimilius rexerit. 8. & ſeq. *a*
ANDREAS Landulpho I. Archiepiſcopo ſucceſſit anno 899., non ſequenti, ut voluit Ughellus. 317. *b*
Varia Placita ab illo edita recenſentur, in Cauſis ad eum delatis. ibid. & ſeq. *b*
Ad ejuſdem preces Diploma expedit Berengarius I. Italiæ Rex, favore cujuſdam Monaſterii Ticinenſis. 318. *b*
Quo anno vitam clauſerit, & qua in Eccleſia humatum ſit ejus Corpus. 319. & ſeq *b*
ANDREAS Presbyter Decumanus Mediolanenſis quædam prædia teſtamento legat Officialibus Presbyteris S. Laurentii, ut in ea Baſilica quotidie in Choro reſideant. 377. & ſeq. *b*
Hoc eſt primum quod in Hiſtoriis noſtris occurrat exemplum reſidentiæ quotidianæ. 378. *b*
S. ANGELI ECCLESIA. Vid. Eccleſia S. Angeli.
ANGELICARUM MONIALIUM Inſtitutum a quo Summo Pontifice fuerit approbatum. 977., & ſeq. *c*
Religioſus earumdem habitus qui ſit. 978. *c*
Quis Cœnobium illis extruxerit Mediolani, ac dotaverit. 977. & ſeq. *c*
Quam Regulam Moniales iſtæ profiteantur. 978. *c*
S. Carolus Borromeus nonnullas iiſdem Conſtitutiones præſcripſit. ibid.
ANGILBERTUS I. quando electus fuerit in Mediolanenſem Antiſtitem. 281. *b*
An decentiori in loco depoſuerit Corpus S. Monæ Epiſcopi noſtri. ibid.
Dies ejuſdem mortis, locus Sepulcri, & anni regiminis declarantur. ibid. & ſeq *b*
ANGILBERTUS II. quo verè anno conſcenderit Ambroſianum Solium. 283. *b*
Quàm falſum ſit, quòd primus ipſe Schiſma conflaverit, quo Mediolanenſis Eccleſia ducentum annis a Romana divulſa fuiſſe dicitur. ibid. & ſeq. *b*
Singularis ejuſdem pietas innuitur. 284 *b*
Sedet in Concilio Mantuæ coacto ab Eugenio II. Pontif. Max. 285. *b*
Binas Synodos Ticini celebrat; & qua de cauſa. 286 *b*
Altare aureum condit in Ambroſiana Baſilica; & quà occaſione. ibid. & ſeq. *b*
S. Caloceri Corpus in Monaſterium

rium de Clivate transfert. 287. *b*
Mediolani detinet quoſdam Monachos alienæ Provinciæ, quibus Monaſtica diſciplina inſtauretur. 288 *b*
Iiſdem poſtea Brixiam miſſis, a Ramperto illius Eccleſiæ Epiſcopo laudatur. ibid.
Ejus cum Lothario colloquium iunuitur. 289. *b*
Synodum Provincialem Mediolani cogit, & qua de cauſa. ibid. & ſeq. *b*
Præceptum edit favore Brixienſis Cœnobii SS. Fauſtini & Jovitæ. 290. *b*
Monachos S. Benedicti in Ambroſiano Mediolani Monaſterio ad Monaſticam diſciplinam componit. 292. *b*
Archipresbyterum Templi Maximi illis præficit. ibid.
An & quo anno interfuerit Concilio Romano, a Leone IV. Pont. Max. coacto. 294. *b*
An a Ludovico Pio confirmationem obtinuerit Privilegiorum, quæ Carolus M. Eccleſiæ Mediolanenſi conceſſerat. ibid. & ſeq. *b*
Quanto tempore Eccleſiam ſuam rexerit, quo anno defunctus ſit, & quo in loco ſepultus. 295. *b*
ANGLERIA olim vocabatur STATIONA, & erat juris Archiepiſcopatûs Mediolanenſis. 595. *b*
ANNONÆ penuria per XX. annos Italiam divexat Seculo XI. 412. *b*
ANNUS Incarnationis a quo fuerit inventus; & quando adhiberi cœperit in publicis Documentis. 132. *a*
ANSEGISUS Civis Aurelianenſis Eccleſiam in agro Mediolanenſi extruit Seculo XI., in honorem Dominici Sepulcri. 413. & ſeq. *b*
Eadem a Mediol. Archiepiſcopo poſtmodum conſecratur. 414. *b*
ANSELMUS I. quando electus ſit in Epiſcopum Mediolanenſem. 276. *b*
Qua de cauſa dejectus a ſua Sede, Monaſterio mancipatus fuerit. ibid.
Quando Eccleſiæ ſuæ reſtitutus. 277. *b*
An Lotharium Modoëtiæ coronaverit in Regem Italiæ. ibid. & ſeq. *b*
Quo anno obierit, & quo in loco tumulum receperit. 278. *b*
An eo depoſito, & in Cœnobium detruſo, ſtatim alius ſuffectus fuerit Mediolani Antiſtes. ibid.
ANSELMUS II. quo anno ſucceſſerit Anſperto in Mediolanenſi Archiepiſcopatu. 310. *b*
Berengarium Ducem Forojulienſem Italico ſerto Papiæ coronat. ibid.
An ſub Joanne VIII. Summo Pontifice, cùm iſte e Galliis rediret, electus fuerit in Archiepiſcopum, ùt ſcripſit Galeſinius. 311. *b*
Privilegiorum ſuæ Eccleſiæ confirmationem a Pontifice Maximo obtinet. 312. *b*
Cœnobio S. Ambroſii Mediolani præ-

Digitized by Google

prædia munificè elargitur . 312. *b*
Quot annis ſederit , & quando morti conceſſerit . ib. & ſeq. *b*
Emendatur in hoc Papebrochius, & qua ratione . 313. *b*
Locus ejus Sepulcri qui fuerit . ibid.
ANSELMUS III. quando Mediolanenſem Sedem obtinuerit . 443. *b*
An fuerit canonicè electus , vel ab Henrico Schiſmatico inſtitutus , fusè contra Pagium diſſeritur . ibid. & ſeqq. *b*
Qua de cauſa ad eum Literas miſerit Urbanus PP. II. 446. & ſeq. *b*
Inter finitimas Mediolano Urbes fœdus iniri curat contra Henricum II. Schiſmate infectum . 447. *b*
Conradum ejuſdem Henrici Filium regio ſerto Mediolani coronat . ibid. & ſeq. *b*
Præclarum ei tributum Elogium refertur . 448. *b*
Quot annis Mediolanenſem Eccleſiam rexerit; quando defunctus ; & ubi ſepultus . ibid.
An Claſſem atque exercitum inſtruxerit ad capiendam Babylonem , ùt ſcripſit Galeſinius . ibid.
ANSELMUS IV. quomodo ex Præpoſito S. Laurentii in Mediolani Archipræſulem renunciatus fuerit . 456. *b*
Miſſum a Summo Pontifice Româ Pallium recipit . ibid.
Armanum conſecrat in Brixienſem Epiſcopum , rejecto Oberto , quem Henricus ſchiſmaticus elegerat . 456. & ſeq. *b*
Multa Mediolanenſium & Langobardorum millia colligit , ut validior contra Barbaros in Orientem expeditio fiat . 457. *b*
Quo anno & qua de cauſa Concilium Provinciale Mediolani coëgerit . ibid. & ſeq. *b*
An ipſe primus immunitatem a vectigalibus conceſſerit , favore Mediolanum accedentium ad Feſtum SS. Protaſii & Gervaſii . 459. & ſeq. *b*
Lapis hac de re poſitus in atrio Baſilicæ Ambroſianæ refertur . ibid.
Litem diu vigentem inter Parochianos S. Protaſii , & Monachos S. Simpliciani quo anno diremerit . 460. *b*
Sacrum S. Arialdi Corpus in Sancti Dionyſii Templum ſolemniter transfert . ibid.
Qua de cauſa Templum de Rozone renovari juſſerit in ſimilitudinem Jeroſolymitani Sepulcri . 461. *b*
Illud idem conſecrat , inſtitutâ quotannis Supplicatione Metropolitani Cleri . ibid. & ſeq. *b*
In Orientem cum Langobardorum exercitu qua viâ perrexerit . 462. *b*
An iter in Orientem bis ſuſceperit , ùt nonnulli tradiderunt . ibid. & ſeq. *b*
Ante diſceſſum , ſibi Vicarium ſubſtituit Groſſulanum , ad Eccleſiam regendam . 463. & ſeq. *b*
Initâ cum Turcis pugnâ , & gravi vulnere confoſſus , Conſtanti-

ti-

tinopoli moritur . 464. *b*
Auctores conciliantur, qui diverſa de loco obitûs hujus Præſulis ſcripſere . ibid. & ſeq. *b*
Annus mortis, tempus regiminis, & locus ſepulcri connotantur . 465. *b*

ANSELMUS V. (de Puſterula) quo veriùs anno deſignatus ſit Mediolani Antiſtes . 495. & ſeqq. *b*
An vivente Olrico Deceſſore, ejuſdem fuerit Coadjutor in Archiepiſcopatu . 496. *b*
Qua de cauſa poſt ſuam electionem Romam contenderit; ibique Pallium recipere noluerit. 498. *b*
Româ redux a Mediolanenſibus honorificè excipitur. 500. *b*
Quo anno Italicum diadema Modoëtiæ ac Mediolani Conrado impoſuerit . ibid.
Renuit intereſſe Concilio Papiæ coacto, juſſu Pontificis Maximi, in eoque excommunicationis pœnâ multatur. 501. *b*
Pallium recipit ab Anacleto II. Antipapa, a quo etiam Pſeudo-Cardinalibus adſcribitur. 502. *b*
Eidem obedientiam præſtat, & Mediolanenſes legitimo Pontifici adhærentes, anathemate percellit . 503. *b*
Ab Archipresbytero Majoris Eccleſiæ palam declaratur hæreticus . ibid
In Concilio Provinciali Epiſcoporum Suffraganeorum Sede ſua ſpoliatur . ibid.
Dum Romam ad Antipapam Anacletum pergit, in itinere capitur, & vinctus ad Innocentium Pont. Max. tranſmittitur. 505. *b*
Romam traductus, ibi in carcere decedit, & quo anno . ibid. & ſeq. *b*
Quanto tempore Eccleſiam Ambroſianam tenuerit . 506. *b*
An Lotharium Imperatorem Mediolani ac Modoëtiæ coronaverit, ùt Calchus, & Zucchius tradiderunt . 506. *b*
An Romæ cum Innocentio PP. II. amicè vixerit, ùt ſcripſit Ripamontius . ibid
An S. Bernardum hoſpitio Mediolani receperit, ùt voluit Morigia . 507. *b*
Alii emendantur Scriptores, qui falſa de Anſelmo V. protulere. ibid. & ſeq. *b*
An hic Antiſtes ante obitum, Schiſma ejuraverit . 515. *b*

ANSELMUS de Bidagio, Lucenſis Epiſcopus, quare Mediolanum miſſus fuerit Legatus a Summo Pontifice . 425. *b*

Qui fuerit annus ejus mortis, qui locus ſepulcri, & quo die ejus Officium celebretur. 125. *a*
EUSEBIUS TICINENSIS Epiſcopus, quare ab Archiepiſcopo Mediolani fuerit graviter objurgatus. 404. & ſeq. *b*
Crucem deponere jubetur, quam in conſpectu Metropolitani ſui Mediolanenſis Præſulis præferre præſumpſerat. 405. *b*
Quo in loco poſtmodum Crux illa repoſita fuerit. ibid.
EUSEBIUS VERCELLENSIS Epiſcopus quibus artibus obliterari fecerit quamdam ſubſcriptionem, contra S. Athanaſium a S. Dionyſio Mediolani Antiſtite exaratam. 62. *a*
Vitæ communis methodum Clero ſuo primus in Italia præſcripſit. 542. *b*
EUSTORGIANA BASILICA. Vid. Eccleſia S. Euſtorgii.
S. EUSTORGIUS I. Sancto Mirocli in Epiſcopatu Mediolanenſi verè ſucceſſit. 52. *a*
Opinio contraria Caroli a Baſilica-Petri fusè refellitur. ibid. & ſeqq. *a*
Quantum pro Catholica Religione tuenda depugnaverit. 53. *a*
SS. trium Magorum Corpora, an Mediolanum ab Urbe Conſtantinopolitana deduxerit. 55. *a*
Quid de hoc ſenſerit Papebrochius. ibid.
Quot annis Eccleſiam ſibi commiſſam rexerit. 56. *a*
Ubinam depoſitus fuerit, & quando feſtiva ejus memoria apud nos peragatur. ibid.
S. EUSTORGIUS II. cui ſubſtitutus fuerit in Epiſcopatu Mediolanenſi. 153. *a*
An fuerit natione Græcus, & a Felice IV. Pont. Max. creatus Epiſcopus, ut ſcripſit Galeſinius. ibid.
An Florianum ab ultima Pannonia Mediolanum profectum, ad Chriſti Fidem converterit, & Diaconum fecerit. ibid. & ſeq. *a*
Error nominis in hoc detegitur. 154. *a*
An Auguſtanum Epiſcopum Pontificia ſua Sede dejecerit. 155. & ſeq. *a*
A Theodorico Rege Literas accipit, ut Clericorum Cauſas cognoſcat. ibid. & ſeq. *a*
Rogat per Epiſtolam S. Avitum Viennenſem, ut magnâ auri copia ad eumdem tranſmiſſâ Italos in Burgundia captivos redimi curet. 157. *a*

Non

Non fuit S. Jo: Damaſceni Diſcipulus, ùt Galeſinius, & Ripamontius tradidere. 160. *a*
Baptiſterium pro Fœminis Mediolani erigit, & quo anno. ibid. & ſeq. *a*
Perperam dicitur a Galeſinio, Sacra Magorum Corpora Mediolanum advexiſſe. 161. *a*
Quo verè anno obierit; ubi depoſitus fuerit, & quo die feſtiva ejus memoria recolatur. 162. *a*
Theodorico Gothorum Regi valde acceptus quidem fuit, non autem Amerio, ùt ſcripſit Ughellus; & quare. ib. & ſeq. *a*

F

FACTIO Mediolani duplex; altera pro Imperio, altera pro Romana Eccleſia militans. 785 *b*
FAMES rabidiſſima Mediolanenſem Urbem invadit anno MDCXXIX. 1111. *c*
Quot ſtragibus Cives, & quanto agros ſquallore affecerit. ibid. & ſeq. *c*
Quid in pauperum levamen eo tempore peregerit Federicus Borromeus Antiſtes. 1112. & ſeqq. *c*
FAMILIARUM NOBILIUM Elenchus ab Ottone Vicecomite Archiepiſcopo quare fuerit conſcriptus. 739. & ſeq. *b*
FAUSTINIANA Baſilica, ubi olim ſurgeret. 16. *a*
In ejus Clerum cooptatur S. Calimerius. 22. *a*
S. FEBRONIÆ PIA DOMUS quo anno, & a quo fuerit Mediolani inſtituta pro recipiendis puellis periculo, amittendæ virginitatis præ inopia expoſitis. 1131. *c*
Quæ fuerit hujus piiſſimi Operis origo, & progreſſus. 1130. & ſeq. *c*
A quo Antiſtite regulas acceperit, optimo ejus regimini opportunas. 1131. *c*
FEDERICUS I., dictus Ænobarbus, quo anno ad Imperium fuerit evectus; & in Italiam ſe primò contulerit. 547. *b*
An tunc Italico ſerto fuerit redimitus. ibid.
Romam profectus, Auguſtale diadema recipit a Summo Hierarcha. ibid.
Iterum in Italiam deſcendens, Brixiam obſidet ac capit; & quo anno. 548. *b*
Qua de cauſa etiam Mediolanum valida obſidione cinxerit. 549. *b*
Quibus conditionibus pacem ac veniam Mediolanenſibus tunc indulſerit. ibid.
An ab Oberto noſtro Antiſtite, fuerit poſtmodum Modoëtiæ coronatus. ibid. & ſeq. *b*
Italiæ Principes & Epiſcopos in Roncaliis convocat, ibique Leges condit. 550. *b*
Victori III. Pſeudo-Pontifici adhæret, & ab Alexandro PP. III. diris devovetur. ibid.
Iterum Mediolanum obſidens, ad deditionem Cives compellit. 551. *b*
Eamdem Urbem victor ingreditur

tur diruitque, in exilium pulſis, qui Alexandro legitimo Pontifici parebant. 552. *b*
Benedictas oleas recipit de manu Abbatis S. Ambroſii Mediolani, Schiſmati faventis. ibid.
Ab Alexandro PP. III. regia Dignitate ſpoliatur, & anathemate percellitur. 558. *b*
Obſidionem Alexandrinæ Urbis tentat, ſed irrito conatu. 561. *b*
Iterum Mediolanum oppugnare contendens, in fugam conjicitur. 591. *b*
Quo anno & die hæc victoria Mediolanenſibus ſteterit. ibid. & ſeq. *b*
Pacem cum Alexandro III. Pontifice Max. in Veneta Urbe firmat. 592. *b*
Nuptias Henrici VI. filii ſui cum Conſtantia, Rogerii Siculi Regis filia, Mediolani celebrat. 601. *b*
Iiſdem Conjugibus Italicum ſertum imponi curat in Baſilica Ambroſiana. ibid. & ſeq. *b*
Duplex Privilegium favore Mediolanenſium expedit, eoſdem laudibus exornans. 620. *b*
FEDERICUS II. Imperator a Gregorio PP. IX. exſtimulatur, ad Loca Sancta ab impiorum manibus vindicanda. 684. *b*
Ab eodem Summo Pontifice anathemate percellitur; & qua de cauſa. 685. *b*
Contra ipſum Legatio Pontificia inſtruitur; & quibus hæc fuerit commiſſa. 697. *b*
De eadem Legatione, ſtrenuè admodum peractâ, conqueritur apud Angliæ Regem. 697. *b*
FEDERICUS I. BORROMEUS Archiepiſcopus. Vid. Borromeus Federicus I.
FEDERICUS II. VICECOMES Archiepiſcopus. Vid. Vicecomes Federicus II.
FEDERICUS III. CACCIA Archiepiſcopus. Vid. Caccia Federicus III.
FERRARIA URBS quo anno fuerit a Venetis capta. 770. *b*
Obſidione cingitur a Pontificiis copiis, iterumque Pontifici ſe dedit. ibid.
FESTIVITAS SS. CORPORIS CHRISTI a quo fuerit inſtituta in univerſa Eccleſia. Quis eodem die ſolemnem agi ſupplicationem indixerit. Quando in Eccleſia Ambroſiana hæc Celebritas incœperit. Quàm magnificè peracta fuerit a Joanne II. Vicecomite. 797. & ſeq. *b*
FESTUS DIES S. Monæ quando celebretur in Eccleſia Ambroſiana. 34. *a*
S. FIDELIS ECCLESIA. Vid. Eccleſia S. Fidelis.
FILARGUS PETRUS quo anno ſucceſſerit Antonio Salutienſi, in Archiepiſcopatu Mediolanenſi. 836. *c*
An Novarienſis, vel Cretenſis Patriâ fuerit. ibid., 841. & 845. *c*
Quodnam regulare Inſtitutum profeſſus ſit ante Epiſcopatum. 836. *c*.
Ejus doctrina & pietas. In Ticicenſi Gymnaſio Theologiam, græcaſque litteras docet. 837. *c*
Quot

Quot Eccleſias, ante Mediolanenſem, rexerit tamquam Epiſcopus. A Conſiliis, & a Secretis fuit Jo: Galeatii Vicecomitis. 837. *c*
Ab eodem qua de cauſa Legatus fuerit ad Venceslaum Imperatorem. ibid. & ſeq. *c*
Favore Novarienſium Antiſtitum Diploma Cæſareum obtinet. 838. *c*
Mediolanum redux Orationem habet in ſolemni celebritate Ducalis Coronæ, Jo: Galeatio impoſitæ. ibid.
Quo anno translatus fuerit a Novarienſi ad Mediolanenſem Eccleſiam. 839. *c*
A Jo: Galeatio Tutor filiis Teſtamento relictus, Romam poſt illius mortem Legatus ad Sum. Pontificem mittitur. ibid. & ſeq. *c*
Hoſpitale Pauperum Senum Mediolani erigit, ac dotat. 840. *c*
Quo anno inter S. R. E. Cardinales relatus fuerit; & quot Pontificias Legationes obiverit. 841. & ſeq. *c*
Nomine Sedis Apoſtolicæ electionem Abbatis S. Victoris Mediolani confirmat. 842. & ſeq. *c*
Ad Generale Concilium Piſis celebrandum proficiſcitur, pluribuſque Legationibus, nomine Concilii fungitur. 843. *c*
Quo anno & die ab ejuſdem Concilii Patribus electus ſit in Summum Pontificem, & coronatus, *Alexandri V.* nomine aſſumpto. 844. *c*
Quando, & qua in Urbe e vita migraverit; Ubi Sepulcrum receperit; & quamdiu Ambroſianam Eccleſiam rexerit. 844. & ſeq. *c*
Præclara ejus Elogia innuuntur. 845. *c*
FIRMICUS Julius Maternus, diverſus omnino fuit a S. Materno Præſule Mediolanenſi. 47. *a*
FLORIANUS. Vid. S. Laureanus.
FOROLIVIENSIS CAROLUS I. Vid. Carolus I. Forolivienſis.
FORTIS Aſterii Succeſſor, quanto tempore Ambroſianam Eccleſiam gubernaverit. 228. *a*
Qua in Urbe ſepulcro datus fuerit. ibid.
FRANCISCUS I. PARMENSIS quando, & a quo fuerit in Antiſtitem Mediolanenſem electus. 761. *b*
Quas primitus Eccleſias adminiſtraverit. ibid.
Quo anno in Eccleſia Sancto Spiritui ſacra primum lapidem Mediolani poſuerit. ibid.
Ab omnibus oneribus exemptas declarat Moniales S. Apollinaris, expedito Diplomate. 762. & ſeqq. *b*
An particeps fuerit conſpirationis in Matthæum Vicecomitem, ejuſque filios excitatæ, ut ſcripſit Ughellus. 764. & ſeq. *b*
Qua de cauſa in Angleriæ Arcem ſe receperit. 765. *b*
Diploma edit favore Canonicorum S. Georgii ad Palatium; quod affertur. ibid. & ſeqq. *b*
Quo anno & loco vitam clauſerit. Quamdiu Eccleſiam rexerit; & qua in Eccleſ. tumulo

datus fuerit. 768. *b*

FRANCISCUS II. CREPPA Archiepiſcopus. Vid. Creppa Franciſcus II.

FRANCISCUS III. PICOLPASSUS Archiepiſcopus. Vid. Picolpaſſus Franciſcus III.

FRANCISCUS I. SFORTIA. Vid. Sfortia Franciſcus I.

FRANCISCUS II. SFORTIA. Vid. Sfortia Franciſcus II.

S. FRANCISCUS Aſſiſiates Mediolanum veniſſe traditur. 661. *b*

Quo in loco hoſpitium recepiſſe dicatur. ibid.

S. FRANCISCI Aſſiſiatis Alumni quo anno Mediolanum advenerint. 661. *b*

Ubi primò conſtiterint. ibid.

Ad S. Mariæ Fulcorinæ ædes tranſierunt, ibique diu moram duxerunt. ibid.

A quo Archiepiſcopo Naborianam Baſilicam receperint. 662. *b* & quando ad eamdem migraverint. 708. & ſeqq. *b*

Quo anno aliud Cœnobium, cum Eccleſia Sancto Angelo dicata obtinuerint. Et qua de cauſa ab altero extra Urbem ſito domicilio huc ſe contulerint. 1006. *c*

S. FRANCISCI ALUMNI, *Reformati* nuncupati, quando in Italiam migraverint, & Mediolani fixam ſedem obtinuerint. 1099. *c*

Quam Eccleſiam intra Urbem noſtram colendam acceperint. ibid.

Quando aliud extramuranum Cœnobium cum Eccleſia S. Ambroſii ad Nemus fuerit iiſdem contraditum. 1100. *c*

S. FRANCISCI ALUMNI, TERTII ORDINIS dicti, quo anno in Portæ Romanæ ſuburbiis ſedem ſuam fixerint. Ubi primitus moram ducerent. Cœnobium & Eccleſiam S. Mariæ *de Paradiſo* Mediolani ædificant. 1072. *c*

S. FRANCISCI DE PAULA ALUMNI. Vid. Fratres Minimi.

FRATRES S. AMBROSII AD NEMUS quare ſic nuncupati. An originem ſuam a S. Ambroſio habuerint. Quando Regulam S. Auguſtini ſuſceperint. 827. *c*

Eorumdem favore Gregorius IX. Pont. Max. Diploma expedit. ibid. & ſeq. *c*

Quo tempore in unum Cœtum cum *Apoſtolinis* coaluerint. Quādo, & a quo Summo Pontifice extinctus eorum Ordo fuerit. 828 *c* Vid. Fratres Apoſtolini.

FRATRES ANTONIANI diu Mediolani conſtiterunt; & qua in Eccleſia. 1024. *c*

Eorumdem Ordo quando originem habuerit. ibid.

Quo anno Eccleſiam S. Antonii Viennæ in Gallia obtinuerint. ibid. & ſeq. *c*

Sub quo Antiſtite, & a quo Principe fuerint in Urbem noſtram inducti. 1025 *c*

Quando hinc in Gallias emigraverint. 1026. *c*

FRATRES APOSTOLINI quare ſic fuerint appellati. 827. *c*

Quo tempore conjuncti fuerint cum Fratribus *S. Ambroſii ad Ne-*

Nemus. Quando eorumdem Congregatio ſit ſuppreſſa. 828. *c*
FRATRES EREMITÆ S. Auguſtini. Vid. Eremitæ S. Auguſtini.
FRATRES, MINIMI appellati, alumni S. Franciſci de Paula, quo tempore prope Mediolanum conſiſtere cœperint. Quam Eccleſiam primò incoluerint; & quis iiſdem Cœnobium ibi conſtruxerit. 965. *c*
FRATRES MINORES. Vid. Sancti Franciſci Aſſiſiatis Alumni.
FRATRES TERTII ORDINIS S. FRANCISCI. Vid. S. Franciſci Alumni tertii Ordinis.
FRATRUM DE SACCO, ſeu de Pœnitentia Ordo, quo Seculo ſit inſtitutus: 735. & ſeq. *b*
Ejus Alumni a quo fuerint in Pariſienſem Urbem ex Italia acceſſiti. 736. *b*
Quando & a quo Pontifice Maximo extinctus; & an ſtatim omnino defecerit. ibid.
Qua in Urbis noſtræ parte ſedem ſuam habuerit. 735. *b*
Hujus Ordinis Sigillum apud quem etiamnunc aſſervetur. 736. *b*
FRIXETUS RUFINUS quo anno declaratus ſit Mediolani Archiepiſcopus. Cujus Patriæ eſſet; & quomodo in eum electio ceciderit. 759. & ſeq. *b*
Ad Eccleſiam ſibi commiſſam numquam reſedit. 760. *b*
Quando obierit, & quantum temporis ejus Præſulatui aſſignandum ſit. ibid.
FRONTUS, ſeu Frontonus malis artibus Ambroſianam Eccleſiam invadit. 190. *a*
Fabuloſa quædam de hoc narrata a Scriptoribus referuntur. ibid.
Quot annis tyrannicè Sedem Mediolanenſem occupaverit. 191. *a*
Genuæ captivus decedit; & quo anno. ibid.
FULCUINUS Cœnobii Lobienſis Abbas, ſcripſit Chronicon Abbatum ſui Monaſterii. 341. *b*
Error in hoc Ughelli detegitur. ibid.
FULCUYNUS alter Baſilicam Mediolani erigit & dotat, in honorem Nativitatis B. V. M. 394. *b*
Quid in ea peragendum ſtatuerit a Presbyteris & Clero Mediolanenſi. ibid.

G

GABRIEL SFORTIA. Vid. Sfortia Gabriel.
S. GALDINUS qua de ſtirpe progenitus, & quibus Eccleſiaſticis muneribus decoratus fuerit. 556. *b*
Benevento Romam evocatur ab Alexandro PP. III., & Cardinalium Collegio adſcribitur. ibid.
Oberto I. Archiepiſcopo defuncto, in Ambroſianæ Eccleſiæ Antiſtitem eligitur. 557. *b*
Quo anno & die ejus inauguratio contigerit. ibid.
An Epiſcopus factus, Cardinalis titulo uti deſierit, ut ſcripſit Puricellus. ibid.

Quo

Quo die Româ redux, Mediolanum ingreſſus fuerit, Legati Apoſtolici auctus Dignitate. 559. *b*
Laudenſes cogit, Schiſma ejurare, & legitimo Pontifici adhærere. ibid. & ſeq *b*
Albertum illi Eccleſiæ præficit Epiſcopum, depoſito Alberico Schiſmatico. 560. *b*
Alias Provinciæ Mediolanenſis Eccleſias optimis Paſtoribus committit, iis amotis, qui Schiſma fovebant. ibid.
Alexandriæ Urbem extrui curat, in eâque Epiſcopalem Sedem erigi. 561. *b*
Palatium Archiepiſcopale Mediolani reædificat, & patrimonium Eccleſiæ, ab aliis injuſtè detentum recuperat. 562 *b*
Eccleſiam Majorem in parte collapſam, ferentibus liberalem opem Civibus, reparat. ibid.
Hoſpitale nuncupatum *de Brolio* augere ſtudet, in pauperum ſubſidium. 563. *b*
Pacta & Conventiones ad optimum ejuſdem regimen firmat, quæ referuntur. 564. & ſeqq. *b*
Quam liberalis in pauperes fuerit. 568. & ſeq. *b*
Annuum Cenſum aſſignat, alendis in carcere detentis, ob æs alienum quo gravantur. 569. *b*
Quod nomen in præſens huic Loco inditum ſit. ibid.
Prærogativas Collegio Ordinariorum Metropolitanæ Mediolanenſis jamdiu conceſſas, expedito Diplomate confirmat. ib.
Approbat Conventiones initas inter Præpoſitum de Vicomercato, & Abbatiſſam Cœnobii S. Michaëlis de Burgo. 569. & ſeqq. *b*
Controverſiam habet cum Mediolanenſi Clero, circa electionem Majoris Primicerii. 573. & ſeq. *b*
Quomodo hæc tamdem dirempta fuerit. 574. & ſeqq. *b*
Qua de cauſa Papienſem Urbem iterum Interdicto ſubjecerit. 579. *b*
An Humiliatorum Ordinem Apoſtolica auctoritate confirmaverit. ibid. & ſeq. *b*
A Catharorum hæreſi Mediolanenſem, Civitatem expurgat. 580. & ſeq. *b*
In ipſo ſuggeſtu, poſt Concionem ad Populum habitam obdormit in Domino. 581. *b*
Quo verè anno ejuſdem obitus contigerit, fusè contra Ughellum declaratur. ibid. & ſeqq. *b*
Vivebat anno MCLXXV., ut ex Charta Judicati, quæ affertur. 584. & ſeqq. *b*
Poſt ejus mortem longa inter Clerum concertatio viguit, de eligendo Succeſſore. 583. *b*
Quo die primitus, & quo nunc celebretur feſtiva ejuſdem memoria. 588. *b*
In qua Eccleſia depoſitus fuerit, & quando Sancti ejus Corporis Translatio ſit peracta. ibid. & ſeq. *b*
Quo in loco Sacræ ejuſdem Reliquiæ nunc aſſerventur. 589. *b*
Qui ejuſdem Vitam ſcripſerint. 590. *b*
GALESINIUS (Petrus) primus fuit, qui

qui cognomina Archiepiſcopis Mediolanenſibus appoſuit. 137. *a*
Quid de hoc ſenſerit Papebrochius. ibid. *a*
GALESINIUS in ſua Epiſcoporum Mediolanenſium Tabula, quare emendandus. 13. 19. 34. 56. 112. 133. 147. 153. 156. 160. 161. 168. 169. 237. 239. 242. 245. 255. *a* 271. 274. 281. 283. 311. 314. 323. 335. 346. 455. 487. 489. 507. & ſeq. 555. 608. 621. 669. 733. 756. 760. 769. 816. *b* 851. 882. 891. 926. *c*
GALESINIUS in eadem Tabula refellitur. 31. 50. 189. & ſeq. *a* 267. 277. 333. 336. 360. 448. 465. 476. & ſeq. 486. 599. 621. 684. 803. *b*
GALVANEUS FLAMMA quo Seculo ſcripſerit, & quam fidem mereatur. 138. *a*
GARIBERTUS quo tempore Mediolanenſem Sedem impleverit. 326. *b*
An inobediens Romano Pontifici fuerit, ut de eo ſcripſit Ughellus. 326. *b*
An Albericum militaribus copiis adiuverit, ut de Agro Piceno Saracenos expelleret. 326. *b*
Annus ejuſdem mortis, & tempus regiminis connotantur ac ſtatuuntur. 327. *b*
Qua in Eccleſia ſepultus fuerit. 327. *b*
GASPAR VICECOMES. Vid. Vicecomes Gaſpar.
S. GAUDENTIUS, primus Novariæ Epiſcopus, a quo fuerit conſecratus. 97. *a*
GAUFRIDUS Antiſtes Carnotenſis Legatus mittitur Mediolanum ab Innocentio II. Summo Pontifice 504. *b*
GAUFRIDUS de Caſtelliono Mediolan., Legatus Pontificius, quot ſacris muneribus in Patria fuerit decoratus. 685. *b*
Archiepiſcopatum Mediolani reſpuit, ab Urbano PP. III. ſibi oblatum. ibid & ſeq *b*
Monaſticam vitam amplexus, e clauſtris educitur, ut inter S. R. E. Cardinales connumeretur. 686. *b*
Apoſtolicam implet Cathedram ſub nomine Cœleſtini IV., & brevi decedit. ibid *b*
Quam bene Legationem ſuam Mediolani obierit. ibid. *b*
GELASIUS II. Pont. Max. Henricum V. Imperat. anathemate percellit. 485. *b*
Quo anno obiverit. 487. *b*
S. GEMULI Eccleſia in Valle Gannenſi a quibus incoleretur tempore Arnulphi III. Mediol. Antiſtitis. 453. *b*
Ab hoc Præſule quot privilegiis fuerit ditata. ibid. & ſeq. *b*
An ibi primò Monachorum Cœnobium conſtiterit. 454. *b*
S. GEORGII ad Palatium Baſilica in obſidione Mediolani, ab Ænobarbo peractâ, SS. trium Magorum Corpora ſervabat. 552. *b*
Ibidem adhuc viſitur marmorea Tabula, ſuper quam fuerant repoſita. ibid. & ſeq *b*
GERARDUS Oſtienſis Epiſcopus qua de cauſa miſſus fuerit Mediolanum Legatus a Summo Pon-

Digitized by Google

Pontifice . 446. *b*
GERARDUS de Seſſa . Vid. de Seſſa Gerardus .
S. GERUNTIUS ſuccedit in Epiſcopatu Mediolanenſi S. Euſebio . 126. *a*
An fuerit ex Familia a Baſilica Petri . ibid. *a*
Ejus præclaræ virtutes a S. Ennodio carmine celebrantur. ibid. *a*
Antequam Odoacer Italiam ingrederetur, morti conceſſit. 127. *a*
Tumulatus fuit in S. Simpliciani Baſilica . ibid. *a*
GOIZO de Martinengo Anſelmum V. a Sede Mediolanenſi dejectum, in itinere capit, eumque Piſas ad Summum Pontificem tranſmittit . 505. *b*
An iſte Goizo fuerit poſtmodum Cardinalium numero adſcriptus . ibid. *b*
GOTHIFREDUS quando regendam acceperit Eccleſiam Mediolanenſem . 362. *b*
Quare ejus electio non fuerit pacifica . ibid. *b*
Ottoni Imperatori adhæret , eumque adjuvat ad expellendos ab Italico Regno Berengarii II. Filios . ibid. *b*
Vas eburneum Baſilieæ Ambroſianæ dono dat ; & qua de Cauſa . ibid. & ſeq. *b*
Ejuſdem accurata deſcriptio refertur ; & quo nunc in loco illud aſſervetur . 363. *b*
Quanto tempore Gothifredus ſuam adminiſtraverit Eccleſiam , & quo in loco tumulum receperit . 364. *b*
GOTHOFREDUS a quo fuerit Mediolani Antiſtes declaratus . 428. *b*
A Clero & populo repulſus , in Caſtrum Caſtellionum ſe recipit . 430. *b*
Eum inde etiam ejici Mediolanenſes curant . ibid. *b*
Ad Henricum Imperatorem confugit , ut in Solio Ambroſiano regiâ poteſtate confirmetur . 431. *b*
Ab Epiſcopis Suffraganeis , juſſu ejuſdem Henrici in Antiſtitem conſecratur . ibid. *b*
Brebiæ & Leuci Oppida armis invadit ; ſed infelici conatu. ib. *b*
Tamquam Simoniacus a Summo Pontifice declaratur . ibid. *b*
Ab ipſo Henrico derelictus , Mediolano excedit , & profugus moritur . 433. *b*
Locus ejus Sepulcri ignoratur , & exoſum ipſius nomen in Catalogis non legitur . ibid. *b*
S. GREGORIUS M. Pont. Maximus Laurentio II. Mediol. Epiſcopo Literas ſcribit . 194. *a*
Gratulatur Clero & populo Mediolanenſi de Electione Conſtantii in Epiſcopum , & quare . 199. *a*
Ad Conſtantium eumdem Româ Pallium mittit , eique Epiſtolam ſcribit . 200. *a*
Ad Theodolindam Reginam quare Literas ſuas miſerit . 203. & ſeq. *a*
In iiſdem ſummopere laudat Conſtantium Mediolanenſem Epiſcopum . 204. *a*
Plures ad ipſum Conſtantium Epiſtolas ſcribit. 207. 208. 210. 212. & 214. *a*

Digitized by Google

Ad eumdem Româ dirigit Reliquias SS. Pauli Apoſtoli, & Pancratii Martyris. 214. *a*
Mediolanenſes conſolatur in obitu Conſtantii Epiſcopi, miſsâ ad eoſdem Epiſtolâ. 216. *a*
Ad alterum Mediolani Præſulem Deusdedit Literas ſcribit 223. *a*
An facultatem dederit Epiſcopis Mediolanenſibus creandi Reges Italiæ. 222. *a* 338. *b*
An S. Joannem, dein Mediolani Antiſtitem, Legatum ſuum miſerit ad Theodolindam Reginam. 229. *a*
GREGORIUS VII. Pont. Maximus Literas ad Epiſcopos & Chriſtifideles mittit, ut Gothofredum Pſeudo-Epiſcopum Mediolani expellant a Sede. 431. & ſeq. *b*
Eumdem Gothofredum cum Epiſcopis qui illum conſecraverant, anathemate percuſſit in Synodo Romæ collectâ. 432. *b*
Quàm benignè Romæ exceperit Athonem illuc profectum, poſt abdicatam Eccleſiam Mediolanenſem. 435. & ſeq *b*
Ad Herlembaldum ſcribit, ut Cauſam caſtimoniæ in Clero Mediolanenſi pro virili urgeat atque perficiat. 436. *b*
Athonem memoratum in plena Synodo laudibus extollit. ibid. *b*
Thedaldum, ab Henrico Imperatore in Antiſtitem electum, ad Concilium Romæ celebrandum invitat. 438. *b*
Eidem ne interim manus imponant, prohibet per Epiſtolam Epiſcopis Suffraganeis Mediolanenſis Eccleſiæ. 438. & ſeq *b*
Thedaldum ipſum contumacem anathemate percellit, & a Sede Ambroſiana deponit. 439. & ſeq. *b*
Legatos ſuos Mediolanum mittit, ut Civitatem ab excommunicatione abſolvant. 446. *b*
GREGORIUS IX. Pont. Max. quo anno Eccleſiam S. Adriani Romæ conſecraverit. 659. *b*
Huic Celebritati interfuit Henricus Septala, Mediol. Antiſtes. ibid. *b*
Epiſcopum Cremonenſem, latâ ſententiâ declarat Mediolanenſis Archiepiſcopi Suffraganeum. 664. *b*
Quo anno hoc contigerit. 665. *b*
Contra hæreticos ſui temporis anathema profert, eoſque ab omnibus ejici jubet. 682. & ſeq. *b*
Hac de cauſa etiam ad Mediolani Archiepiſcopum ſcribit. 683. *b*
Federicum II. Imperat., tamquam Eccleſiæ hoſtem anathemate configit. 685. *b*
Contra eumdem Crucem indicit univerſis Epiſcopis. ibid. *b*
Legatum ſuum hac de cauſa Mediolanum mittit Gaufridum de Caſtelliono. ibid. *b*
Summè dilexit Moniales Clariſſas Sancti Apollinaris Mediolani. 687. & 689. *b*
Approbat exemptionem ab Ordinaria juriſdictione, ipſis conceſſam ab Antiſtite Mediolanenſi. ibid. *b*
Ad eumdem Antiſtitem ſcribit, ut illis agrum quemdam indulgeat. 690. *b*

Vercellenſi Epiſcopo mandat, ut Papienſes adigat ad damna reficienda, Morimundenſi Monaſterio illata. 693. *b*
Socium Legationis contra Federicum II Imperatorem aſſignat Cardinali de Monte longo, Fr. Leonem de Perego. 697. *b*
GREGORIUS PP. X. quando Apoſtolicam Cathedram conſcenderit. 731. *b*
Ad Concilium Lugduni celebrandum pergens, Mediolanum divertit. 732. *b*
Qua pompa atque honore fuerit a Mediolanenſibus exceptus; & quamdiu hic conſtiterit. 733. *b*
Mediolanenſem Civitatem qua de cauſa & quo anno Interdicto ſubjecerit. ibid. *b*
Approbat Lugduni Congregationem Monachorum S Damiani, *Cæleſtinorum* dictam. 734. *b*
GREGORIUS PP. XI. quo anno Simonem de Borſano Mediol. Antiſtitem inter S. R. E Cardinales retulerit. 825. *c*
Qua de cauſa eumdem legaverit in Germaniam, & etiam ad Sabaudiæ Comitem. ibid. & ſeq. *c*
Inquiſitioni in Germania Præfectis mandat, ut in Hæreticos acriter animadvertant. 826. *c*
Diploma edit favore Fratrum S. Ambroſii ad Nemus, rogante Mediolanenſi Archiepiſcopo. 827. & ſeq. *c*
Primus e Gallia Romam transfert Apoſtolicam Sedem. Quo anno deceſſerit. 828. *c*
GREGORIUS PP. XII. ſuum Legatum declarat Petrum Filargum, Mediolani Antiſtitem; & qua de cauſa. Ad eumdem Literas dirigit, ut Sancti Victoris Abbatem confirmet in ſua Dignitate. 842. *c*
Ad Concilium Piſanum renuens accedere, Pontificia Dignitate ſpoliatus a Concilio declaratur. 843. & ſeq. *c*
GREGORIUS PP. XIII. ſuadente S. Carolo Borromeo Nuncium Apoſtolicum in Helveticos mittit. 1046. *c*
Quis primus hanc Legationem obiverit. ibid. *c*
Qua de cauſa Legatum ſuum in Melitæ Inſulam direxerit Gaſparem Vicecomitem. 1062. *c*
Ad eumdem Vicecomitem illic degentem ſcribit, ut electio novi Equitum Magiſtri quietè peragatur. 1063. & ſeq. *c*
Reverſum a Legatione optimè geſta Legatum primò Novarienſi, dein Mediolanenſi Eccleſiæ Paſtorem præficit. ibid. *c*
S. Carolum Borromeum Viſitatorem Apoſtolicum conſtituit, ut in Baſilianorum Monachorum Mediolani degentium mores inquirat. 1096. *c*
Ejuſdem ad memoratum Sanctum Antiſtitem Breves Literæ afferuntur. ibid. & ſeq. *c*
GRIMOALDUS Langobardorum Rex pravum Arii dogma quando prorſus abjecerit. 230. *a*
GROSSULANUS quo anno in Epiſcopum Saonenſem fuerit electus. 463. *b*
Ab Anſelmo IV. Mediolani Antiſtite, in ſuæ Eccleſiæ Vicarium

qua

qua de Cauſa ſit deſignatus. 463. *b*
Quàm præclarè ſe geſſerit in hoc munere, poſt diſceſſum prædicti Anſelmi. 466. *b*
Mortuo Anſelmo, agit cum Clero de novo ſubſtituendo Antiſtite; & quomodo ipſe in Archiepiſcopum fuerit electus. ibid. & ſeq. *b*
Judicio ignis tamquam Simoniacè electus comprobatur. 467. & ſeq. *b*
Pallio Romà delato, publicè inſignitur a Bernardo Cardinali. ibid. *b*
Qua de Cauſa Romam profugerit. 469. *b*
Quot ibi honoribus cumulatus fuerit a Summo Pontifice. ib. *b*
Concilio II. Lateranenſi intervenit, in eoque confirmatur ejuſdem electio in Mediolanenſem Antiſtitem. ibid. *b*
Romà redux, ab Urbe Mediolanenſi, & poſſeſſione Sedis repellitur. 470. *b*
An ante Jeroſolymitanum iter ab eo ſuſceptum, dimiſerit Archiepiſcopatum. 471. *b*
An ad eam Urbem, tamquam Pontificius Legatus perrexerit. 472. *b*
Proceſſionem Spiritûs Sancti a Patre & Filio, contra Græcos egregiè ibi propugnat. ibid. *b*
Ejus de hoc Dogmate Opuſculum ubinam hodie aſſervetur. ibid. *b*
An Henricum V. Imperat. regio ſerto Mediolani vel Modoëtiæ redimiverit. ibid. & ſeq. *b*
An eumdem Imperatorem Summo Pontifici obtulerit, ut Auguſtale diadema Romæ reciperet. 473. *b*
Eo abſente, Clerus Mediolanenſis Groſſulani electionem, irritam declarat, aliumque in ſuum Antiſtitem eligit. ibid. & ſeq. *b*
Jeroſolymà redux, & Mediolanum contendens, ab Urbe iterum expellitur, & Placentiam petit. 474. *b*
Romam vocatur ad alterum Lateranenſe Concilium. ibid. & ſeq. *b*
In eo jubetur ad primævam ſuam Saonenſem Eccleſiam redire, dimiſsâ Mediolanenſi. 475. *b*
Romæ perſtat, ibique decedit. ibid. *b*
Quot illi annos regiminis tribuant antiqui Catalogi. ibid. *b*
Locus ejus Sepulcri, & Epitaphium Sepulcro appoſitum afferuntur. 476. *b*
Ejuſdem doctrina & ſapientia innuitur. ibid. *b*
Quid de eo perperam ſcripſerit Galeſinius. ibid. & ſeq. *b*
GUALA Epiſcopus Vercellenſis a Sede ſua movetur ab Antiſtite Mediolanenſi, & qua de cauſa. 597. *b*
GUANDECA Archipresbyter Eccleſiæ Majoris, Anſelmum V. Mediolani Antiſtitem, tamquam hæreticum & perjurum palam denunciat. ibid. *b*
GUIDO PISANUS Cardinalis, quare miſſus fuerit Mediolanum Legatus a Summo Pontifice Innocentio II. 504. *b*
GUIDO EX CAPITANEIS Portæ Orien-

Orientalis quantum contulerit pro conſtruendo Caræwallenſi Cœnobio prope Mediolanum. 513. *b*
GUIDO Mediolanenſis Antiſtes. Vid. Wido
GUIDO ANTONIUS ARCIMBOLDUS Vid. Arcimboldus Guido Antonius.
GUILIELMUS PUSTERLA. Vid. Puſterla Guilielmus.
GULIELMUS RUZZOLIUS. Vid. Ruzzolius Gulielmus.
GULIELMUS Epiſcopus Derthonenſis jubetur ab Antiſtite Mediolanenſi, reſtituere Epiſcopo Laudenſi, quod eidem uſurpaverat. 531. & ſeq. *b*
GULIELMUS Montisferrati Marchio, Dux militum, & Mediolani Dominus per decennium conſtituitur ab Ottone Vicecomite. 741. *b*
GUNDOBADUS Burgundionum Rex, quot ex Italia captivos in Burgundiam duxerit. 157. *a*
Qua occaſione Italiam ipſam invaſerit. ibid. *a*
S. GUNDULPHUS an fuerit aliquando Mediolanenſis Urbis Epiſcopus. 179. & ſeq. *a*
Papebrochii affirmativa opinio expenditur, & refellitur. ibid. *a*

H

HELVETICUM COLLEGIUM qua de cauſa, & a quo fuerit Mediolani ædificatum. 1046. *c*
HELVETICUS NUNCIUS. Vid. Nuncius in Helveticos.
HELVETICORUM FŒDUS perpetuum cum Hiſpaniarum Rege Philippo II quo anno firmatum Mediolani fuerit. 1067. *c*
Sub quo Antiſtite, & quàm ſolemniter peractum. ibid. *c*
HENRICUS I. Mediolan Archiepiſcopus. Vid. Septala Henricus
HENRICUS II. Mediol. Archiepiſcopus. Vid. Rampinus Henricus.
HENRICUS I. Germaniæ Rex quo anno Papiam ingreſſus ſit, ibique Italico Serto donatus. 385. *b*
Qua de cauſa in Germaniam reverſus fuerit. ibid. *b*
Iterum Italiam petit, & devicto Arduino Regnum Italicum pacificè poſſidet. 386 *b*
Quo anno Colloquium in Roncaliis indixerit. 406. *b*
Quando vitam cum morte commutaverit. 413. *b*
HENRICUS II quo tempore in Italiæ Regem fuerit coronatus. 411. & 420. cum ſeq. *b*
Synodum Papiæ colligi curat anno 1046 421. *b*
Romam pergit, ibique a Summo Pontifice, Auguſtali Coronâ cum Uxore redimitur. 422. *b*
Gothofredum conſecrari jubet in Antiſtitem Mediolanenſem a Suffraganeis Epiſcopis. 431. *b*
Eumdem poſtmodum averſatur; alterum in ejus locum ſubſtituens. 433 *b*
Thedaldum inſtituit Mediolanenſis Eccleſiæ Epiſcopum. 438 *b*
A Summis Pontificibus ob ejus ſcelera toties exſecratur. 447. *b*

HEN-

Digitized by Google

HENRICUS V. Imperator, quo anno in Italiam deſcenderit, & Novariam exciderit. 473. *b*
An Mediolanum etiam ingreſſus fuerit, ibique regio Serto præcinctus. 472. & ſeq. *b*
Anathemate percullus, publice declaratur ab Antiſtite Mediolanenſi; & qua de cauſa. 480. & ſeq. *b*
A Gelaſio II. Pont. Maximo iterum anathematis telo conficitur. 485. *b*
In Apoſtolicam Sedem intrudit Burdinum Pſeudo-Pontificem, ſub nomine Gregorii VIII. ib. *b*
Quo anno & die obierit. 493. *b*
HENRICUS VI. Friderici Ænobarbi filius, nuptias Mediolani celebrat cum Conſtantia Rogerii Regis Filia. 601. *b*
A quo fuerit Mediolani ſerto Italico redimitus. 602. *b*
HENRICUS VII. Germaniæ Rex quando Italiam ingreſſus fuerit. 771. & ſeq. *b*
Fœdus inter Matthæum Vicecomitem & Caſſonum Turrianum initum, approbat in Urbe Aſtenſi. 772. *b*
Mediolanum ingreditur, & pacem Turrianos inter ac Vicecomites firmat. Ibidem ferreâ Coronâ præcingitur cum Beatrice Uxore ab Antiſtite Mediolanenſi. ibid. & ſeq. *b*
Conjuratione Turrianorum detectâ, eorum domos diripi jubet, & ſolo æquari. 774. *b*
Româ redux poſt acceptam Imperii Coronam mortem obit. 784. *b*
HERBA ODESCALCUS BENEDICTUS II. in Ambroſianæ Eccleſiæ Paſtorem eligitur, ætate quidem juvenis, ſed prudentiâ ſenex. 1184. *c*
Quæ fuerint ejus prima ſtudia, & munera pro Apoſtolica Sede præclariſſimè geſta. ibid. & ſeq. *c*
Ad Poloniæ Regem Nuncius a Pontifice miſſus, qua de cauſa omnium amorem & venerationem ſibi conciliaverit. 1185. & ſeq. *c*
Quo die & anno renunciatus fuerit Mediolani Archiepiſcopus, & ſacro muriee decoratus Metropolim noſtram ſolemni pompâ adierit. 1186. & ſeq. *c*
Quot Eccleſias Urbis & Diœceſis ære proprio refecerit, vel de novo erexerit. 1187. *c*
Moniales Viſitationis S. Mariæ, *Saleſianas* a ſuo Conditore dictas, in Urbem Mediolanenſem advocat, & fixum iiſdem domicilium aſſignat. 1188. *c*
Quàm impensè eas diligeret, & largis foveret ſubſidiis. ibid. *c*
Pauperes Eccleſias ſacris ære proprio comparatis ornamentis ditat, dum Diœceſim luſtrat. 1189. *c*
Scholas Doctrinæ Chriſtianæ cujuſque conditionis hominibus aperit ſtatis horis, & certis in Locis. ibid. & ſeq. *c*
Miſſiones Urbanas primus inſtituit ad jugem animarum proventum. 1190. & ſeq. *c*
Clericos Regulares Congregationis *Matris Dei* primus Mediolani excipit, & opportuno in loco

loco collocat . 1191. *c*
Quàm munificus fuerit erga Rhaudenſe Oblatorum Collegium . 1192. *c*
Urſulanarum Virginum Collegium a S. Carolo inſtitutum Mediolani reſtituit, & novo Conſtitutionum additamento confirmat . 1193. *c*
Collegium, *Odeſcalchum* a Conditore dictum, quo fine aperuerit ad Eccleſiam S. Joannis *ſupra murum* . 1194. *c*
Mira ejus in pauperes liberalitas pluribus comprobatur . 1195. & ſeq. *c*
Qua de cauſa Mediolanenſem Archiepiſcopatum dimiſerit 1197. *c*
Ejus ſumma in longo morbo patientia, & animi moderatio . 1198. *c*
Quo anno mortem obierit inter omnium lacrymas & luctum . ibid. *c*
Animum a carne & ſanguine prorſus alienum moriens oſtendit . ibid. & ſeq. *c*
Pia ab eo condita Legata innuuntur . ibid. *c*
Quantum Pauperes & Pia Loca etiam in morte dilexerit. 1199. *c*
Quot annis Eccleſiam Ambroſianam optime rexerit, & qua in Eccleſia tumulatus fuerit . ib. *c*
Epitaphium Sepulcro appoſitum refertur . 1200. *c*
HERIBERTUS Antimianus quando invenerit Sancti Monæ Corpus, & ubi illud depoſuerit . 34. *a*
Quare dicendus ſit in Archiepiſcopum Mediolani electus anno 1018. 398. & ſeq. *b*
An ipſe ſit, qui Concilio Romano, anno 1015. collecto ſubſcripſit . 399. *b*
Quis alius ex Mediolani Præſulibus huic Concilio interfuerit . ibid. *b*
Quare in Germaniam ſe contulerit, mortuo Henrico Imperatore . 400. *b*
Mediolanum reverſus quo anno Conradum in Ambroſiana Baſilica coronaverit . ibid. & ſeq. *b*
Quàm ſplendidè eumdem Regem Aulicoſque diu aluerit . 401. & ſeq. *b*
Romam petit cum ipſo Conrado, illuc adeunte, ad Auguſtalem Coronam recipiendam . 402. *b*
Cum Archiepiſcopo Ravennate de præcedentia litem habet, & prævalet . ibid. & ſeq. *b*
Qua de Cauſa Laudenſem Urbem obſidione cinxerit . 403. *b*
Contra Valvaſſores Mediolani, Laudenſibus fœderatos acre bellum committit . 404. *b*
Epiſcopum Ticinenſem ſibi Suffraganeum qua de cauſa graviter objurgaverit . 405. & ſeq. *b*
Dum Papiæ moratur, jubente Conrado fit captivus . 406. *b*
Prope Placentiam ductus, quomodo captivitatem evaſerit, & Mediolanum redierit . 407. *b*
An a Benedicto IX. Summo Pontifice fuerit anathemate percul- ſus . 408 & ſeq. *b*
Civilia inter Nobiles & Plebem ferventia bella qua cura compeſcere ſtuduerit . 410. *b*
Modoëtiam qua de Cauſa profectus fuerit . ibid. *b*

An

Digitized by Google

An Henricum II. Conradi filium Coronâ Italicâ redimiverit. 411. *b*
Quanta erga Pauperes caritate polleret, miro exemplo comprobatur. 412. *b*
Quo verè anno Cœnobium Monachorum ad S. Dionyſii Eccleſiam Mediolani erexerit ac dotaverit. ibid. & ſeq. *b*
Auxilium dat in ædificanda Eccleſia prope Vicum Ternate, eamque ſolemniter conſecrat. 413. & ſeq. *b*
Religionem quomodo induxerit etiam in Caſtra militaria. 414. *b*
Tempore ſui regiminis Humiliatorum Ordinem Mediolani inſtitui videt. 415. *b*
Qua de cauſa Monachorum S. Benedicti Comitia convocaverit, iiſque interfuerit. ibid.
Ultimæ ejuſdem Tabulæ referuntur. ibid. & ſeq. *b*
Quamdiu ſederit in Ambroſiana Eccleſia, & quo anno obierit. 416. *b*
Ejus Epitaphium affertur, & locus Sepulcri indicatur. 417. *b*
Fabula exploditur a nonnullis vulgata, eumdem ſcilicet uxoratum fuiſſe. ibid. & ſeq. *b*
HERLEMBALDUS S. Arialdi comes ad Widonem deſert Apoſtolicas Literas, quibus anathematis telo conficiebatur. 427. *b*
Eumdem Widonem quomodo ſub cuſtodia detineri curaverit. 428. *b*
Contra Gothofredum, malis artibus in Mediolanenſem Cathedram intruſum ſtrenuè inſurgit. 430. *b*
Mortuo Widone eligi curat optimum Antiſtitem, contra Gothofredum Simoniacum. ibid. & ſeq. *b*
Quo anno a Schiſmaticis interfectus fuerit. 439. *b*
Sanctorum Martyrum albo adſcribitur a Summo Pontifice, Mediolani commorante. 450. *b*
Ejus Sacrum Corpus transfertur, & honeſtiore in loco reponitur. ibid.
S. HIERONYMI ECCLESIA. Vid. Eccleſia S. Hieronymi.
HIERONYMIANI MONACHI, quare ſic appellati. Quis ſuburbanum Caſtrum, dictum *il Caſtellazzo* iiſdem dono dederit, ut ibi conſiſterent. 951. *c*
A quibus Eccleſiam Parochialem SS. Coſmæ & Damiani in noſtra Urbe receperint. 952. *c*
HILDUINUS quando electus fuerit in Antiſtitem Mediolanenſem. 335. *b*
An fuerit Monachus, & Stephani IX Summi Pont. familiaris, ùt ſcripſit Galeſinius. 335. *b*
In Leodienſem Epiſcopum deſignatus, quare illam Eccleſiam dimiſerit. 336. *b*
A Veronenſi ad Mediolanenſem Sedem quomodo fuerit translatus. ibid.
An Hugonem Burgundiæ Ducem regio ſerto Mediolani redimiverit. ibid.
An Lothario Hugonis Filio Coronam Italicam impoſuerit in Ambroſiana Baſilica. 337. *b*

Pallium Archiepiſcopale Romà miſſum a quo Mediolani receperit . 339. *b*
A Conſiliis fuit Hugonis & Lotharii Italiæ Regum . 340. *b*
Tempus ejus regiminis , annus mortis , & tumuli locus indicantur . 341. *b*
An ſcripſerit Chronicon Abbatum Lobienſium, ùt tradidit Ughellus . ibid.
HISTORIA priorum ſex Antiſtitum Mediolanenſium quo Seculo fuerit conſcripta . 8. *a*
Edita nunc eſt inter Italiæ Scriptores Tom. I. Part. II. ibid.
HOMOBONUS Cremonenſis Antiſtes obedientiam Mediolanenſi Archiepiſcopo , tamquam Metropolitico denegare contendit. 664. *b*
Causâ cadit, & fidelitatem jurare Metropolitano ſuo Præſuli obſtringitur . ibid.
Quanta ſolemnitate hoc peractum Mediolani fuerit . 665. *b*
S. HONORATUS, quandonam Mediolanenſem Epiſcopatum obtinuerit . 186. *a*
Sub hoc Antiſtite Langobardi Italiam invadunt . ibid.
S. Veranum Epiſcopum Cavallicenſem hoſpitio recipit; & quo in loco . ibid.
Alboino Mediolanum appropinquante , ad Urbem Genuenſem commigrat . ibid.
An eodem Urbem noſtram obſidente Cives ad deditionem impulerit . 187 *a*
An Paulinum Schiſmaticum , in Aquilejæ Antiſtitem conſecraverit . ibid.
Quàm falsò Scriptores aliqui hoc tradiderint . 187. *a*
Quo anno, & qua in Urbe morti conceſſerit . 188. *a*
Dies , quo ejus memoria recolitur , translationis ejus Corporis dies eſt, non autem ejuſdem Natalis . ibid.
An cum Ordinariis Cardinalibus ad Noxetum conſtiterit, Alboino Mediolanum excidente . ib. & ſeq. *a*
Undenam hoc Commentum emerſerit . ibid. & ſeq. *a*
Emendantur Scriptores aliqui, de S. Honorato malè appoſita, vel falſa referentes . 189. & ſeq. *a*
S. HONORATI Cineres Mediolanum delati , qua in Eccleſia nunc colantur . 189. *a*
HONORIUS II. Summus Pontifex Lotharium Imperatorem electum approbat , & Conradum rebellem exſecratur . 501. *b*
Concilium cogi jubet Papiæ per Legatum ſuum ; & quid in eo ſancitum fuerit . ibid.
Quo anno e vivis exceſſerit. 502. *b*
HONORIUS PP. III. Henricum Septalam conſecrat in Archiepiſcopum Mediolani . 646. *b*
Quo anno hoc contigerit , contra Ughellum declaratur . ibid. & ſeq. *b*
Ad Inſubres ſcribit , ut contra Barbaros Terram Sanctam occupantes , armati procedant . 649. *b*
Quo tempore hæc militum Chriſtianorum expeditio facta fuerit . ibid.
Urbem Mediolanenſem a cenſuris Ec-

Digitized by Google

Eccleſiaſticis abſolvit, eamque iterum Interdicto ſubjicit. 646. *b*
Ad Vercellenſem Epiſcopum ſcribit, ut anathemate feriat Amiceum Saccum, olim Mediolani Prætorem; & qua de cauſa. 647. & ſeq. *b*
HOSPITALE ad expoſitos pueros recipiendos, quando Mediolani conſtructum fuerit. 271. *b* Vid. Dathæus.
HOSPITALE, DE BROLIO dictum, ſub quo Antiſtite ædificatum Mediolani dicatur. 533. *b*
Qua in Urbis parte ſurgeret, ævo S. Galdini. 563. *b*
Quid peregerit Sanctus hic Præſul, ad illud firmandum augendumque, in pauperum levamen ac ſubſidium. 564. & ſeq. *b*
Quo tempore, & a quo fuerit unitum alteri Noſocomio, *Majori* nuncupato. 568. *b*
HOSPITALE S. CATHARINÆ ad Pontem Fabrorum quo anno, & a quo fuerit Mediolani inſtitutum. 788. & ſeq. *b*
HOSPITALE, MAJUS nuncupatum, a quo fuerit, & quando Mediolani excitatum. 921. & ſeq. *c*
Quàm mira & magnifica ſit ejuſdem ſtructura; & quibus annuis redditibus ditatum, ac legibus firmatum ab initio fuerit. 922. *c*
HOSPITALE PAUPERUM SENUM a quo fuerit Mediolani erectum ac dotatum. Ubi primitus collocatum. Quando ad eam Urbis noſtræ regionem, ubi nunc ſurgit, & qua de cauſa translatum. 840. *c*
Hujus favore Diploma expedit Nicolaus Amidanus Archiepiſcopus. 899. *c*
Optimo ejuſdem regimini accommodatas Conſtitutiones edit Cæſar Montius Antiſtes noſter. Quinam ejus cuſtodiæ atque adminiſtrationi nunc præſint. 1132. & ſeq. *c*
HUGO Comes Arelatenſis a quo fuerit Mediolanum accitus, ad Italicum Regnum capeſſendum. 331. *b*
Quo anno regium Sertum Mediolani acceperit. 332. *b*
Monialium S Xiſti Placentiæ Monaſterio Privilegia confirmat, expedito Diplomate. ibid.
HUGO Italiæ Rex ſtudia adhibet, ut Manaſſes ejus Filius Mediolanenſem Cathedram obtineat. 342. *b*
Arderico Mediol. Antiſtiti mortem Papiæ molitur; & quibus artibus. ibid.
An hujus criminis pœnitentiâ tactus Abbatiam Nonantulæ in Agro Mutinenſi condiderit. 343. *b*
Quàm malè habuerit Italos Proceres, præ illis Burgundiones extollens. ibid.
HUMILIATI FRATRES quo anno Mediolani extruxerint Eccleſiam Sancto Spiritui dicatam. 761. *b*
Armatâ manu Benedictinos Monachos e Cœnobio SS Petri & Pauli in Glaxiate expellunt; & quare. 883. & ſeq *c*

Mmm 2 Li-

Liberum poſtmodum illud dimittunt, mandante Summo Pontifice, & Mediolanenſi Antiſtite. 884. & ſeqq *c*

HUMILIATORUM ORDO quando Mediolani originem habuerit. 415. & 579. *b*

In tres Claſſes, ſeu Ordines primò diſtributus fuit. 579. & ſeq. *b*

Quis in eumdem regularem obſervantiam invexerit. 580. *b*

Ejus Regulæ ab Innocentio PP. III. approbantur. ibid.

Quando prorſus extinctus fuerit. 1048. *c*

HYPPOLITUS I. ESTENSIS. Vid. Eſtenſis Hyppolitus I.

HYPPOLITUS II. ESTENSIS. Vid. Eſtenſis Hyppolitus II.

I

JANUENSIS Reſpublica argenteam Lampadem dono mittit, ante Sacellum S. Joannis Epiſcopi noſtri appendendam. 232. *a*

JAPPONENSES LEGATI Romà reduces, & ad Patriam pergentes, Mediolani excipiuntur magna honoris ſignificatione. 1064. *c*

Quæ in eorumdem adventu peregerit Archiepiſcopus Vicecomes, & univerſa Mediolanenſis Civitas. ibid.

JEROSOLYMÆ Urbs quo anno capta fuerit a Saladino. 604. *b*

JESUATORUM ORDO quando, & a quo fuerit inſtitutus. 931. *c*

Quo tempore & qua occaſione ejuſdem Alumni Sedem in noſtra Urbe fixerint, & quamdiu in ea moram traxerint. 932. *c*

A quo Summo Pontifice extinctus fuerit; & quinam Jeſuatorum Sedem Mediolani occupaverint. ibid.

ILDEPRANDUS Cardinalis, qua de cauſa miſſus fuerit Mediolanum Legatus a Summo Pontifice. 425. *b*

IMMUNITAS a vectigalibus a quo fuerit conceſſa Mediolanum adventantibus ad celebritatem SS. Protaſii & Gervaſii. 459. *b*

INCARNATIONIS Annus a quo fuerit inventus, & quo Seculo in Documentis publicis adhiberi cœptus. 132. *a*

INFIRMORUM MINISTRI, Sancti Camilli de Lellis Alumni, quo tempore Mediolanum advenerint. 1075. *c*

Ubi primùm Sedem ſuam habuerint, & quam inpræſens Eccleſiam ac Cœnobium incolant. ibid.

INNOCENTIUS II. Pont. Max., quo anno electus fuerit, & quàm inſignis eſſet doctrinâ ac pietate. 502. *b*

Sub eodem nefandum Schiſma exoritur, ob Anacleti II. intruſionem. ibid.

Concilium Piſis convocat, in eoque depoſitionem a Sede Mediolanenſi Anſelmi V. confirmat. 504. *b*

S. Bernardum Caravallenſem cum duobus Cardinalibus Legatum mittit Mediolanum; & qua de cauſa. ibid.

Ap-

Approbat tranſlationem Robaldi Epiſcopi, de Albenſi Eccleſia ad Mediolanenſem. 517. *b*
Qua de cauſa ſubiraſci eidem Robaldo viſus fuerit, dum Piſis moraretur. ibid. & ſeq. *b*
In Concilio ibidem celebrato, Monachos a ſolutione Decimarum eximit. 524 *b*
INNOCENTIUS PP. III. Regulas approbat, Humiliatorum Ordini præſcriptas. 580. *b*
Ad Philippum I. Mediol. Antiſtitem qua de cauſa Literas dederit. 624. & ſeq. *b*
Litem diu agitatam circa proprietatem Cœnobii Monachorum de Sexto, latâ ſententiâ definit. 625. & ſeq. *b*
Binas alias Epiſtolas ad memoratum Philippum Mediol. Præſulem dirigit. 627. & ſeq. *b*
Ad Ubertum II. Archiepiſcopum noſtrum ſemel atque iterum ſcribit. 632. & ſeq. *b*
Qua de cauſa Conſules & Cives Placentinos Interdicto atque anathemati ſubjecerit. 633. *b*
Abbati S. Joannis, & Archidiacono Parmenſibus cauſam electionis Mediolani Antiſtitis per literas committit. 640. & ſeqq. *b*
Capitulo Eccleſiæ Mediolanenſis reſcribit, & Henricum Septalam vacuæ Sedi Epiſcopum deſignat. 642. *b*
Ottonem IV. Imperat. qua de cauſa diris devoverit, & Mediolani Urbem interdicto ſubdiderit. 643. & ſeq. *b*
Approbat regulare Inſtitutum Pauperum Catholicorum, Mediolani enatum. 703. & ſeq. *b*
Ad Antiſtitem Mediolanenſem ſcribit, ut locum in Urbe ſua & domicilium iiſdem concedat. 704. & ſeq. *b*
INNOCENTIUS PP. IV. Petrum Veronenſem de Ordine S. Dominici, Supremum Fidei Quæſitorem Mediolanum mittit. 700. *b*
Eodem Petro per Sicarios in cauſa Fidei contrucidato, mandat Mediolani Antiſtiti, ut in illius vitam & miracula inquirat. ibid.
Quando ipſum Petrum inter Sanctos eſſe declaraverit. 701. *b*
INNOCENTIUS PP. VII. quo anno ſucceſſerit Bonifacio IX. Summo Pontifici. 841. *c*
Petrum Filargum Mediolani Antiſtitem Cardinalium Collegio accenſet; eumque pluribus Apoſtolicis Legationibus inſignit. ibid. & ſeq. *c*
INNOCENTIUS PP. X. quo anno Baſilianorum Monachorum Ordinem in Italia extinxerit. 1098. *c*
INQUISITIONIS SACRUM TRIBUNAL quando in Mediolanenſi Urbe, & a quo Antiſtite originem habuerit. 660. *b*
Quibus primò commendatum fuerit. ibid.
Quis in eo primus Apoſtolica auctoritate præſederit. 700. *b*
Quo anno, & a quo tranſlatum fuerit ab Euſtorgiano Cœnobio ad alterum S. Mariæ Gratiarum. 935 & ſeq. *c*
S. JOANNES I., cognomento BONUS,

Digitized by Google

NUS, quo anno in Epiſcopum Mediolani aſſumptus fuerit. 229. *a*
An Legationem obiverit ad Theodolindam Reginam, juſſu Sancti Gregorii M., Summi Pontificis. ibid.
Primus fuit qui Sedem Mediolani fixerit, poſt Prædeceſſorum ſuorum exilium, LXXVII annorum ſpatio Genuæ toleratum. 230 *a*
Grimoaldum Langobardorum Regem ad bonam frugem redigit, & Mediolanum Ariana lue liberat. ibid.
An interfuerit Concilio Lateranenſi, a Martino I. Pont. Max. celebrato. ibid.
Eccleſiam in Oppido Decii, S. Materno Epiſcopo Mediolani Sacram erigit. 231. *a*
An ibidem etiam Canonicorum Collegium inſtituerit, ùt ſcripſit Ughellus. ibid.
Quanto tempore Gregi ſibi commiſſo præfuerit. ibid.
Ubi primùm ſepultus fuerit. 232. *a*
Geminæ Sacri ejus Corporis Tranſlationes referuntur. ibid.
Quo in Sacello religiosè nunc aſſervetur. ibid.
Quo die feſtiva ejus memoria a nobis recolatur. ibid.
JOANNES II. VICECOMES an cum Aycardo Mediol. Antiſtite Novarienſem Epiſcopatum cōmutaverit, ùt aliqui ſcripſerunt. 791. *b*
Approbante Summo Pontifice Mediolanenſem Eccleſiam adminiſtrat, exulante Aycardo; eique annuam penſionem reſpondet. 791. *b*
A Nicolao V. Pſeudo-Pontifice quomodo fuerit in Cardinalium numerum relatus. 793. & ſeq. *b*
Ab eodem Legatus in Langobardiam declaratur. 794 *b*
Ad legitimi Pontificis Romani pedes Cardinalitia Inſignia deponit, ab eoque Novarienſis Epiſcopus creatur. 795. *b*
Quàm præclarè ſe geſſerit in hac ſua Eccleſia adminiſtranda. ib.
Vivente Aycardo Archiepiſcopo Conſervator Metropolitanę Mediolanenſis deſignatur; & quàm impigrè hoc munus obiverit. 796. *b*
Mortuo Actio Vicecomite in Dominum Mediolani unà cum Luchino Fratre eligitur. ibid.
Obedientiam Romano Pontifici teſtatur, ab eoque privilegiis ornatur. Primus celebrari jubet in Ambroſiana Eccleſia Feſtum diem SS. Corporis Chriſti, & ſolemnem de eodem Supplicationem inſtituit per Urbem Mediolanenſem. 797. & ſeq. *b*
Primum ponit Templi lapidem, ad Oppidum Parabiaghi erecti. 798 *b*
Opportunas Civium moribus componendis Leges evulgat. 799 *b*
Quo anno fuerit a Primario Mediolanenſi Clero in Antiſtitem electus, mortuo Aycardo; & qua de cauſa ejuſdem electio diu manſerit in ſuſpenſo. ibid.
Quo die & anno hæc electio fuerit a Summo Pontifice confirma-

mata. Quando Eccleſiæ ſuæ poſſeſſionem, & Archiepiſcopale Pallium receperit. 800. *b*
Quàm liberalis erga Pauperes, & munificus in Eccleſias fuerit. ibid. & ſeq. *b*
Tenax Ambroſiani ritûs cuſtodia in eo vigens, exemplo comprobatur. 801. & ſeq. *b*
Ad Sacellum S. Agnetis in Templo Metropolitano extructum tria inſtituit Sacerdotia. 802. & ſeq. *b*
Quanto ardore & cura imperium ſuum amplificare ſtuduerit. Quo anno Bononiam Summo Pontifici ſubditam invaſerit. Qua de cauſa ab eodem fuerit Avenionem accerſitus; & qua via mandatum Pontificium, (ùt traditur) eluſerit. 803. & ſeq. *b*
Quomodo cum Romano Hierarcha compoſita res fuerit, de Bononienſi Urbe reſtituenda. 804. *b*
Theſaurum Modoëtienſis Baſilicæ Modoëtiam reportat, eumque donis pretioſis adauget. 805. *b*
Corpus S. Petri Martyris in Euſtorgiano Templo reconditum ſolemniter transfert. ib. & ſeq. *b*
Cœnobium & Templum pro Charruſianis Monachis ad Vicum Carignanum erigit ac dotat; & quo anno. 806. & ſeq. *b*
Amplam ab omnibus oneribus exemptionem eorumdem favore concedit, expedito Diplomate. 809. *b*
Quot annos in regenda Ambroſiana Eccleſia inſumpſerit: quo die vitam clauſerit, & qua in Eccleſia tumulum receperit. 809. & ſeq. *b*
Epitaphium ejus Sepulcro appoſitum refertur. 810. & ſeq. *b*
